

UMBRA SPIELMANNI.

JAC. REINBOLDI SPIELMANN

Doctoris & Profess. Medici Argent. Acad. Imp. N. C. Adj. Petrop. Reg. Boruss. Suecic. Patriot. Paris. Medic. Elect. Mogunt. Palat. & Bavar. Colleg. Reg. Medic. Nancej. Soc. Reg. Taurin. Sodalis; Reg. Scientiar. Paris. Correspondentis

INSTITUTIONES MATERIÆ MEDICÆ

PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS ACCOMMODATÆ.

EDITIO NOVA REVISA.



ARGENTORATI, 1784.

Sumpt. JOH. GEORGII TREUTTEL, Bibliop.

Cum Permissu Superiorum.


cum Praxi nectuntur, hinc Materiem Medicam ordine Therapeutico explicare, præ aliis methodis, quibus Auctores uti solent, magis proficuum mihi videbatur, & eum ad ductum, quo Vos Pathologiam Generalem doceo, componere; ita enim assecuturum spero, ut junior Medicus, quam primum perspicit quid sibi sit agendum, statim in promptu habeat media, idonea fini, quem intendit. Omnia recensere medicamenta, quæ unquam morbis opposita fuerunt aut adhucdum opponuntur, operosum nimis negocium fuisset, nec utilitas, quæ inde surrexisset, tempus quod & Vos & ego in eo consumsissemus, compensasset; sed nec rei medicamentariæ contractum nimis penum volui exhibere, qui compendiariam instructionem semper perniciosam esse, certissimus sum; multa sane sunt, quæ suadent plura in promptu habere corpora, quæ viribus vix differunt, & si medicamenta quæ alii magni faciunt, ipsi non vultis in usum trahere, ea saltem debetis nosse, & rationem callere, cur ea relinquenda esse judicetis; cum autem omnino ea, quæ crebrius in usum ducetis præ reliquis firmius menti imprimenda sint, hinc minus, inter nos saltem, usitata, asterisco (*) notavi, ut mox possitis videre, quæ recentissima semper memoria sint servanda, & ea ab illis distinguere, quæ modo aliorum ergo nosse, tenemini. Prolixior fui circa alimenta,

quam alias in Materie Medica esse solent, certus quippe facilius sanitatem conservari quam restitui, consultum fore duxi, materiem, quæ tanti momenti est in morbis præcavendis, non perfunctorie tractare; omnes utique homines nutrimentis opus habent, medicamentis nonnisi ægrotantes, nec hi illis possunt carere, ideo in tractatu unde Medici media, quibus suum scopum assequi possint, discere debent, non mediocrem alimentis locum dandum esse, judicavi. Corporum quæ recenseo & genericas & specificas notas adduxi, ut certo constaret, quæ debeant recipi. Circa animalia Eximios BRISSON & KLEIN maxime sum secutus; circa Vegetabilia Illustrem LINNÆUM, hujus cum jure maxima sit in Historia Naturali auctoritas, ejus denominationes ubique adjeci, etiam tunc cum alios characteres, quam ipse dedit, duxi assumendos esse, & cum adhucdum, non sine dolore videam, Rei Herbariæ studium neutiquam ab omnibus qui stadium Medicum ingrediuntur pro dignitate tractari, vegetabilibus adjeci, qua tabula in Opere BLACWELLIANO eorum icon occurrat, ut Medici inde saltem circa plantas officinales supplere possint, quæ in Academiis neglexerunt, & sibi cavere ne rhizotomarum, seplasiariorum &c. fidei Artis dignitatem & hominum salutem superstruant. Analyses ex proborum Auctorum & propriis experimentis adjeci,

ut videre poſſitis ſub qua forma optima medicamenta adminiſtrari & ad fines propoſitos accommodari queant. Ceterum cum non ſemper certo conſtat, num vox, quæ apud Veteres occurrit, idem medicamentum denotet, quod hodie eo nomine venire ſolet, id indicavi ſincere, & recentiorum medicamentorum epocham, quantum potui, determinavi. Cautionem æque ac diligentiam adhibui in recenſendis viribus; aſt non eas, quas ex hypotheſi finxerunt, aut quas tumultuariis experimentis collegerunt, ſed quas ipſa Natura evidenter dictitat, aut quas haud fallax experientia confirmavit, adduxi; allegavi præterea Auctores præcipuos quorum fide nobis de illis conſtat. Plures, quos variis negociis diſtractus quondam eliminare non licuit errores Typographicos, in hac nova editione emendavi, multis nævis maculatum indicem ſollicite correxi & auxi. Valete & ſemper recordamini e ratione, qua ſtudia academica tractatis, pendere quicquid commodi per reliquam vitam ipſi expectatis, quicquid Reſpublica, cui ſoli vivit Vir bonus, a Vobis ſibi pollicetur.



PROLE-



PROLEGOMENA.

§. I.

MATERIES MEDICA ὕλη ἰατρικὴ eſt doctrina, quæ corporum naturalium in Corpus humanum effectus ab eorum natura pendentes docet; receptum vulgo eſt in Materia Medica corpora ſimplicia & a Natura producta recenſere, in Pharmacologia autem & Chemia ea enarrare, quæ ars parat, aut inter ſe miſcet. Materiæ Medicæ *ſubjectum* eſt Corpus humanum; *objectum* ejus conſtituunt corpora naturalia; *finis* verſatur in eo, ut Medicus adminiculis ad ſcopum obtinendum idoneis inſtruatur. Eluceſcit hinc Artis antiquitas, nobilitas, dignitas; & ſimul evidens fit, quod is, qui eandem cum fructu cupit addiſcere, callere debeat & *Hiſtoriam Naturalem*, quæ corporum naturalium characteres docet, & *Chemiam*, unde eorum natura patefit, & *Phyſiologiam*, ut, qua ratione effectus in Corpus noſtrum poſſint edere, perſpiciatur.

§. II.

Corpora, quæ homini applicata in ejus naturam mutantur, & partes nobis inquilinæ fiunt, dicuntur

Alimenta; illa autem, quæ hominis, à quo recipiuntur, ſtatum mutant, nec in ejus naturam verti poſſunt φάρμακα, *Medicamenta* dicuntur. Illi, qui ſtrictius loqui malunt, nonniſi illis Medicamenti denominationem reliquerunt, quæ corpus ægrotum in ſanum convertunt; *Venena*, quæ talem mutationem producunt, unde mors ſequitur; alimenta autem, quæ dum aſſumuntur, etiam aliquid quod præter naturam obtinet, corrigunt, *Medicamenta Alimentoſa* vocant.

§. III.

Corpora naturalia agunt in Corpus humanum ex indole ipſis propria, ex natura hominis priva, & ex varia ratione qua applicantur: prius nunc explicatum imus, alterum ex Phyſiologia & Pathologia liquet, tertium Phyſices principia declarant, & quæ huc pertinent medicamenta, creberrime *Mechanica* ſolent appellari. Patet hinc quemvis, quo magis hypotheſibus & ingenii luſibus indulget, eo minus adæquate de actionis medicamentorum ratione præcipere, quemvis illam eo magis juſte explicare, quo caſtius & exquiſitius Naturam ſequitur.

§. IV.

Idem corpus diverſos omnino effectus edere poſſe facile perſpiciet, qui perpendit homines eorumque varias partes vario irritabilitatis & ſenſibilitatis gradu gaudere, ipſam variam rationem qua medicamenta adhibentur, multum eorundem actionis modum poſſe variare, in corpore ægrotante per ipſam mutationem morbo factam, aſſumtis varia poſſe commiſceri a quibus eorum natura mutatur, & ipſam irritabilitatem a modo naturali recedere, nec nullos eſſe idioſyncraſiæ & conſuetudinis effectus.

§. V.

Vires corporum externorum in humanum ſola experientia nobis poteſt cum certitudine patefacere, præcipiente jam GALENO; probe autem cavendum eſt, ne quodvis quod poſt applicatum homini corpus videmus in illo oriri phænomenon, mox pro iſtius effectu habeamus, & ejus virtutibus deberi reputemus; tunc demum de efficacia corporum externorum in nos certi evadimus, quando eandem crebrius, iteratis vicibus, & ſub variis circumſtantiis obtinuiſſe nobis conſtat, nec id quod hac ratione inde ſurrexiſſe vidimus phænomenon, aliunde poteſt explicari: neglecta hæc cautela, ut pluribus medicamentis vires alienæ fuerint adſcriptæ, erat in cauſa. Sed nec inde, quod aliquod corpus non ſemper aliquem effectum edat, licet eundem eidem in totum denegare; varia enim poſſunt obtinere in certis individuis obſtacula, quæ morantur vim, quam in univerſum obtinere, plurima tentamina evicerunt.

§. VI.

Circa vires corporum, quas experientia nondum claræ luci expoſuit, eruendas, non una ratione procedebant Auctores; id ipſum cum ad amplificandum artis noſtræ ambitum plurimum faciat, quia experientia, monente HIPPOCRATE, periculoſa, & longum tempus, antequam certi quid inde ſtatui queat, requiratur, (§. V.) nimis diu etiam inter Medicos receptum fuerit corporum vires ad principia generalia potius, quam ad experientiam dijudicare, hinc non inconſultum erit, variam rationem, qua circa hoc argumentum verſari mos erat, recenſere.

Vetuſtiſſimi à brutis medicamenta addidiciſſe dicuntur, id quod quoque circa nonnulla quæ ex Ame-

rica nobis afferuntur, perhibere ſolent, multum hic omnino fabuloſi ſubeſt, & hanc viam valde ambiguam eſſe, facile patet.

Galenus ad hypotheſin, quam de quatuor qualitatibus cardinalibus δύναμεις, ὀυσίαι, *Facultates*, *Eſſentiæ* dictis aluit, medicamenta quoque in humida, ſicca, calida & frigida diſtinxit, pro qualitate nimirum præ reliquis eminente, quamlibet harum claſſium in quatuor gradus τάξεις, ἀποστάσεις, *Ordines*, *Exceſſus*, *Receſſus*, appellatos diviſit, minimum primum, maximum quartum appellavit. Ratio hæc per quindecim ſecula in ſcholis Medicorum viguit; cum autem felici omine theoria Galenica ex arte noſtra ſit proſcripta, & facile pateat, multo plures virtutes à corporibus externis in corpus noſtrum exſeri, quam quæ ad quatuor modo genera poſſint referri, eaque ipſa in ſingulis determinare plerumque multum difficultatis habeat, hinc hodie optime negligitur.

Illos hic non eſſe audiendos, qui, præeunte Paracelso, ſive ex ſiderum in corpora naturalia influxu, ſive ex horum figuræ & coloris cum illa viſcerum aut morborum cauſis convenientia, id quod *Signaturam* dixerunt, eorum vires indicare auſi ſunt, quæ ultima ratio jam apud Veteres Ægyptios obtinuit, vix opus erit ut moneam; omnia enim hic imaginatione, nihil plane obſervatione caſta determinari nemo non videt.

Sed & ipſa Chemica analyſis hic crebro non ſufficit, cum inde non raro remota duntaxat, non proxima corporum principia obtineantur, eæ quas Chemia ex corporibus educit ſubſtantiæ, non ſemper etiam per vires corporis humani inde poſſint ſeparari, principia præterea cum aliis in compoſitione corporum nexa, plane alios creberrime edant effectus, quam ſigillatim adhibita. Chemia omnino multum Materiem Medicam juvat, neutiquam autem ejus ope ſemper cum

plenaria certitudine de viribus medicamentorum licet præcipere.

§. VII.

Corporum Naturalium in hominem effectus ex eorum odore & sapore dijudicare, jam HIPPOCRATES & GALENUS susceperunt, ad id ipsum per omnia secula Medici attenderunt & vel nostra ætate egregii Auctores uberius illustrarunt; cum hac ratione omnino ad vires corporum detegendas magnum nobis surgat adminiculum, hinc præcipuos, qui huc faciunt, canones exponere, non inconsultum fore judico:

I. Amara humores attenuant, solida roborant & stimulant, digestionis & venæ portarum vitiis maxime medentur, putredinem arcent, vermes necant.

II. Acria humores resolvunt, solida stimulant, sanguinem commovent, scorbuticis conducunt, urinam cient.

III. Aromatica humores fluidiores reddunt, solida irritant & roborant, vim nerveam augent, morbis capitis & primarum viarum maxime laudantur, putredini quoque resistunt.

IV. Austera, acerba, humores cogunt, solida roborant, ad sistendos fluxus præternaturales faciunt.

V. Acida refrigerant, ad morbos biliosos maxime conducunt, putredini resistunt, laudantur scorbuticis.

VI. Salsa solida stimulant, humores attenuant, in morbis à muco conducunt.

VII. Insipida, quæ non male in sicca, aquosa, viscosa & pinguia distinguuntur, emolliunt, relaxant, obtundunt, crebro saponum vires edunt.

VIII. Dulcia etiam evidentiores insipidorum effectus edunt, ad nutritionem faciunt.

IX. Odore virulento prædita motus humorum sistunt, caput obnubilant, morbos phantasiæ gignunt.

X. Fragrantia motum ſpirituum incitant, morbis à debilitate oriundis proſunt, omnes vires motrices intendunt.

Hæc licet creberrime obtineant, tamen nequaquam adeo conſtantia ſunt, ut non corpora præter vires, quas ſapor indicare videtur, interdum etiam alias habeant, quas non niſi experientia diſcimus; id quod nec HIPPOCRATEM latuit.

§. VIII.

Inde quoque quod plura genera Corporum Naturalium, ad eandem claſſem pertinentia, viribus convenire videamus, non improbabiles conjecturæ naſcuntur circa virtutem corporum, quorum effectus nondum per experientiam confirmati ſunt. Poſt CÆSALPINUM Recentiores maxime hanc vires medicamentorum determinandi rationem ſtabilire conati ſunt. En præcipua quæ inde hactenus innotuerunt momenta:

I. Filices roborant & humores attenuant.

II. Gramina nutriunt & humores reſolvunt.

III. Liliacea ſolida ſtimulant, humores ſpiſſos corrigunt.

IV. Flore compoſita inſtructa nutriunt, humores attenuant, obſtructa reſerant.

V. Cruciformi flore inſtructa, ad tetradynamiam pertinentia, ſolida ſtimulant, humores exagitant & valide reſolvunt.

VI. Aſperifolia ſolida leviter roborant.

VII. Apocyna evidenter acria ſunt.

VIII. Malvacea relaxant, obtundunt, inſpiſſant.

IX. Oleracea nutriunt, refrigerant, attenuant, relaxant.

X. Verticillata morbis oſſium præcipue medentur.

XI. Umbellifera nutriunt, humores commovent & ſolvunt, ſolida ſtimulant, maxime ad vitia digeſtionis adhibentur.

XII. Cucurbitacea refrigerant, vires ſaponaceas edunt, interdum alvum movent.

XIII. Pomifera & quæ baccas habent cum Cucurbitaceis conveniunt.

XIV. Craſſifolia refrigerant, ſaponacea ſunt.

XV. Leguminoſa nutriunt, demulcent, relaxant.

XVI. Ringentia roborant, ſtimulant, reſolvunt.

XVII. Amentacea adſtringunt, nutriunt, balſamica ſunt.

XVIII. Lacteſcentia ad §. VII. n°. 1. 2. 7. 8. determinanda.

XIX. Pinguedines animalium ſecundum §. VII. n°. 1. 7. 9. 10. dijudicandæ.

XX. Inſecta aliquid acris habent, in renes maxime agunt.

XXI. Teſtæ teſtaceorum vires alcalium edunt, in putredinem excitandam pronæ.

XXII. Quicquid ad lapides vitreſcentes pertinet, iners eſt.

XXIII. Calcarea in modum alcalium agunt.

XXIV. Bitumina reſolvunt, abſtergunt, vim nerveam varia ratione modificant.

Sed hic quoque notandum, non raro exceptiones valde inſignes dari, & hos etiam canones nonniſi conjecturis anſam præbere ſola experientia (§. V.) confirmandis.

§. IX.

Ab effectu, quem medicamenta edunt, illa varie diſtinguere ſolent: δραστικὰ, *generoſa*, *heroica* dicuntur illa, quæ exigua doſi aſſumta, inſignes in homine mutationes producunt: *Panacea*, qua voce Veteres pro denotando medicamento polychreſto, ad multos uſus faciente, uſi ſunt, ab Alchemicis dicitur ſubſtantia, quæ omnibus omnino morbis medetur, ta-

lem medicinam ad non entia referendam eſſe, nec tyro Pathologiæ ignorat, & quid quæſo magis abſurdum poteſt cogitari, quam morbis à contrariis inter ſe cauſis oriundis idem medicamentum opponere velle? *Specifica* vocant illa medicamenta, quæ per rationes hactenus ignoratas in certas corporis partes agunt, vel propriis morbis medentur; eorum numerum multum auxere mox ſuperſtitio, mox fœda lucri cupido, mox falſæ theoriæ pathologicæ, mox vel nimis frequens in noſtra Arte argumentandi ratio à particulari ad univerſale; hinc quo magis Medicina creſcit, quo dignus Ars nobiliſſima exercetur, eo magis ſpecificorum catalogus decreſcit: eorum quæ omnino obtinent agendi ratio, ex eis quæ in Phyſiologia de certis corpuſculis ſanguini commixtis ad certas, præ aliis partibus, ſecedentibus demonſtrat, aliquatenus poteſt illuſtrari; probe autem & circa ſpecifica notandum, quod non debeant, niſi ex juſta indicatione exhiberi. Medicamenta minus bene a partibus corporis humani, quibus præcipue mederi putantur, denominari prudenter jam GALENUS annotavit. Medicamenta *magnetica* & *ſympathetica* Medicum rationalem, *Arcana* ingenuum, philoſophum, chriſtianum dedecent.

§. X.

Medicamenta *interna* appellantur ea, quæ deglutienda offeruntur, agunt ea evidenter in fauces & œſophagum, non raro quoque in ipſam tracheam, nec non in ventriculum & canalem inteſtinalem; quæ ſub hoc itinere à vaſis reſorbentibus hauriri poſſunt, cum ſanguine commiſcentur, & inde ad omnes corporis receſſus perveniunt; ſed etiam illa quæ in primis viis ſubſiſtunt, ob conſenſum, qui inter has & reliquum corpus intercedit, in remotas a canali alimentari partes operari quoque poſſunt; ea quæ ſan-

guinem ſubierunt, magna humorum quantitate in vaſis majoribus merſa, in minimis demum, per quæ globuli ſolitarii & cum difficultate tranſeunt, ſuas vires videnter exſerere; ea præterea, quæ Phyſiologi circa ſingula viſcera, per ſuam fabricam certas moleculas præ aliis admittentia, demonſtrant, illuſtrant quomodo dentur medicamenta in propria viſcera evidentius efficacia. *Externa* appellantur illa, quæ alio quovis modo quam per deglutitionem corpori applicantur; nec horum quoque effectus ſubſiſtit modo in parte, cui admoventur, ipſa enim circulatio & quicquid inde pendet, pro vario corporis externi habitu varie ſe habet, & omnis corporis ſuperficies innumeris gaudet vaſis reſorbentibus, quæ ea quæ receperunt, ſanguini, cordi & omni corpori tradunt; hinc medicamenta externa, partibus ſubtilioribus aut talibus inſtructa, quæ ab humoribus ſolvi poſſunt, eoſdem effectus, ac ſi intus fuiſſent recepta, producere ſolent, hac ſola differentia, quod mitius operentur quam interna, quæ integra ſua mole in ſenſilem multum & irritabilem canalem alimentarium agunt.

§. XI.

Inſignem medicamentorum farraginem recenſet Materies Medica; Medicum enim nil debet latere, quod aliquem effectum in ſanitatem edere certa fide compertum eſt, aut ſaltem dicitur; hæc autem omnia enarrare, cum multum limites Compendii excederet, hinc illa modo tradam, quæ in Syllabis *Pariſino*, *Wurtembergenſi* & *Noſtrate* occurrunt, & ex his, omiſſis illis quæ tota eviluerunt, amplam ſatis penum proponere vel ideo conſultum duxi, quia Medicus varia, quæ viribus conveniunt, tenetur in promptu habere, cum ei incumbat ægrorum guſtui, quantum id per morbi naturam licet, blandiri, idioſyncraſiæ quo-

que rationem habere, per quam non raro certa medicamenta ferri non possunt, & in morbis longis, eadem indicatione subsistente, non raro indicata mutanda sint; multa præterea virtute convenientia remedia Medicus nosse debet, quia ejus opera non raro imploratur in locis, ubi medicamenta selecta ad manus non sunt, & tunc præstat minus efficax, quam nullum remedium dare. Medici prudentis interim est ad monitum ERASISTRATI pauco modo medicamenta & ea efficacissima in usum trahere, cum sesquipedales formulæ, coacervatio talium quæ viribus conveniunt, & crebra medicamentorum mutatio sive ignorantem sive fluctuantem artificem demonstrent, Pharmacopolæ præterea melius adstringi queant, ut medicamenta exquisita asservent, si pauca modo eorum curæ committuntur.

CAP. I.

§. 1.

Alimentum, *Nutrimentum*, τροφὴ, σιτίον, ὄμπνη dicitur omnis illa substantia, quæ restituit ea, quæ per vitam erant deperdita. Distinguunt alimenta in εὔπεπτα & δύσπεπτα, concoctu facilia & difficilia, in δύσλυτα porro & εὔλυτα, quæ firmum nimirum, & quæ facile dissipandum nutrimentum largiuntur, præterea in πολύτροφα & ὀλιγότροφα multum & parum nutrientia.

§. 2.

Modus agendi alimentorum in eo consistit, ut eorum partes partibus corporis nostri analogæ, inde ope viscerum chylopoicorum extrahantur, systemati arterioso tradantur, ejus actione in naturam nostram vertantur, fluida humoribus commisceantur, solida foveoles fibrarum subeant & in eis se firmari patiantur;

cum Phyſiologia evincat aquam, olea, mucilagines, glutina eſſe ſubſtantias, quæ corporis noſtri partibus analogæ ſunt, hinc quæ corpora alimentis ſint adſcribenda eluceſcit, & patet ſimul, quod ſingula ex propria non ſolum natura, ſed etiam ex ſtatu virium chylo & hæmatopoieticarum ejus hominis à quo aſſumuntur, debeant dijudicari; illa præterea, cum facilius aut difficilius partes alibiles, quas vehunt, dimittant, craſſiora ſint & teneriora, partes nutritias parcius ſive largius vehant, & hæ, pro vario quo gaudent genio, magis aut minus firmiter partibus corporis noſtri poſſint accreſcere, hinc ratio differentiarum (§. 1.) perſpicitur.

§. 3.

Ipſam vitam Nutrientia indicare Phyſiologia evincit, facile etiam perſpicitur ea eo copioſius ingerenda eſſe, quo majus obtinet corporis incrementum, & quo major eſt conſumtio; hinc infantes, ſanguinei, qui ſub cœlo frigido vivunt, qui corpus multum exercent &c. largius ſunt nutriendi, ſenibus, phlegmaticis, otioſis &c. parciora alimenta ſufficiunt; fames in quantitate ciborum menſuranda optimus ut plurimum index eſt; conſuetudinis præterea etiam ratio haberi debet, nec non viſcerum ad chylopoieſin & hæmatopoieſin facientium, hinc his ſe præter naturam habentibus, parcius omnino nutrientia erunt exhibenda. Quæ mala ex excedente nutrientium uſu ſurgant, egregie tradit Illuſtris GAUBIUS.

§. 4.

Deſumuntur alimenta ex omni Naturæ regno: Vegetabilia dant *Subſtantias farinaceas*, *Olera*, *Fructus horræos*, *Nuces*; Animalium & ſolidæ & fluidæ partes

nobis in alimentum cedunt; ex Fossilium ordine Aqua huc pertinet.

§. 5.

FARINAM appellamus substantiam pulverulentam, quam vegetabilia includunt, cum aqua in pastam reducendam, quæ fermentationi obnoxia est; illa cum in formam granulorum diffracta est πτισάνη, *Ptisane*, *Gruau*, *Grütz* dicitur; hæret sive in fructibus, sive in radicibus, sive in caudicibus. Fructus, qui farinam habent, sive ad graminum ordinem pertinent, & *Grana cerealia*, *Frumenta*, *Far*, *Blé*, *Getreide* dicuntur, sive desumuntur ex plantis flore papilionaceo instructis & *Legumina* appellantur, quia non secando, sed vellendo leguntur, *Legumes*, qua voce tamen etiam olera comprehendere solent, nostratibus *Gekœrns*, *Gekirns*. Grana cerealia dum in usum cibarium recipiuntur, opus est, ut cribri ope tam à granis macilentioribus, quam à seminibus heterogeneis, quibus ab herbis peregrinis, vix non omnium agrorum pestibus, solent inquinari, separentur.

§. 6.

Farina ab involucris, quibus à Natura obvoluta est, vulgo ope molendini separatur; hæc involucra postquam à farina fuerunt separata πίτυρα, κηρύβια, *Furfures*, *du Son*, *Kleyen* dicuntur; illis si in corpus nostrum vires sunt, eæ a farina ipsis adhærente, sive ab asperitate qua gaudent, erunt deducendæ. Cum farina mucilaginem habeat, hinc nutrit, demulcentes præterea, relaxantes, imo abstergentes vires habet (*Instit Chem.* Exp. 4.), eadem cum calore acida fiat, hinc refrigerat & putredini resistit, quod ultimum recentiora experimenta egregie confirmant.

§. 7.

Farina, dum aquam ipſi affundimus, ex eadem quidem ſe ſuſpendi patitur, ſed mora interpoſita, inde iterum ſecedit, & in ſubſtantiam abit non mediocri viſcedine inſtructam, primis viis hinc ingeſta validas earum vires exigit, ut digeri queat, & iſtis deficientibus, mala quæ a Viſcido oriri Pathologi oſtendunt; excitat, pueros inde tumido ventre languiſſe & hydropicos mortuos eſſe VAN SWIETEN vidit; præterea multum aëris fixi eidem inhærere cum HALES evicerit, hinc cur ejus eſus flatulentus ſit, evidens eſt. Dum autem validæ vires primarum viarum viſcido ſubigendo pares ſint & id ipſum nutrimentum non facile diſſipandum largiatur, hinc farina hominibus robuſtis & qui valide corpus movent, non modo concedenda, ſed etiam commendanda eſt. Romanorum antiquiſſimi fortes & bellicoſi ea utebantur PLINIO teſte. Varium pulmentorum, pultium, placentarum, bellariorum, cruſtulorum, artocreatum &c. genus inde paratur, quod præterea, quæ nunc dixi, pro vario inſuper Cerealis genere, variis quæ farinæ additæ fuerunt ſubſtantiis, vario etiam calore, qui ad ejus coctionem fuit adhibitus, dijudicandum eſt. Multo præterea in uſu eſt eadem cum aqua ſubacta & in fila ducta, quæ *Vermicelli*, *Nudlen* nomine venit, in iis parandis maxime Italorum induſtria occupata fuit, hodie pluribus in locis parantur *Macaroni*, *Karagni*, *Vermicelli*, *Semoulles*, *Paters* &c. Farina extus adhibita integumenta relaxat, materiem acrem ad cutem hærentem demulcet, materiem perſpirabilem abſorbet, hinc digerendi, maturandi, diſſipandi ergo ad eryſipelas, intertriginem, tumores œdematoſos, ſub forma epithematis vel aſperginis in uſum trahitur.

Pulvis Eryſipelatodes MYNSICHT. Saturnina quoque & reſinas habet, agit evidenter repellendo; inſpergi-

tur parti affectæ & ſupra eam ope chartæ cæruleæ retinetur.

§. 8.

Farinæ in cibum receptæ uſus cum multum incommodi habeat, hinc à longiſſimo jam retro tempore obtinuit, eandem certo gradui fermentationis committere, quo ejus principia laxentur, eo autem cum pervenerit, ulteriorem reſolutionis progreſſum caloris furni ope cohibere, ſurgit ita *Panis*, ἄρτος, *Pain*, *Brod*, quem a Mythologorum PANE quidam derivant; illi tam gratiæ ergo, quam ut ſi adhuc aliquid viſcidi retinuiſſet, mox medicina adſit, Salem communem adjicere ſolent. Commendat ſe panis albedine, levitate & ſubſtantia multis foraminibus diſtincta, quæ vulgo oculi dicuntur, ab aëre, ope caloris & fermentationis expulſo, relictis. Panis portio ſuperior & ob majorem, quem paſſa eſt, furni calorem, & magis ſicca & magis colorata dicitur θρύμμα, *Cruſta*, *la Croute*, *Rinde*; ſubſtantia mollis à cruſta tecta μυελὸς, *Mica*, *Mie*, *Krume*, *Broſame*. Panis αὐτόπυρος, *cibarius*, *ſecundarius*, *ater*, *confuſaneus*, *Pain de munition*, *Commiſsbrod* ex farina à furfuribus non ſeparata coquitur; βρωτὸν, *ſordidum*, *gregarium*, *ſquarroſum*, *aceroſum*, *furfuraceum*, *Pain de recoupe*, *Kleyenbrod*, *Hundsbrod* illum appellant, qui ex furfuribus coquitur, is pro varia ratione, qua furfures farinam retinuerunt, varius eſt. Panis iterata coctione ſicciſſimus redditus ναυτικὸς, ψωμὸς, *bucellatus*, *nauticus*, *biſcoctus*, *Biſcuit*, *Zwieback* dicitur, hic omni humido privatus longiſſimam ætatem fert, & cum nutrientem panis partem habeat in arctius volumen coactam, hinc præ reliquis panis generibus largiſſime nutrit; hujus ad naturam Cruſtam ſupra dictam propius accedere facile patet. Sed multas adhuc panis ſolet induere

differentias, pro vario cereali unde paratur, pro varia ejuſdem farinæ ætate, ubi notandum, quod eadem quo recentior eſt, eo difficilius viſcidi medelam aſſumat, pro varia ratione qua molendinum furfures a farina ſeparavit, aut hæc ipſa a molliori molari inquinata fuit, de quo triſtes obſervationes apud Ill. LINNÆUM proſtant, pro ratione porro fermentationis & cocturæ, pro vario etiam humore quo farina ſubigitur, & pro variis ſubſtantiis quæ ipſi adjiciuntur.

§. 9.

Panis exſequitur vires ejus cerealis unde erat paratus, & cum aquam facile ſubeat, nec ipſi lentorem conciliet, hinc facillime a primis viis ſubigitur, nec debilibus reformidandus, omni ætati & omni temperamento optimum alimentum. Calens panis plus aquæ & aëris habet quam pridianus, hinc difficilius digeritur & flatus gignit, ejuſdem odorem excitantes vires edere DEMOCRITUS jam expertus eſt. Mica extus emolliendi ergo adhibetur; ejuſdem ope medicamentis ex tempore formam pilularem dari poſſe alibi docetur; cruſta cum ſucceſſu ex jure coquitur pro illis roborandis, quorum ventriculo nec leviſſimus cibus conducit.

* *Aqua Panis* Wurtemberg. Eſt aqua ſpirituoſa a cruſta panis & aromatibus abſtracta, roborandi ergo cochleatim exhibetur.

* *Emplaſtrum de cruſta Panis* MONTAGNANÆ, præter cruſtam panis etiam varia aromata recipit; compoſitio Wurtembergenſium magis aromatica eſt quam illa Noſtratium, ventriculo aut umbilico imponitur in vomitu & vario diarrhœæ genere.

§. 10.

I. α. GRANA CEREALIA.

AVENA, *βρῶμος*, *Avoine*, *Haber*. Grana ſiſtit ſtri-

gosa, utrinque acuta, uno extremo obtusiore, facie una convexa, altera plana sulco medio distincta, sapore levissime dulci instructa, sub cuticula alba, flava, nigricante, medullam albam includentia.

Avena. Locusta multiflora, corolla biglumis, aristam versus basin emittens, trianthera, digyna, calice mutico biglumi sustentata. *Sativa* L. Blackwell 422. locusta biflora, glumis & seminis glabris gaudet.

Ubi sponte crescat hodie ignoratur, Anson se illam in Insula Maris Australis Ivas Fernandez reperisse testatur.

Varietas cortice nigro, *Eichel-Haber*, reliquis praeferri solet; illa quae grysea est, reputatur vilissima cum parcissimam farinam vehat; flavicans, quae alba Anglica vel gravis dicitur, reliquas largioribus messibus & granis majoribus & crassioribus vincit, copiose in Palatinatu & Bohemia, teste Cl. Schreber, colitur, creberrime etiam inter nos seri solet.

Avena nuda L. in Anglia septentrionali, *Avena fatua* L. in Dalekarlia colitur.

Seritur mense Martio, sub finem Julii, inter nos, maturescit.

Farina Avenae dimidium sui ponderis mucilaginis pellucidae & albae largitur. Cl. Kesselmayer.

Refragante omnino experientia Galenus avenam minus bonum alimentum hominibus largiri contendit, testatur enim Plinius, Veteres Germanos pulte avenacea victitasse, & Rayus cum Hale, rusticos Scotos & illos qui Angliam septentrionalem inhabitant robustissimos homines, nullo alio cereali quam avena vivere; omne praeterea avium & pecorum genus, equi quoque & sues optime inde nutriuntur. Ptisanum avenae, quam recentiores *Grualdum* dicunt, Medicorum Gallorum inventum, teste Bruyerino, suavissimum omnino edulium est, & inter nos non modo aegrotis, tanquam cibus digestu facilis, exhibetur, sed etiam optimis

optimis mensis apponitur. Puls ex avena tosta, in Helvetia septentrionali teste Illustr. HALLER, & inter nos comeditur. Panis ex avena paratus niger est, amarus & difficilius digeritur; amara etiam observatur cerevisia ex avena parata.

Scopo medicato Avena ob largam, qua gaudet, mucilaginem, tam relaxandi, quam demulcendi scopo optime praescribitur & sub sorbitionis forma exhibetur, aquam cum eadem coctam, praeeunte HIPPOCRATE, ad febres ardentes & inflammatorias exhibemus, ut inde tensioni fibrarum medeamur, acrimoniam temperemus, spissitudini medelam afferamus, putredinem arceamus, & cum prae reliquis cerealibus citius acescat, hinc hoc ultimo scopo etiam reliquis praeferenda esse videtur.

Avenam degenerantem morbos phantasiae producere plures Auctores cum FABRO tradunt, sed hic effectus granis Lolii temulenti, quod cum Avena adolevit, omnino est adscribendus.

* *Decoctum Avenae Loweri* Hecticis, & illis quibus sanguis aestuat, multum commendatur; de eodem bis de die duo cyathi exhibentur.

* FAGOPYRUM, *Fagotriticum*, *Frumentum Saracenicum*, *Bled noir*, *Sarrasin*, *Buchweitzen*, *Heidenkorn*, hoc nomine veniunt grana triquetra, quae sub cortice nigro farinam albissimam & insipidam includunt; a colore & figura ad fructus Fagi accedente, denominationis ratio petita est.

RUELLIO teste seculo XIV ex Oriente in Europam haec grana fuerunt illata.

POLYGONUM Corolla 4 vel 5 fida, stamina à 5 ad 8, 2 vel 3 styli, semen unicum, nudum *Fagopyrum* L. Folia cordato sagittata, caules inermes, semina integerrima

Asiae indigena planta, hodie in terris sterilioribus & talibus, quae facile a frigore vernali afficiuntur,

ſeritur, cum ſemen verſus Maji finem ſatum adhuc matureſcat; poſt avenam demetitur.

Ad urbem noſtram non colitur, nec inter nos in uſum trahitur.

Panis inde coctus niger eſt, nec ejus mica cohæret.

Digeſtu facile eſſe & exiguum alimentum hominibus præbere dicitur; avibus ſaginandis exhibetur. Pultes inde paratæ, quæ cineritium colorem habent, hominibus alvi ſegnioris commendantur.

HORDEUM, κριθὴ, *Orge*, *Gerſt*, ſiſtit grana oblonga, medio ventricoſa, ad utrumque extremum acuta, angulata, facie magis convexa ſulco notata, ſub cuticula leviter flaveſcente, dulceſcentem & albam farinam includentia.

Hordeum locuſta triflora, involucro hexaphyllo tres corollas biglumes, quarum una gluma in ariſtam terminatur, triantheras, digynas ſuſtentat.

Hordeum Vulgare L. *Orge quarrée*, *Reisgerſte*, BLACWELL tab. 423. floſculi omnes hermaphroditi, ſexfariam poſiti, ordinibus duobus magis eminentibus; grana cortice tenuiore tecta & magis flavicante; farina propius ad triticeam accedit.

Hordeum hexaſtychum L. *Wintergerſt*, *Eſcourgeon*, ab antecedente ordinibus omnibus æqualibus differt.

Hordeum diſtychum L. *Orge de Mars*, *kleine Gerſt*, *Sommergerſt*, floribus lateralibus muticis, maſculis diſtinguitur. Hanc ſpeciem ſponte in montibus inter Sibiriam & Tatariam occurrere, monet Clar. HEINZELMANN. Duæ priores ſpecies autumno ſeruntur & ſub finem menſis Junii matureſcunt, ultima Martio menſe terræ committitur, ejus meſſis fit menſe Julio.

Hordeum ſuo cortice privatum Veteribus πτισάνη, *Ptiſana* dicebatur, hodie *Mundatum Orge mondé*, *geröllte Gerſt* ſolet appellari, cum in ægrum *Cru-*

di nomine veniat; illius plura genera molendinæ ope parari ſolent, grana quo ſunt minora & exquiſitius rotunda, eo magis laudantur; optimâ à margaritis ſive ab Ulma nomen accipiunt.

Sed nec id omittendum; quod apud HIPPOCRATEM & GALENUM etiam aqua in qua hordeum decoctum fuit πτισσάνη dicatur. Hordeum toſtum apud Veteres ἄλφιτον, *Polenta* appellabatur; aqua ab hordeo viſcida reddita autem πτισσάνης χυλὸς *Cremor*, is hodie *Crême d'Orge*, *Gerſten-Schleim* audit.

Mucilago hordei dodrantem efformat. KESSELMAIER.

Panis ex hordeo albus eſt, ſed gravis & diu viſcedinem retinet.

Parum nutrire poſt ARISTOTELEM communis ſemper opinio fuit, interim illud antiquiſſimum hominum alimentum fuiſſe, tradit PLINIUS, & illo Suecos ſeptentrionales vitam ſuſtentare, teſtatur Illuſtris LINNÆUS, idem quoque de Alpicolis aſſeverat Celeb. HALLER. Medicato ſcopo HIPPOCRATI jam in creberrimo uſu fuit, quem etiam omnium ætatum Medici ſecuti ſunt; maxime laudatur propter vim refrigerantem, quam ſolida laxando, humorum alcaleſcentiam arcendo, eorundem acrimoniam obtundendo, & efficiendo ut aqua ſanguinem phlogiſticum ſubire poſſit, edere videtur; datur hinc ad omne febrium genus; ſed exhibetur quoque cum ſucceſſu in plurimis aliis morbis, ubi vel acrimonia peccat, vel ſtrictura aut irritabilitas excedens; idem calculum diſſolvere vidit LOBB. Propinatur vel ſub forma Cremoris cum jure coctum, vel ejus una uncia cum duabus libris aquæ uſque dum grana diſſilierint, id quod crepaturam vocant, coquitur, & pro potu ordinario datur, ſive pro eodem ſcopo aliis vegetabilibus, morbo appropriatis, adjicitur, cum vix aliquid efficacis à glumis expectari poſſit, hinc mundatum ſemper crudo præferendum eſſe videtur; licet hoc etiam, imo

ipſos furfures commendaverit HIPPOCRATES. Polentam quidam in modum fabarum Caffée ſolent aſſumere, illa autem cum igne aliquam acrimoniam contraxit, (*Inſt. Chem.* §. 80.) hinc fruſtra hordei virtutes inde expectantur.

Hordeum germinando laxatum *Maltam* Recentiores appellant, ejus cum Aqua infuſi contra Scorbutum uſum recentiſſimæ obſervationes commendant.

Farina hordei quatuor reſolventibus adſcribitur. *Hordeatum*, *Orgeat*, ab amygdalis maxime ſuas vires habet, pro eo ex tempore parando proſtat * *Syrupus hordeatus* Pariſ. *Decoctum hordei.* *Saccharum hordei* Sacchari vires ſequitur. *Cereviſiæ* hiſtoria *Inſt. Chem. Exp.* 125. tradita; illam vulgo ex hordeo ſolent parare, ejus in corpus humanum effectus, partim ex ſpiritu quo ſcatet, & cujus vires l. c. Exper. 128. recenſui, fluunt, partim ex mucilaginoſo quod de cereali recepit, ob hoc ad nutritionem facit, ſed cum id ipſum fibras primarum viarum relaxet, hinc cereale torrendo & eidem amara, Lupulum maxime adjiciendo, ut cereviſia ventriculo non obſit, efficere tentant; horum igitur ad variam, quæ in variis cereviſiis obtinent, rationem attendendum eſſe liquet, & quia mucilago pro vario cereali variat, hinc etiam horum ergo cereviſiæ ſunt dijudicandæ; triticeam reliquis magis nutrire, ſed etiam facilius viſcera abdominalia obſtruere docuit experientia, largiori præterea qua cereviſiæ gaudent mucilagini debetur hominum, ea pro potulento ordinario utentium, habitus ut plurimum ſpongioſus, humores mucoſi, ſolida inertiora. Sed cum largam quoque copiam cereviſia habet, hinc hujus quoque vires exſequitur & illas eo evidentiores, quo magis tenuis eſt, pauciora amara recepit, ex cereali minus toſto parata eſt. Cereviſia non rite fermentata producit mala a viſcido & ab acrimonia fermentante & acore ſurgentes ſuſcitat. Cereviſiam an-

tequam fermentaverit pro potu ordinario hauſtam egregie ad ulcera phagædenica curanda facere experti ſunt Cl. GIBSON & RUSH.

* MANNA, *Schwaden*, *Polniſche*, *Frankfurter*, *Berliner Manna.* Grana exigua, fere cylindracea, cortice fuſco inſtructa, quo privata albiſſima ſunt, ſapore dulci inſtructa.

FESTUCA L. Locuſta multiflora, corolla biglumis ariſtam infra apicem emittens, biglumi calice ſuſtentata. *Fluitans* L. panicula ramoſa; ſpicæ ſubſeſſiles. Pois omnino reddenda.

Creſcit in omni Europa.

Mannæ quæ ſemen graminis eſt, reſtauratores Botanices meminerunt, omnes illud a ſpecie quadam Panici derivarunt, num recentiores id quod hodie obtinet, illi veterum ſubſtituerunt? num MATTHIOLUS primus erravit & ſucceſſores in errorem induxit?

In Germania ſeptentrionali & regionibus ipſi vicinis colligitur, modum eam colligendi tradit Celeb. SCHREBER.

Hordeo minus nutrire, Milio facilius digeri dicitur; in ſuave pulmenti genus cum jure vel lacte ſolet cogi Noſtrates Gallos imitantes eidem alicæ Tritici Barbarici genus, quod *Semoules* dicunt, ſolent ſubſtituere.

* MAYS, *Frumentum Turcicum*, *Blé de Turquie ou d'Eſpagne*, *türkiſch Korn.* Siſtit grana rotunda, inferne leviter anguſtatâ & compreſſa, utrinque plana, altera facie ſulco diſtincta, altera ſubſtantia graniformi parva notata, ſub cortice varie colorato, medullam albiſſimam includentia.

ZEA *Mays* L. BLACWELL tab. 547. Planta relativa monophyta, mares locuſta biflora, calyce & corolla biglumi, antheris tribus gaudent & in ſpicam laxam ordinantur, feminæ calice & corolla maribus ſimili, ſtylo longiſſimo inſtruuntur, & inhærent re-

ceptaculo magno, ſucculento, vagina foliacea incluſo.

Planta in America a longiſſimo retro tempore culta, ſub initium XVI ſeculi in Europam allata, jam diu in regionibus meridionalibus ſeritur; in Germania ſerius coli cœpta eſt.

Frigoris impatientiſſima planta, menſe Aprili ſeritur, Octobri matureſcit.

Mays ultra dimidium ſui ponderis de mucilagine, grata aciditate gaudente edit Cl. KESSELMAIER. Panis inde paratus non ingratus eſt, & albus ſi ex granis albis coquitur, ſed gravis; cum autem Mays granis cerealibus, unde vulgo panis paratur, adjiciunt, bonus omnino panis ſurgit. Digeſtu facilis farina, obſervantibus HERNANDEZ & DUPUY DEMPORTES egregium omnino alimentum præbet, cum teſte HERNANDEZ hoc uno cereali Americani ab omni tempore vitam ſuſtentarint, & vulgari experientia conſtet, omne armentorum, porcorum, avium &c. genus inde optime ſaginari. Aciditas quæ ejus mucilagini ineſt, illud refrigerandi ergo vel aliis cerealibus præferendum eſſe ſuſpicare facit, quam ſuſpicionem etiam HERNANDEZ confirmat.

Receptacula florum femininorum tenella, cum aceto condita, ſuaviſſimum edulium cum carne comedendum ſiſtunt.

* MILIUM, κέγχρος, *Millet*, *Hirs*, habet grana exigua, rotunda, ſplendentia, ſtriata, gryſea, ſubſtantiam albam farinaceam includentia.

PANICUM Calice triglumi, unifloro, corolla biglumi gaudet. *Miliaceum* L. paniculam laxam habet, flores muticos, foliorum vaginas piloſas. Apud Indos ſponte creſcit, quo tempore in Europa coli cœperit, ignoratur.

Martio menſe ſeritur, ſub finem Auguſti ejus meſſis fit.

Molendinæ ope in grana flava frangitur & hac ratione in uſum trahitur.

Farina pauciſſimam aquam recipit & in panem abit viſcidum, gravem & cujus mica nulla foramina habet

Æthiopum & Sarmatarum olim cibo, a multo jam tempore Itali utuntur. Gallis quoque & Hiſpanis uſitato; pultes inde paratæ, ad illas quæ ex Manna cereali coquuntur, videntur accedere, illas difficilioris digeſtionis & pauci alimenti eſſe, omnes per omnia ſecula tradunt auctores, alvum inde ſtringi jam HIPPOCRATES monuit, qui ipſa grana ad varios morbos commendavit; apud nos nonniſi infimæ plebi in uſu ſunt.

Variarum aliarum *Panici* ſpecierum grana quæ hinc inde in Europa, calidiore maxime, coluntur, ratione virium cum Milio videntur convenire.

ORYZA, ὄρυζα, ὄρυζον, *Ris*, *Reis*, ejus grana ſunt oblonga, ventricoſa, uno extremo acuminata, altero obtuſa, ſtriis diſtincta, albiſſima: eadem quo majora, magis alba, quoque propius ad pelluciditatem accedunt, eo meliora.

ORYZA, Calix biglumis uniflorus, corolla ex quatuor glumis inæqualibus, quarum una ariſtata eſt, efformatur, hexanthera, digyna.

Panis ex oryza coctus illi ſimilis eſt qui ex Milio paratur.

Planta Indiæ, Nigritiæ & Inſulis Philippinis, Americæ quoque indigena, hodie vix non in omni Oriente colitur, inde ejus 1200000 centenarios ex una Damiata Ægypti in Europam duci teſtatur HASSELQUIST; ſed colitur præterea in Carolina, Georgia, Jamaica, nec non in Italia & Hiſpania. Orientalis & Hiſpanica rubet, Carolinenſis Europæam magnitudine & albedine ſuperat.

Oryza dimidium ſui ponderis mucilaginis largitur.

Vulgaris cum ſit omni Orienti cibus, hinc ipſi vires nutrientes nequeunt denegari, eas autem cedere illis quibus triticum, ſecale & hordeum gaudet, docuit experientia; eadem cum aquam facile ſubeat, nec ipſi tenacem viſciditatem conciliet, hinc manifeſtum, quod digeſtu facilis ſit, mucilagine qua ſcatet demulcentes quoque vires edit & hordeo ſubſtituitur. Vim alvum ſiſtendi, quam ipſi ſecundum DIOSCORIDEM vulgo ſolent adſcribere, tunc demum videtur obtinere, quando alvus, ob acrimoniam in inteſtinis hærentem, laxa eſt. Calculum inde diſſolvi LOBB obſervavit. In Oriente grana emollita per aquam, ad omne ciborum genus, ea ratione qua inter nos panem adhibemus, ſolent comedi; Europæi eam ſub forma cremoris menſis apponunt, ſcopo medicato quoque decoctis adjiciunt.

Arack ſpiritum inflammabilem ex oryza paratum eſſe, vulgo perhibent, ſed RUMPHII & SHAW fide conſtat, Indos omnem ſpiritum inflammabilem hoc nomine inſignire, OSBECK aſſeverat, illum qui ad nos affertur ex oryza, ſaccharo & coccos nucibus confici.

SECALE, *Seigle*, *Roggen*, *Korn*. Exhibet grana ſtrigoſa, inferne acuta, ſuperne obtuſa, teretia, ſulco longitudinali notata, ſub cuticula flavicante veſtigio nigri tincta, farinam albiſſimam includentia.

SECALE. Calix biglumis, glumis acutis, bi- vel triflorus, ſeſſilis, corollæ una gluma in ariſtam terminata, aſpera. *Cereale* L. BLACWEL 424. glumas ſcabras habet.

In Sibiria ſpontaneum eſſe dicitur.

Vernum grana minora & leviora, ſed farinam magis albam largitur, illud apud nos non colitur; hybernum quod autumno ſeritur, primis menſis Julii diebus apud nos metitur.

Ejus dodrans a mucilagine efformatur. KESSELMAIER.

Secalis dimidiam partem a ſpiritu acido, undecimam circiter ab oleo conſtitui, Cl. ROSE ope deſtillationis eſt expertus.

Cereale, quod nunc *Secale* dicitur, a Secali veterum diverſum eſſe, ex deſcriptione, quam PLINIUS de eodem tradit, eſt evidentiſſimum, ad id cum multi non attenderint, hinc noſtrum Secale viliſſimæ notæ frumentis adſcribere nulli dubitarunt.

Bonum inde alimentum ſurgere Germania & regiones magis ſeptentrionales, apud quos panis ſecalinus frequentiſſimo in uſu ſolet eſſe, abunde probant; eſt is quidem triticeo minus albus, ſed ejus ſapor eundem multis commendat, nec non quod præ omni reliquo, ex aliis cerealibus cocto, minus cito areſcat: non raro vel apud Noſtrates farinæ triticeæ aliquid ſecalinæ adjicitur, pro coquendo pane familiari.

Secale toſtum ultra $\frac{7}{8}$ ſui ponderis de Extracto aquoſo largiri, $\frac{1}{4}$ modo Extracti reſinoſi, Cl. ROSE tradit; SCHWANECKE & Cl. NONNE $\frac{3}{8}$ modo Extracti aquoſi adducunt, ejus infuſum illi fabarum Caffée ſubſtitui poſſe aſſerit DILLENIUS, ſed obtuſo omnino guſtu gaudent, qui unum ab altero vix diſtingui poſſe contendunt.

Secale cum aqua maceratum facile acorem contrahit, hinc vulgo ferro, quod ſtannum recipere debet, ſolet illiniri, nec male forſan refrigerandi ſcopo reliquis cerealibus anteponeretur. Secalis viridis ſuccum ad nephritidem facere TIMÆUS à GULDENKLEE monet, & illum non ſine ſucceſſu adhibitum fuiſſe novi.

In locis ſeptentrionalibus, ubi nullus viticulturæ locus eſt, ex ſecali fermentato ſpiritum inflammabilem parant, qui gratia & viribus genuino ſpiritu Vini multo inferior eſt.

Accidit interdum ut grana ſecalis proprio morbi

genere afficiantur, quo præter modum elongantur & turgent, creberrime quoque incurvantur, extus fusco vel nigro colore tinguntur, aspera & striata evadunt, intus substantiam albam includunt, circa quam ego saltem nihil acris potui detegere; talia grana *Secale turgidum*, *cornutum*, *Clavos Siliginis*, *Blé ergotté*, *Korn-Zapfen*, *Mutterkorn* solent appellare: inde, si ab hominibus comeduntur, gravissimos morbos convulsivos & gangrænas deterrimas excitari multi auctores observationibus probare nituntur. Sed alii & inter hos magnæ auctoritatis viri, hos ipsos morbos non tam Secali cornuto, quam potius epidemiæ, quæ ab eodem tempestatis vitio, quod secale corrupit, etiam homines afficiente, originem duxit, vel etiam aliis causis adscribendos esse ducunt, experimenta inter nos circa homines, columbas, gallinas & canes instituta illud innocuum nobis stiterunt; & licet nostrum secale crebro hoc vitium & quidem uno anno copiosius quam altero habeat, tamen epidemiæ, quas inde oriri alibi observarunt, nunquam apud nostros homines obtinuerunt; id unum adhuc addendum esse duco, observatores Gallos a Secali cornuto ortas gangrænas, Germanos autem convulsiones recensere.

Glumæ Secalinæ in fasciculum collectæ pro scarificatione oculorum adhibentur.

TRITICUM, πυρὸς, *Froment*, *Waitzen*. Exhibet grana cylindroidea, utrinque rotundata, una facie planiore sulco longitudinali notata, sub cuticula flavescente farinam albissimam includentia.

TRITICUM. Calyx biglumis glumis obtusis, 3 vel 4 florus, sessilis, corolla biglumis una gluma semper mutica, altera mox aristata, mox non.

Triticum æstivum L. *trimestre* τριμηνιαῖος, σιτάνιος Veterum, calyces quadriflori, flores aristati, nostras hyemes non fert & grana graciliora dat, in montibus

Sibiriam inter & Tatariam ſponte creſcere dicit HEINZELMANN.

Triticum hybernum L. BLACWEL 40 f. 1, 2, 3 locuſtæ quadrifloræ, flores mutici, ſed ejus varietatem multum ariſtatam, etiam colunt noſtrates in agris ſylvis vicinis & incurſui ferarum expoſitis.

Triticum ſpelta L. ζειὰ δίκοκκος, *Arinca*, *Kern*, *Dunckel*, *Spelt*, *Epautre*, locuſta mutica, quadriflora, ſed cujus duo modo flores fertiles ſunt; in ſabuloſis Alſatiæ inferioris agris colitur. Cum farinam & pauciorem & leviorem det, panis ex ea confectus citius areſcat, hinc nonniſi ſolo pro reliquis ſpeciebus nimis macro, mandatur.

Varia ratione Triticum molæ ope ſolent frangere, illud ſi ita comminuitur, ut inde corculum modo remaneat ſub forma grani exigui & albiſſimi χόνδρον, *Alica*, *Gruau*, *Grütze*, *Gries* dicitur, farina quæ hoc ambiebat *Pollen* Πτύρις, *Semoule*, *Farine de blé*, *Boll* audit, alica in farinam redacta *Simi-lago*, σεμίδαλις, *fieur de Farine*, *Farine de Bourgeois*, *Semmel* appellatur.

Panis, qui ex Tritico ſurgit, omnes reliquos albedine vincit.

Triticum omnia reliqua cerealia nutriendi facultate anteire, omnium ſeculorum experientia evincit, hujus vis ratio patet per experimenta a Cel. BECCARIO primum inſtituta & a Cl. KESSELMAIER repetita, ex quibus quippe patet eidem præter ſubſtantiam farinaceam, aliam ad naturam animalem proxime accedentem, caſeoſæ lactis parti valde analogam ineſſe, quæ cum ex ſe in aqua ſolubilis non ſit, ope ſubſtantiæ farinaceæ diſponitur, ut ſe ex aqua ſuſpendi patiatur, & ejus rationem in vario tritico variam eſſe obſervavit KESSELMAIER. Hinc eluceſcit minus bene illum acturum, qui reliquis cerealibus vellet triticum in febribus ſubſtituere. Dum grana tritici cum aqua

calida infunduntur, usque dum eorum farina inde digitis exprimi possit, dein ex illis, proprio molendinæ genere, quod habet laminas metallicas foraminibus perforatas, elisis, farina in lacum ligneum eliquatur, ea iteratis vicibus per angustius cribrum transmittitur & ab omnibus furfuribus separatur, id quod dein subsidet ἄμυλον, *Amidon*, *Ammlung* dicitur, & duplici facie apparet, infima tenacior optimum Amylum constituit, id saccis immittitur ut omnem aquam dimittat & dein in aëre exsiccatur, est hoc amylum albissimum, ast friabile, glutinosum & aquam cui committitur viscidam reddit. Lotricibus & tinctoribus multo in usu est, ut pannis splendor concilietur; pulverem cosmeticum inde parari notissimum est, a Medicis demulcendi & glutinandi ergo, tam extus quam intus adhibetur.

§. 11.

I. β. LEGUMINA.

Siliquæ tenellæ λόβοι, *Gousses*, *Schiffen*, *Schoten*, quæ si in cibum assumuntur, proxime ad olera accedunt, ejusdem fere naturæ sunt grana recentia nondum indurata, grana adulta vero & exsiccata farina gaudent difficilius præ cereali digerenda & multo aëre fixo fœta, hinc nisi sub eorum esu validior corporis exercitatio organorum chylo- & hæmatopoieticorum actionem intendat, flatus inde excitari, & chylum crudum sanguini varium acrimoniæ genus affricare observamus; cortex, cui farina inclusa est, ipse etiam magis primis viis oneri est.

Legumina fracta *Fresa*, ἐρικτὰ, *egrugés*, *geschroten* appellant, farinam ipsam *Lomentum* λείωμα Veteres dixerunt.

* Cicera ἐρέβινθοι, *pois Chiches*, *Kichererbsen*, sunt grana rotunda, pisis majora, inferne in acumen producta, hinc inde levissime compressa, includunt sub

cortice rufo-fufco, medullam flavicantem, infipidam.

Cicer Blacwell 557. Calicis laciniis quatuor vexillo incumbentibus, vexillo reliquis petalis majore, carina minore, fructu irregulariter rotundo, inflato gaudet.

Extracti aquofi fufci dulcis $\frac{1}{4}$ inde obtinetur.

Sponte in Europa Meridionali & Syria crefcit.

In Helvetia meridionali, Gallia meridionali, Italia, Hifpania & Lufitania, ubi calidius cœlum minus culturæ piforum favet, copiofe feritur & in ufus cibarios recipitur, inter nos, cum nonnifi ad ufus medicatos recipiatur, hinc inde modo, & quidem fatis parce feritur. Multum nutrire, fed flatulentum effe auctores contendunt, urinam inde moveri Hippocrates jam monuit, & adeo validos effe ejus in vias urinarias vires quidam afferunt, ut illud in ulcere aut calculo veficæ non ufurpandum effe moneant; Calculum renalem autem ejus ope comminui tradit Galenus. Ego non video, quod aqua cum his granis decocta præter leves vires abftergentes, alias adhuc inde poffit acquirere. Farina extus adhibita potenter refolvit & abftergit, tumoribus mammarum & tefticulorum maxime commendata.

Fabæ, φάβαι, κύαμα, *Feves de Marais*, *welfche Bohnen*, *Saubohnen* magnitudine & colore multum variant, noftrates gilvas & minores colere folent, oblongæ funt, uno margine hilo excifo, fub cortice duriore medullam albam & infipidam includunt.

Vicia. Calice bilabiato, vexillo reliquis petalis majore; carina minore, fructu oblongo, acumine terminato gaudet, *Faba* L. cirrhis caret Blacwel 19.

Ægypto indigena: apud nos copiofiffime in agris colitur, cum ejus fructibus frequentiffime pro pabulo brutorum utantur.

Fabas flatulentas effe poft Hippocratem omnis ætas affirmavit, virides quæ non raro, cortice priva-

tæ, menſis noſtris imponuntur, præ ſiccis magis flatulentas eſſe nemo GALENO credet; ſiccarum flatulentiam adjectis ipſis aromatibus tentant corrigere, diarrhœam chronicam inde curatam vidit SIMON PAULI.

Farina cum abſtergens ſit, ad eoſdem ac præcedens adhibetur uſus, quatuor reſolventibus adſcribitur, ſcopo quoque coſmetico uſurpatur.

Flores fragrantiſſimum ſpirant odorem, qui diutius, circa agros ubi obtinent, obambulantibus non raro caput afficit; exſiccati omnem fragrantiam amittunt, plane inertes evadunt.

Aqua florum Fabarum. VAL. CORD. ob fragrantiam ad medicamenta coſmetica recipitur. * *Sal Fabarum* præ aliis ſalibus alcalinis nihil proprii habet.

LENTES φακοι, *Lentilles*, *Linſen* ſunt grana rotunda, utrinque convexa, margine acuto cincta, colore albido inſtructa, includunt farinam quæ coctione fuſca evadit.

LENS. HALLER. Fructu brevi & lato ab *Ervo*, cui a LINNÆO adſcribitur, differt. Sponte creſcit in Europa Meridionali, apud nos copioſe in agris colitur. Quarta lentium pars extracto gummoſo badio & nauſeoſo conſtat. KESSELMAIER.

Lentes minus bonum nutrimentum largiri vix non omnes Medici docuerunt, GALENUS peſſime de eis judicat & inde affectus cutaneos imo cancrum excitari tradidit, de legumine quod decoctum ad nigrum colorem accedit, morbos quos a melancholia deducere ſolebat, excitatum iri finxiſſe videtur: docet ſane experientia lentes non alia incommoda quam quæ grana ſicca aliorum leguminum producere ſolent, gignere. Arabes Decoctum lentium variolis opitulari contendebant, morbo, ſub quo corpus intumeſcit, melancholiam, id eſt, ſiccitatem inducens medicamentum opponendum eſſe rati; exploſa abſurda theoria, cur tamen a non paucis adhuc retinetur inde deducta medendi

ratio? HIPPOCRATES Decocto lentium abstergendi scopo est usus.

* LUPINI, θέρμα, *Lupins*, *Feigbohnen*. Sunt grana compressa, rotunda, margine leviter angulato, utraque facie levi sulco rotundo notata, sub cortice albo, medullam flavam & amaram includunt.

LUPINUS. Calicem bilabiatum, petala fere æqualia, fructus oblongos habet. *Albus* L. BLACWELL tab. 283. calicibus non appendiculatis & seminibus compressis gaudet. Quibusdam in hortis apud nos curiositatis ergo colitur.

Reliquis leguminibus minus malorum facere ab HIPPOCRATE dicitur.

In Europa meridionali in cibum recipiuntur, apud nos eorum farina nonnisi ad usus medicatos adhibetur, quæ ob amaritiem, qua gaudet, reliquas farinas leguminosas vi abstergente vincit.

PHASEOLI, φασίολοι. δόλιχοι, *Haricots*, *Bohnen*, quibusdam *welsche oder türkische Bohnen*, sunt semina fabis minora, facie utrinque convexa, convexo utroque extremo, in uno margine hilo excisa, sub cortice variis coloribus ludente, substantiam albam includunt.

PHASEOLUS. Calicem bilabiatum, carinam spiraliter convolutam, fructum oblongum, acumine terminatum habet. *Vulgaris* L. flores racemosos, geminos, vexillum alis æquale, siliquas turgidas, pendulas & glabras sistit. Sponte in India crescit apud nos in agris & hortis colitur, frigoris impatientissima planta.

Innumeræ ejus varietates colore florum & maxime seminum, altitudine & firmitate caulium, nec non rectitudine fructuum differentes hodie obtinent.

Tertiam circiter Phaseolorum partem mucilago efformat. KESSELMAIER.

Phaseolorum siliquas jam Veteres in cibum acceperunt, digestu faciles si recentes fuerint, nam sive exsiccatæ sive muria asservatæ ventriculo oneri sunt,

leve eſt quod inde ſurgit alimentum, iiſdem noſtrates Satureiam ſolent adjicere. Ipſa grana exſiccata etiam in cibum recipiuntur, ea minus flatulenta eſſe reliquis leguminibus HIPPOCRATES ſtatuit; eadem tritico adjecta in bonæ notæ panem coqui poſſe nuperiora experimenta probant.

PISA πίσα, *Pois*, *Erbſen*, ſunt ſemina rotunda, quæ ſub cortice gryſeo, vel flaveſcente, medullam flavam includunt, hilo longitudinali in uno latere notata, coctione in pultem flavam proprio odore & ſapore inſtructam abeuntia. Piſa tota viridia, quæ ipſa tamen quoque cum coquuntur ad flavedinem vergunt, rariſſime adhuc apud nos in uſum trahuntur.

PISUM. Calix bilabiatus, vexillum reliquis petalis majus, carina minor, ſtylus triangularis, fructus latus plus minus tumidus. *Sativum* L. BLACWELL 83. pedunculos habet multifloros & petiolos teretes.

Apud nos in agris & hortis copioſe colitur; plurimæ ejus varietates occurrunt, quæ rectitudine & altitudine caulis, colore floris & ſeminis, & ſiliquarum craſſitie & teneritate differunt.

Piſa ſui ponderis dimidium mucilaginis largiuntur.

Eadem minus flatulenta eſſe poſt HIPPOCRATEM vulgo ſolet aſſumi, ſed inter nos ſaltem experientia omnino evincit eadem multum flatuum gignere, alvum obſtruere & chylum crudum efficere, hæc incommoda, dum cortices inde auferuntur, minuuntur quidem, non autem tolluntur; eadem tenella nondum matura, minus nutriunt, ſed facilioris digeſtionis ſunt. Siliquæ tenellæ, magis pulpoſæ, *Pois goulus* olim Gallis & Belgis multum uſitatæ inter noſtrates *Schiffen*, *Schoten* dicuntur & frequenti in uſu ſunt, ratione virium ad ſiliquas Phaſeolorum accedunt, eis tamen difficilius digeruntur.

In locis montibus vicinis, ubi Piſum ſativum facile à phalænis deſtruitur, Lathyri ſativi L. grana loco piſorum ſerere ſolent.

§. 12.

§. 12.

I. γ. RADICES.

Veteres jam consueverunt farinam ex radicibus parare, recentior ætas plurium talium radicum notitiam accepit, cum varia calamitate pressi mortales, deficientibus granis cerealibus, quicquid urgentem famem lenire posset, conquisiverint, cum etiam tales regiones fuerint detectæ, quarum incolæ omnis agriculturæ expertes, ea tantum, quæ sponte ex terra nascuntur, in cibum recipiunt. Tuberosas maxime farinam alibilem largiri, quæ hactenus prostant, observationes evincunt, illæ quæ multa acrimonia gaudent, aut quæ alia aliena qualitate scatent, succum ex iis exprimendo, aut easdem multa aqua macerando, ad usus cibarios aptantur; earum duplex maxime genus apud homines nostros in usu est.

* Poma Terræ, *Topinambours*, *Erdæpfel.* Sunt radices tuberosæ quæ interdum ad duorum pugnorum magnitudinem ascendunt, plura in tubera elevatæ, sub cuticula ex rufo-fusca substantiam albam, proprio sapore instructam, continentes.

Helianthus. Florem compositum habet, calice imbricato sustentatum, receptaculo paleaceo & seminibus tetragonis, involucro proprio cinctis gaudet. *Tuberosus* L. radice tuberosa instructus est.

Plantæ Americæ meridionalis civis radix per ætatem altissime sub terram descendit, hinc nostras hyemes optime fert, mense Octobri apud nos floret. In Europa sub initium seculi superioris jam innotuit, sed versus ejus finem demum crebrius cœpit coli; inter nos hinc inde in hortis plantatur, in sabulosis, Alsatiæ inferioris maxime, agris & montibus vicinis colitur.

Nonnisi ex menstruo aquoso coctæ hæ radices recipiuntur in usum cibarium, ob majorem qua gaudent viscidítatem & ad panificium & ad acetaria ineptiores.

Evidenter nutrientes poſſident vires, ſed cum majori gaudeant viſcedine, hinc digeſtu difficiliores ſunt. Noſtrates eas nonniſi pro alendis brutis adhibent, & hoc quoque valde raro obtinet. In Alſatia Inferiore, Lotharingia & Ducatu Bipontino crebriori in uſu ſunt.

Pyra Terræ, *Pommes de Terre*, *Tartufflen*, *Grundbieren*, *Kartofflen* ſunt radices tuberoſæ mox rotundæ, mox oblongæ, hinc inde protuberantiis notatæ, ſub cortice, pro varia varietate ſive rufeſcente, ſive alba, ſive nigricante, carnem albam includunt, quæ exſiccata, radulæ ope, in tenerrimam farinam poteſt reduci, integra comeſta ſapore proprio, ad Caſtaneas accedente gaudent, varia magnitudine inſtructæ, quæ apud nos vix pugnum excedit. Varietas ab Anglia denominata radices vel caput æquantes largitur.

Solanum. Corolla campaniformi quinquefida, calice quinquefido ſuſtentata, iſanthera, monogyna & bacca biloculari polyſperma inſtruitur: *Tuberoſum*, Blacwell 523 a & b & 587, caulem habet inermem, folia pinnata, pinnis integerrimis & pedunculis diviſis.

Americæ meridionalis planta, verſus finem ſeculi ſexti & decimi jam in Italia ſub nomine *Taratouffle* colebatur, inde Belgio & reliquæ poſtea Europæ innotuit; hodie copioſiſſime per omnem Europam ſeritur; noſtras hyemes non fert, radices exiguæ aut majores in fruſta ſectæ menſe Martio terræ committuntur, Julio florent & Octobri radices e terra eruuntur; dantur varietates præcoces, ubi radices jam verſus finem menſis Junii ita adoleſcunt, ut ex terra poſſint erui.

Quartam ſui ponderis partem mucilaginis largiuntur, Cl. Kesselmaier.

Multum & egregium inde alimentum & hominibus & brutis ſurgere, innumeræ obſervationes evincunt, quæ etiam confirmant eaſdem omnino digeſtu faciles eſſe; crudæ aſſumuntur, nec non toſtæ, etiam

elixæ, earum farina, unde Americani panem coquunt, optime Triticeæ adjicitur, utriusque si recipiuntur pares partes, surgit optimus panis, non adeo cito arescens & per aliquot menses absque ulla labe asservandus. Amylum egregium inde parari posse Recentioribus innotuit. Has radices calculum quoque solvere LOBB est expertus.

§. 13.

I. δ. CAUDICUM MEDULLA.

* SAGO. Hoc nomine ad nos adducuntur grana illis, sub quibus Hordeum mundatum prostat, similia, non raro angulosa & variæ magnitudinis, extus ex albo flavicantia, intus medullam albissimam includentia, saporis & odoris expertia, evidenti tenacitate instructa, ita ut in teneram farinam nequeant reduci.

Formantur hæc grana, teste RUMPH, ex duplici Palmarum genere. *SAGO* nimirum & *CYCA* L. illud relativum monophytum est, mares polyantheræ, fructus drupa aliquot nuces continens, spadix ramosus, ejus species quatuor RUMPH recenset; Cycæ character nondum innotuit. Crescunt in Insulis Moluccis & Australibus nec non a Borneo ad Siam usque. Ex his palmis medulla ope aquæ eluitur, exsiccatur, denuo cum aqua in pastam reducitur, quæ ope lapidum foraminibus exsculptorum, in panis modum coquitur, & formam, sub qua ad nos mitti solet, induit.

Hæc grana tota in aqua fervida solvuntur & eam viscidam reddunt, bonus quoque panis inde potest parari, Cl. STECK. Angli primi eadem sub initium hujus seculi ad usus medicatos adhibuerunt, anno 1740 a Gallis & anno 1744 a Germanis fuerunt recepta.

Farina Sago in omni Asia meridionali pro cibo vulgari utuntur, tenue inde alimentum surgere annotat RUMPH. In Europa pro nutriendis infantibus &

ſuſtentandis phtiſicis adhibentur grana, quæ cum menſtruis aquoſis, lacte, interdum etiam cum vino coquuntur, eundem plane in modum quo Hordeum mundatum exhiberi ſolent.

§. 14.

II. OLERA.

Olus, λάχανον, *herbe Potagere*, *Légume*, *Gemüs*, *Gartenwaar*, dicitur omnis plantæ pars, præter fructum, quæ in uſum cibarium recipi ſolet & nullam farinam condit.

Nutriunt olera ratione mucilaginis qua ſcatent, hæc cum in ipſis ſemper multum diluta obtineat, hinc paucum & tenerum eſt quod inde ſurgit alimentum; eidem cum pro vario olere, varia in ratione partes terreſtres, aër fixus aut etiam principia acria adhæreant, hinc olera, tam reſpectu alimenti, quod inde ſurgit, quam reſpectu effectus in primas vias, differunt

Coctio olera teneriora reddit & multum aëris fixi inde expellit, unde digeſtu faciliora evadunt; peſſime eadem prius cum aqua coquere, hanc aquam rejicere & denuo demum oleri menſtruum aquoſum adjicere ſolent, cum priori aqua enim, obſervante jam Galeno, optimas & efficaciſſimas oleris partes rejiciunt. Quæ condiendi fine oleribus elixis adjiciunt, non parum tam ad eorum ſaporem quam ad rationem, qua digeſtioni parent, contribuunt.

Ea quæ cruda comeduntur & geſtui & primis viis magis accommodantur, aceto, ſale & pipere, quæ ipſis ſolent adjicere; oleum quod addunt *Acetaria* guſtui, ſecus ventriculo accommodant. Olera frixa vix non omni propria vi carent, facile præterea acrimoniam oleoſam excitant.

Acetosa, ὀξαλὶς, ὀξυλάπαθον, *Oſeille*, *Sauerampfer*. Inde radices ad uſus medicatos, folia ad eoſdem

& culinarios ſcopos adhibentur. Radices ſunt fibroſæ ex uno capite plures fibræ longæ & tenues prodeunt, ſub cortice ex rufo flaveſcente, medullam albidiorem includentes, ſapore gaudent leviter amaricante, qui evidentius adſtringit & in aquam tranſit; decoctum præterea colorem rubellum habet, quem acida deſtruunt, alcalia non mutant, martialia fuſcum reddunt.

Folia ſunt oblonga, ſagittata, pro varia varietate ſive oblonga ſive evidentius rotunda, ſapore gaudent evidenter acido.

Rumex. Corolla tripetala, ſimili calice ſuſtentata, diploſanthera; iſogyna, monoſperma; ſpecies quæ huc pertinent ſunt relativæ diphytæ. *Acetoſa* L. Blacwell 230, foliorum ſagittas rectas habet, copioſe in pratis omnis Europæ occurrit, hæc inter nos præcipue in hortis colitur & in cibum recipitur. *Lapathum* n. 1598 Haller, folia magis rotunda, ſuperne obtuſa, ſagittas parvas, divergentes habet, in Europæ ſeptentrionalis & Helvetiæ montibus creſcit, in hortis inter nos quoque culta, *Hiſpanica* dicitur. Succus Rumicis Acetoſæ $\frac{1}{400}$ circiter ſui ponderis partem Salis eſſentialis largitur.

A radicibus ego ſaltem præter adſtringentes, vix alias vires expectarem. Folia in cibum recepta vix videntur nutrire, grata autem qua pollent aciditate appetitum excitant, digeſtionem juvant, hinc ad embammata recipiuntur, inſipidis quoque aliis oleribus adjiciuntur, aut cibis animalibus, quorum in alcaleſcentiam niſum corrigunt. Eadem attenuandi & refrigerandi ergo cum ſucceſſu ad febres adhibentur. Geoffroi eorum ſucci unciis ſex aut octo, ante quemlibet paroxyſmum exhibitis, febrem intermittentem vidit curatam. Bartholinus, Morin, Illuſtr. Linnæus ſcorbuticos inde curatos viderunt, & Lobb calculum diſſolutum. Extus adplicata egregie reſolvunt & maturant.

* *Syrupus ex Succo* MESUE. Refrigerandi & ſitim extinguendi ergo adhibetur. * *Aqua deſtillata* NIC. PRÆPOS. iners omnino. * *Conſerva.*

ALLIUM, σκόροδον, *Ail*, *Knoblauch*. Ejus triplex genus in uſum recipitur; *Vulgare* quod radicem ſiſtit ex multis bulbis, quæ olim ἄγλιθες, γέλγεις, *nuclei*, *ſpicæ* audiebant, *Zehen* dicuntur, efformatam, qui incurvi ſunt & ad margines angulati, ſuperne in acumen educti, ſub cuticula leviſſime rufeſcente carnem albam, ſolideſcentem, proprio, forti & evidenter acri odore & ſapore præditam includentes; quælibet radix plures faſciculos harum ſpicarum habet, tunicis albis & ſiccis involutos. *Aſcalonicum*, *Eſchalottes*, *Chalottes*, *Schalotten* ſtructum ex pluribus bulbis qui nulla communi tunica in caput colliguntur, ſinguli bulbi ſub tunica rufeſcente includunt bulbos prioribus minus angulares, convexo concavos, ſuaviori odore & ſapore minus acri quam antecedentes inſtructos. *Scorodopraſum*, *Rocambole* exhibet bulbos, qui in umbella inter flores colorati ſunt, magis ad figuram rotundam accedunt, ad latera compreſſi, cuticulæ color ad violaceum vergit, ſapore & odore parum Allio vulgari cedunt.

ALLIUM. Corolla hexapetala, iſanthera, monogyna, fructu triangulari & triloculari, vagina marcida communem florum ortum ſuſtentante conſtituitur: *Sativum* L. ſtamina alterna tricuſpidata, umbellam bulbiferam, folia plana habet; ex Africa in Europam, Veterum fide, illatum, hodie ubique colitur. *Aſcalonicum* L. nequaquam Veterum, ſtamina tricuſpidata, umbellam nudam, ſcapum nudum, folia ſubulata habet. Palæſtinæ civis inter nos in agris colitur. *Scorodopraſum* L. ſtaminibus gaudet tricuſpidatis, umbella bulbifera, foliis planis, ſcapo ante maturitatem contorto; cum antecedentibus colitur; varietas ſylveſtris in Gallia, Helvetia, Germania & Septentrione frequens.

WEDEL ex Allio Vulgari Spiritum acidum cum pauxillo Olei obtinuit, GEOFFROI largam quantitatem Acidi, minorem Liquoris alcalini volatilis, aliquid Salis volatilis & Oleum empyreumaticum: NEUMANN Extracti aquosi $\frac{3}{8}$, spirituosi $\frac{1}{8}$, Olei odorati $\frac{1}{512}$: Spiritum ammoniacalem VERATTI. Ego ex bulborum, unde omnes pelliculas separaveram, libra una accepi libram dimidiam spiritus colorati, qui levissime colorem Syrupi Violarum mutavit, Mercurium ex ejus solutione non dejecit, & ob oleum quo scatebat cum alcalinis non efferbuit, huic spiritui paucissimæ modo Olei moleculæ inhærebant. Aqua a sex libris Allii abstracta mihi exhibuit unicam drachmam olei, quod omnia reliqua olea odorata odore penetrante vincit, in aqua fundum petit & citrinum est. LEWIS observavit Allii succum inspissatum omnes suas vires retinere, Extractum aquosum iners esse, spirituosum vires Allii servare, spiritum a bulbis abstractum illos parcissime redolere.

Ob evidentem, qua pollet, acrimoniam vix nutrientes poterit edere vires, sed eadem acrimonia in causa est, ut cum summo successu tanquam condimentum cibis adjiciatur, hinc in frequenti usu esse solet in regionibus calidioribus, ubi ventriculi languent, nec non in regionibus frigidioribus & apud homines victu duro utentes, ut viscidis menstruis primarum viarum opem ferat. Sed medicato etiam scopo adhibetur, & quidem ad non pauca morborum genera, cum ad minimos quoque vasorum ordines penetret; & stimulantes æque ac incidentes vires edat testibus anima, lacte, perspiratione &c. eorum qui illud assumserunt, & BLAIR observavit plantis pedum applicatum animam olidam reddidisse, BENNET autem quarta a comestione hora fonticulos inde fuisse vellicatos, ad mucum pulmones obsidentem jam HIPPOCRATI celebratur, qui idem in humoribus spissis ab-

domen vel uterum occupantibus quoque laudat; colicam a muco ſuſcitatam inde curatam viderunt GALENUS & TOURNEFORT; ad hydropem conducere præter HIPPOCRATEM, DIOCLES, FORESTUS, SYDENHAM, COHAUSEN obſervarunt, huic morbo medetur etiam ob evidentem, qua pollet, virtutem diureticam, qua quoque adverſus calculum valere a BARTHOLINO, HOYER, MOEHRING, LOBB, GOETZ confirmatum eſt, ſed etiam acri in maſſa humorum hærenti medelam affert. Scorbuticos inde ſanatos RIEDLIN vidit. BINNINGER ejus vires anthelminticas, jam DIOSCORIDE memoratas, probat, has vel inter nos innumera experimenta extra dubitationem ponunt. Podagricis inde medelam afferri, id quod TILEMANN annotaſſe lego, aliquoties inter nos fuit obſervatum, ſed habemus quoque exempla, quod apud eoſdem in caſſum fuerit tentatum. Scopo medicato ad tres ejus ſpicarum pro doſi dantur.

Ejus uſum illis qui morbo ſacro laborant HIPPOCRATES, ſiphyliticis etiam FALLOPIUS interdicunt.

Extus bulbi vel inter cineres cocti, ſive pinguedine recepti, rubefaciendi ergo, imponuntur, odontalgiam curatam poſt SERAPIONEM, PARÉ vidit & WEDEL verrucas inde conſumtas; extus quoque ad morbos varios, ob quos intus commendatur, ſolet adhiberi.

APIUM, σέλινον, *Ache*, *Eppich*. Inde recipimus in officinas Radices, quæ ex capite craſſiore aliquot fibras emittunt, ſub cuticula flava carnem albam condentes, vix odoratam, ſapore acri ad illam Paſtinacæ accedente, diverſo omnino ab illo, quo varietates hortenſes gaudent, inſtructam. Culinæ utuntur varietate quæ *Celeri* dicitur, cujus radix ex capite craſſo fibras interdum ad calami anſerini craſſitiem accedentes dimittit, ſub cuticula nigricante carnem albam, dulci, cum grata acrimonia, ſapore inſtructam, proprio non

ingrato odore, nares irritante, includit. Inde duplex varietas proſtat, una cujus radicum capita valde craſſa evadunt, ita ut pugnum excedant, *Rüben-* vel *Knollen-Selery*, altera radices minores habet, magis albas, dulciores & gratius odoratas, *Franzöſiſcher Selery* hujus folia prioribus latiora & lætius viridia, ſub terra condita, ut dealbentur, ſuaviſſima redduntur & una cum radicibus ad acetaria recipiuntur, utraque varietas iterum alias produxit, quæ in hortis noſtris coluntur.

Apium Flores umbellatos habet, involucro utroque pauci folio inſtructos, ſemina convexo plana, profunde ſulcata. *Graveolens* L. Blacwell 443. pinnis cuneiformibus gaudet.

Paſſim creſcit per omnem Europam, præter maxime ſeptentrionalem. Sub initium Seculi ſuperioris Celeri tanquam propriæ plantæ cœperunt meminiſſe, ipſum Veteres ſemper adhibuiſſe certum eſt. Extracti aquoſi ſui ponderis dimidium, reſinoſi $\frac{1}{5}$ circiter largitur Neumann. Spiritus Vini inde Saccharum extrahit, tinctura ulterius evaporata Reſinam albidam, dulci & pungente ſapore linguam afficientem ſiſtit, Extractum aquoſum dulce eſt, omnis aromatis expers. Semina aliquid Olei odorati fundunt, omnem odorem & ſaporem Spiritui Vini cum ipſis digeſto relinquunt. Lewis.

Planta evidenter aromatica tanquam condimentum cum aliis cibis recipitur, ut appetitum excitet, digeſtionem promoveat, flatulentiam arceat; Radices, annotante Hippocrate, obſtructionibus medentur, quinque aperientibus annumerantur, nec non medicamentis urinam moventibus.

Calculum inde diſſolvi Lobb vidit. Plinii & Tralliani commenta de Apio oculis, & illis qui morbo comitiali laborant noxio, experientia non confirmavit. Folia & Succum inde expreſſum quidam

ad ulcera mundanda laudant. Seminum uſus exſolevit, cum habeamus alia ſemina carminativa, quæ magis grata ſunt.

* *Aqua deſtillata* NIC. PRÆP. * *Conſerva.* * *Syrupus.* * *Unguentum Mundificans de Apio* Lugd. Inconcinna compoſitio.

ARMORACIA, ῥαφανὶς ἀγρία, *Raifort*, *Meerrettich.* Recipimus inde Radices quæ cylindraceæ ſunt in varios ramos diviſæ, totæ albæ, inſigni acrimonia & nares & linguam vellicant, comeſtæ ſpiritum alliaceo odore afficiunt, brachium humanum interdum æquant.

COCHLEARIA. Florem cruciformem, ſiliculam ſphæroideam, ſtylo notatam habet: *Armoracia* L. BLACWELL 415. folia lanceolata & flores ſpicatos.

Creſcit in Europa magis ſeptentrionali, quæ in temperata ſpontanea occurrit, ex cultæ ſeminibus ſurrexiſſe videtur.

Non eſt ῥαφανὶς ἀγρία DIOSC. & multa dubitare faciunt, noſtram plantam eſſe Armoraciam Romanorum. Extracti aquoſi $\frac{1}{8}$, ſpirituoſi $\frac{1}{9}$, circiter $\frac{1}{257}$ Olei odorati in aqua ſubſidentis, linguam non adurentis vehit NEUMANN. Extracti aquoſi $\frac{1}{8}$, reſinoſi $\frac{1}{170}$, Oleum odoratum parciſſimum CARTHEUSER. Coctione & exſiccatione ſua acrimonia privatur, eandem tam aqua quam alcohol inde recipiunt LEWIS. Ego inde accepi $\frac{2}{3}$ ſpiritus ammoniacalis & $\frac{1}{24}$ circiter Olei empyreumatici tenaciſſimi.

A radice inſigniter acri vix vires nutrientes poſſunt expectari, recipitur ad intinctus, ut digeſtionem promoveat. Multum inde humores attenuantur, vermes expulſos vidit SEBIZIUS, calculum & ſcorbutum curatum BARTHOLINUS, arthriticos levatos RAYGER; a vi diuretica jam DIOSCORIDI erat laudata.

Folia extus applicata inflammationem curaſſe vi-

dit GOHL nec non eryſipelas HERMANN & VRATISLAVIENSES.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD.

ASPARAGUS, ἀσπάραγος, *Aſperge*, *Spargel:* inde turiones; quos Græci ἀσπαράγυς dixerunt, in uſus cibarios, radices in medicatos recipimus.

Turiones pro varia varietate variam habent magnitudinem, variam craſſitiem, colorem mox album, mox viridem, capite gaudent ſquammoſo, ſapore dulci & urinam eorum qui ipſos comedunt, fœtentem reddunt

Radices ex uno capite craſſiore multas fibras longas emittunt, ſtriis longitudinalibus notatas, ſub cortice leviter luteſcente medullam albam includunt, inſipidæ.

ASPARAGUS. Corolla gaudet hexapetala, iſanthera, monogyna, bacca polyſperma: *Officinalis* L. BLACWELL tab. 332. caule inermi, foliis mollibus & capillaribus nec non ramis erectis agnoſcitur.

Creſcit per omnem Europam, præter maxime ſeptentrionalem & meridionalem, cultura ſuavior & craſſior fit.

Veteres *Aſparagum acutifolium* L. ſub nomine Corrudæ coluerunt, noſtra Species demum TIBERII ætate innotuiſſe videtur.

Turiones alvum ſiſtere vix aliquis credet HIPPOCRATI, experientia etiam contra GALENUM, quod omnino boni ſucci ſint, teſtatur, renes inde abſtergi CELSUS annotat & fœtor inde in urina excitatus, cujus primus SIMON SETHI meminit, probat; rationes & obſervatio quibus HELMONTIUS calculum inde gigni evincere contendit, nullius momenti ſunt; calculum ab eis ſolvi LOBB vidit; adeo valide urinam pellere, ut etiam mictus cruentus inde ſurrexerit, SCHULTZ affirmat; ad rem veneream ob vim diureticam facere videntur.

Radices ob vires aperientes laudantur, & quinque aperientibus adſcribuntur, diureticæ quoque habentur, valde metuo vires ſolis turionibus competentes feſtinanter nimis radicibus fuiſſe adſcriptas, cum interim aquæ, cum qua coquuntur, aliquid acris ſoleant affricare, hinc nollem eis vires aperientes denegare.

* ATRIPLEX, ἀνδράφαξις, *Arroche*, *Bonne*- ou *Belle dame*, *Milten*, *Melten.* Folia exhibet triangularia, evidenter mollia, farina quaſi conſperſa, pro varia varietate ſive rubra ſive viridia, ſapore fatuo inſtructa.

ATRIPLEX. Corollam habet pentapetalam, irregularem, iſantheram, monogynam, ſemen unicum, nudum: *Hortenſis* BLACWELL 99 & 552 foliis triangularibus diſtinguitur.

Aſiæ ſeptentrionalis civis, in noſtris hortis culta menſe Auguſto ſemen maturat & perit, ſemen Octobri terræ committitur & ſequente anno folia, antequam caulis prodierit, in uſum recipiuntur.

Rarius hodie menſis apponitur, per id anni tempus, ubi Betæ folia nondum germinarunt, illis ſubſtituitur.

Humida HIPPOCRATI dicitur, ventriculum gravare & exiguum alimentum præbere GALENO, illis maxime, qui alvum ſtrictam habent, laudatur. In tanta, quam habemus Emollientium copia, ad uſus medicatos non recipitur.

BETA, τεῦτλον, *Betta*, *Poirée*, *Mangold.* Variarum ejus varietatum Folia, duarum Radices in uſum trahuntur.

Folia magna ſunt & lata, ovata, ad marginem plicata, magnis & latis petiolis ſuſtentata, varie pro varia varietate colorata, levi dulcedine inſtructa, quæ etiam in petiolis evidentior eſt.

Radices ex capite rotundo ſubito in caudam gracilem terminantur, evidenti dulcedine inſtructæ, & vario, pro varia varietate, colore.

Beta. Corollam viridem habet, quinquefidam, regularem, iſantheram, digynam & capſulam mox mono-, mox polyſpermam, *Cicla* L. floribus congeſtis agnoſcitur. Creſcit in Europa meridionali. Apud nos in hortis colitur.

Varietas vulgaris alba vel palleſcens eſt, τεῦτλον σικελικὸν, Beta Sicla; rubra & lutea major, *Engliſcher* aut *Römiſcher Mangold* ſeculo XVI innotuit, hujus cauliculi maxime recipiuntur.

Radices deſumuntur ex *Beta Vulgari* L. quæ flores ternos habet, & quidem, ſive ex *Beta rubra radice Rapæ* C. B. *Beta nigra* Veterum Blacwell 235, quæ ſeculo XVI nondum in aliis præter Germaniam regionibus colebatur, ſive ex *Beta radice flava.* Sola varietas Sicla noſtras hyemes fert, omnes biennes. Illuſtris Marggraff ex ſucco Betæ albæ $\frac{1}{16}$ ſacchari, Betæ rubræ $\frac{1}{25}$ obtinuit.

Alvum inde ſolvi Hippocrates annotat, facile ſed parcum nutrimentum largiri Galenus, uterque reſolvendi ergo noſtrum olus exhibuit, quam vim quoque ſapor ejus ſuſpicare facit. Succum errhinis Galenus adſcribit & Borrichius confirmat, inde in cephalalgia Baglivius, in odontalgia Cl. Vogel egregios effectus viderunt. Folia recentia cuti, unde epidermis ablata fuit, cum ſucceſſu imponuntur.

Brassica, ῥάφανος, Græcis antiquiſſimis, κράμβη, *Olus*, *Caulis*, *Choux*, *Kraut*, *Kohl.*

Plantæ ab antiquiſſimis retro temporibus cultæ plures ſpecies, plures varietates, pluresque partes culinis inferuntur, quæ omnes dulci ſapore gaudent, & aquam, cum qua coquuntur, fœtidiſſimo odore afficiunt.

Brassica. Corolla cruciformi, calice tetrapetalo, deorſum gibbo, ſiliqua tereti, polyſperma, parvo apice eminente inſtructa gaudet: *Oleracea* L. calice vireſcente, foliis petiolatis, ſiliqua quadrangulari gau-

det: ad mare crescit. Num recte LINNÆUS ex hac una omnes reliquas tanquam varietates surrexisse contendit?

Illæ species, quæ superficiem rugosam habent a Sabaudia denominantur, nostratibus *Kohl* vel *Wirsing*, *Chou de Milan*, an *Cumana* PLIN. Superficie lævi instructæ *capitatæ* L. nostratibus *Kraut*, alias *Cappus*, audiunt, *Choux*, hujus varietas rubra inter nos ad acetaria & usus medicatos recipitur. Eæ, quarum folia profunde & tenuiter laciniatæ sunt, *Apiacon*, *Selenoides* Veterum, *Chou-Brun*, *Blau-Kohl*, *Feder-Kohl*; hæ tunc demum cum gelu expertæ sunt, omnem suam gratiam assequuntur. Eæ, quarum germina florum in cibum recipiuntur *Botrytis* L. *Pompejanæ* Veteribus, *Choufleur*, *Blumen-Kohl* dicuntur & varietates tenerioribus caulibus instructæ *Broccoli* Italorum, *Aricinia* PLIN. *Spargel-Kohl*. *Gongylodes* L. dicuntur illæ, quarum caulis in tuber excrescit, *Choux raves*, *Kohlraben*, harum demum auctores seculi XVI mentionem faciunt, videntur cum Botrytide & aliis forsan speciebus per exercitus Christianorum, ex Oriente in Europam allatæ fuisse. Ex his speciebus plures surrexerunt varietates, quæ largissime inter nos coluntur; omnes præter *Botrytidem* L. quæ annua est, & *Selenoidem*, quæ perennat, sunt biennes.

Aqua cum Brassica cocta nullos alcalium effectus edit, sed Mercurium ex solutione in Acido Nitri albo colore dejicit, id quod etiam eadem destillata facit; ipsa Brassica per se destillata Spiritum ammoniacalem fundit.

Olus jam a PYTHAGORA celebratum, ab HIPPOCRATE dicitur boni succi esse, ad secessum facere & biliosa ducere, CATONEM illud ad omnes morbos commendasse constat; ANDROCYDIS, de Brassica crapulam sedante, commentum, quod ab ARISTOTELE receptum, maximam auctoritatem accepit & ad nos

usque descendit, debetur falsæ Veterum opinioni de vitæ Brassicæ adsita inerticula evadente. Omnem Brassicam inflare CELSUS rectissime monet; in universum, quo quævis ejus varietas est tenerior, eo citius digeritur, eo minus in primis viis moram agit & ad majorem corruptionis gradum ascendit; Botrytidis cimæ præ reliquis citius digeruntur, Gongylodes autem difficilius.

Brassica capitata, ratione inter Turcas quoque obtinente, solet condiri, & ita condita in cibum recipi; cum & sal & fermentatio olus attenuent, multum quoque aëris fixi inde expellant, hinc eam digestu faciliorem reddi, verosimile esse videtur.

Folia Brassicæ mammis solent imponi pro discutiendo lacte.

Brassicam ad usus medicatos adhibituri, nescio qua ex ratione, rubram recipere solent, ea ob vires abstergentes, quæ tantæ sunt, ut inde verrucas consumtas viderit PAULI, ad morbos pectoris pituitosos multo in usu est, nec male datur in principio ulcerum pulmonalium. LOBB. inde calculum vidit dissolvi. Concionatores & cantores ejus decocto cum Passulis frequenter uti ad arcendam raucedinem GEOFFROI monet, eadem hydropicum curatum adducit GRUBE. Brassicam muria conditam multum classiariis ab Illustr. LINNÆO commendari reperio.

* Semen Brassicæ rubræ exolevit.

Syrupus Brassicæ MESUE sapore suavi, odore ingrato gaudet, egregium ad morbos pectoris pituitosos remedium.

CAPPARIS, κάππαρις, *Capres.* Inde gemmæ florum ad usus culinarios, Cortices ad medicatos adhibentur.

Gemmæ virides sunt, pedunculo instructæ, variam habent magnitudinem, angulares, constant ex aliquot petalis, quæ rudimenta antherarum includunt, sapor ipsis est proprius & levis; adducuntur ad nos

aceto, ad morem a GEOFFROI indicatum, conditæ, ſenio viriditatem perdunt, quam peſſima ratione, ope æris, illis reddere vulgo audent. Exiguæ, Cubebis non majores, virides, pedunculo præditæ optimæ habentur.

Cortices deſumuntur a radice, variam longitudinem & craſſitiem habent, convoluti adduci ſolent, ſtriis transverſalibus & longitudinalibus notati, flavicantes & aliqua tenacitate inſtructi, odore nullo, ſapore leviter amaro, cum veſtigio acris gaudent.

CAPPARIS. Corolla gaudet tetrapetala regulari polyanthera, ſtylo unico, bacca carnoſa: *Spinoſa* L. BLACWELL 417. pedunculos ſolitarios & folia rotunda habet.

In Europa meridionali, Aſia & Africa creſcit: Toloſæ præcipue colitur, & inde gemmæ per Europam divehuntur.

Aqua cum corticibus cocta colore ex rufo citrino & leviſſimo ſapore acri inſtruitur, iidem dant Extracti rufeſcentis, ſalini $\frac{1}{2}$; reſinoſi, rufi, amaricantis $\frac{1}{16}$.

Gemmæ ſuas vires ab Aceto maxime habent, hinc præeunte GALENO non male tanquam condimenta aſſumuntur; obſervationes, quæ de earum efficacia ad morbos ſplenis occurrunt, ſuſpectæ ſunt.

GALENUS Cortices aperiendi ergo multum commendat & eos tam intus, quam extus adhibet.

Oleum de Capparibus DE DONDIS. Varia Diſpenſatoria varias ejus præſcriptiones habent; ad induratum hepar & lienem adhibetur.

CEPÆ, *κρόμμυα*, *Oignons*, *Zwieblen:* Exhibent radices & folia.

Radices ſunt bulboſæ, mox ſphæroideæ, mox utrinque compreſſæ, mox oblongæ, albæ vel rubræ, continent ſub aliquot tunicis ſiccis, carnem albam, quæ linguam, nares & oculos valide afficit.

Folia viridia ſunt & fiſtuloſa, ſapore & odore bulborum, ſed mitioribus.

Allium

Allium Cepa L ſtamina alterne trifida, & ſcapum nudum inferne ventricoſum habet, folia fiſtuloſa.

Patria ignoratur, apud nos variæ varietates copioſiſſime coluntur.

Allium fiſtuloſum L. ſtaminibus ſimplicibus, ſcapo foliis vix altiore & radicibus oblongis a priore differt. *Jacobs-Zwiebel.*

Ego a quatuor libris Ceparum cum abſtraxerim aquam, illam odoratiſſimam inde accepi, linguam non ferientem, cui nec guttula olei adhærentis innatavit, nec ex duodecim libris Ceparum NEUMANN aliquid ejus obtinuit, qui expertus eſt Cepas exſiccatas $\frac{3}{4}$ extracti ſpirituoſi, aquoſi autem $\frac{4}{5}$ circiter largiri.

Ratione compoſitionis & virium proxime ad Allia accedunt, quibus autem minorem acrimoniam habent; & odorem minus nauſeoſum.

Calidæ, æſtuoſæ, nullum alimentum corpori exhibentes, urinam moventes dicuntur HIPPOCRATI; inter nos albæ ad effectus pectoris maxime adhibentur, ad quem ſcopum duæ aut tres pro doſi, ex jure vitulino coctæ, exhibentur. LANZONIUS ſolo eſu ceparum aſciticum curatum vidit. Eædem ſub cineribus aſſatæ hypogaſtrio imponuntur pro pellenda urina, nec non abſceſſibus quibuſcunque maturandis.

CHÆROPHYLLUM, *Cerfeuil*, *Kærbelkraut.* Recipimus inde folia, quæ læte viridia ſunt, duplicato pinnata, pinnis parvis & integris & inciſis, oblongis, exigua ſpinula terminatis, ut plurimum ternis, ultima impari; ſuſtentantur folia petiolis convexo-planis, ſulco notatis: nervi foliorum hinc inde pilos habent; proprius & aromaticus odor & ſapor ipſis eſt. Noſtram herbam eandem cum illa Veterum eſſe dubito.

SCANDIX, flores umbellati, involucrum partiale, ſemina convexo plana, roſtrata. *Cerefolium* L. BLACWELL 236, ſeminibus lævibus, laciniis obtuſis agnoſcitur.

In Gallia Auſtrali, Helvetia, Suecia ſponte cre-

ſcere dicitur: annua planta, vulgatiſſimus noſtrorum hortorum hoſpes, ex ſponte cadentibus ſeminibus quotannis reſurgens, per ipſam hyemem durat.

Succus inſpiſſatus evidenter ſalinus eſt, leviſſime Chærophyllum ſapit; aqua & Spiritus vini, ſi cum herba digeruntur, ejus odorem & ſaporem recipiunt. Lewis. Parum Olei odorati, Extracti aquoſi $\frac{5}{12}$, reſinoſi fere totidem fovet Neumann.

Non tam alimenti, ſed potius condimenti loco ad cibos recipitur, cum appetitum excitet, flatulentiam & viſcoſitatem ciborum corrigat. Scopo medicato ſolida ſtimulando, & humores attenuando morbis a debili, muco, obſtructionibus oriundis egregie conducit. Geoffroi ejus ſuccum, quarta quaque hora aſſidue ſumtum, in qualibet hydropiſi, maxime proficuum eſt expertus, & eundem paulo ante paroxyſmum ad uncias ſex epotum, febres intermittentes profligaſſe aſſerit. Ad grumos ſanguinis poſt partum in utero hærentes poſt Schenck commendat Cranz. Erhardt, Illuſtr. Haller & Plenk viſcera inde reſerata fuiſſe obſervarunt. Diuturniorem ejus uſum tuſſim excitare & hinc hæmopticos ejus uſu interdicendos eſſe Geoffroi monet. Mammas induratas eo curavit Plenk. Paulli eodem ex butyro frixo & pectini impoſito iſchuriam ſanavit, abdomini impoſito & enemati commixto graviſſimam colicam; mos ab Eodem recenſitus idem extus ad cardiogmum infantum applicandi, etiam inter nos viget. Sugillatis, mammis induratis & hæmorrhoidibus cum ſucceſſu imponitur, herba, quæ per omnem annum recens haberi poteſt, & quæ exſiccatione vix non omnem virtutem perdit, ſemper recens adhibenda.

Aqua deſtillata omnino efficax eſt. * *Oleum deſtillatum* Wurtembergenſes habent. *Oleum coctum* a Chærophyllo nihil habet, quippe cujus virtus coctione in auras agitur.

Cichorium, κιχώριον, κιχώρη, πικρὶς, *Intubus*, *Ambubeja*, *Chicorée*, *Wegweis*. Inde recipiuntur radices & folia; flores & semina jure eviluerunt.

Radix fibrosa sub cuticula levissime fusca carnem & medullam albam includit, illam dulcem, hanc amaram.

Folia petiolis latis sustentantur, ex fine angusto latescunt, utrinque levissime hirsuta, viridia, amara, laciniis latis eundo crescentibus dentata, ad marginem notata.

Cichorium. Florem habet compositum ligulatum, calice ex duplici serie squammarum constante sustentatum, receptaculum paleaceum, semina dentibus coronata: *Intybus* L. Blacwell 177 & 183, caule glabro, floribus sessilibus, radicibus perpendiculariter sub terram descendentibus gaudet.

Crescit per omnem Europam.

Planta sylvestris in hortis culta omnes partes majores experitur, laciniæ foliorum minus profundæ sunt, minor ipsis foliis hirsuties, quæ etiam non raro aliquid purpuræ recipiunt; nostratibus *Hollændische Cichorien*, inde varietas, cujus radix & fola pulcherrime purpura variegantur, surrexit.

Pro usibus cibariis varietates hortenses, pro medicatis planta sylvestris adhibetur. Folia ad acetaria adhibenda terra obruendo, alba & dulcia reddere solent.

Coctione nihil perdit, plus Extracti aquosi quam spirituosi largitur, hoc præ illo linguam evidentius afficit. Lewis.

Cultura amaritie privata planta optime in cibum recipitur. Sibi relicta ob amartiem roborat & succo suo saponaceo spissis humoribus medelam affert, hinc variis in morbis refrigerantes effectus edit; foliorum assidue in acetariis comestorum usu diuturnas & contumaces febres profligatas vidit Geoffroi; decocto radicum melancholiam hypochondriacam Rhodius,

phtiſin HOYER, ulcus ſeroſum tibiæ HENNING. VAN SWIETEN ſolo decocto meraciore Cichorii icteros ſatis pertinaces curavit.

Aqua deſtillata NIC. PRÆPOS. Iners. * *Syrupus ſimplex* BAUDERON paratur ex ſucco. *Syrupus compoſitus* FLORENTINI; variæ ejus proſtant præſcriptiones; ſimpliciſſima eſt illa Wurtembergenſium, Noſtrates minorem rationem Rhabarbari, quam reliquæ admittunt. * *Extractum* efficax omnino. * *Conditum Radicum* VAL. CORD. * *Conſerva Florum.*

CINARA, κύναρα, *Artichaut*, *Cardon*, *Artiſchock.* Inde calix σπόνδυλος GALEN. *Archiocco* Italorum, & petioli cum coſtis menſis noſtris apponuntur.

CYNARA. Flores compoſitos tubuloſos, calice imbricato, ſpinoſo, & carnoſo ſuſtentatos habet receptaculo ſetoſo gaudentes, ſemina tetragona, piloſa. *Scolymus* L. BLACWELL 458. foliorum nervo anguſtiore, foliis inermioribus, pinnatis & integris diſtinguitur. *Dracunculus* L. foliis omnibus pinnatifidis & nervo foliorum latiore gaudet.

Utraque in Europa & America meridionali nec non Syria creſcit, varias varietates produxit, in hortis colitur, apud nos per hyemem contra frigus defendenda eſt, altero demum a ſatione anno floret. Primæ ſpeciei calices, menſe Majo prodire cœperunt; alterius folia, quæ prodit autumno, antequam cauleſcat, ligantur & contra lucem defenduntur, ut alba & dulcia evadant.

Calices, reſecta ſquammarum parte non eduli, cum aqua cocti, eam virideſcentem & leviſſime ſapidam reddunt, $\frac{4}{7}$ circiter Extracti aquoſi largiuntur.

Calicum primæ ſpeciei antequam flores excludunt receptacula, & ſquammarum baſis edulia ſunt, proprium & illum non fortem ſaporem habent; varietas ab Hiſpania denominata, cujus calices parvi ſunt, conoïdei, rubri, ſuaviſſima ad acetaria reputatur.

Petioli & coſta, ablatis ſpinis, de Cinara carcunculo adhibentur, varietas a Turonio Galliæ denominata, pinnis anguſtioribus & copioſioribus ſpinis inſtructa præfertur. Etiam Cinaræ Scolymi L. coſtas edules eſſe, hodie conſtat.

A vegetabili tenero & dulci cur GALENUS melancholiam metuat, ego ſaltem non video, tam calices, quam nervos foliorum digeſtu faciles eſſe, innumeræ obſervationes evincunt, urinam inde fœtidam reddi experientia non confirmat. Decoctum radicis in gonorrhæa proficuum vidit LANG. Succus foliorum cum paribus Vini Maderenſis partibus mixtus, & ad tria cochlearia mane & verſus veſperam aſſumtus, tanquam ſpecificum contra hydropem laudatur in *Journal Etranger.*

DAUCUS, δαῦκος, *Carotta*, *Carottes*, *Vogelneſt*, *gelbe Rüben*, *Mœhren.* Inde deſumuntur radices & ſemina ex ſpecie vulgari, aliud ſeminum genus ex propria planta.

Radices fibroſæ ſunt pro varia varietate albæ, luteæ, rubræ, proprio gaudent aromatico odore, & ſapore multum dulci.

Semina *Vulgaris* ſunt convexo plana, altera facie ſtriis rigidis, quæ ſingulæ pilis rigidiuſculis albis obſidentur, notata, fuſca, ſapor eorum eſt evidenter aromaticus, cum quadam amaritie.

Semina *Dauci Cretici* cylindracea ſunt, vix ſtriata, villoſa, ſapore antecedentibus ſimili, ſed evidentiore inſtructa.

DAUCUS. Flores umbellatos habet, utroque involucro, quorum laciniæ diviſæ ſunt, ſuſtentatos, ſemina hiſpida: *Carotta* L. Umbella ad baſin uſque diviſa gaudet.

Creſcit per omnem Europam; varietates hortenſes floſculo centrali purpureo ſterili carent.

ATHAMANTA flores umbellatos ſiſtit utroque in-

volucro, cujus laciniæ integræ ſunt, inſtructos & ſemina villoſa, *Cretenſis* L. BLACWELL 471. minus bene; pinnis linearibus, hirſutis diſtinguitur.

In montibus Helvetiæ, Auſtriæ, Galliæ Meridionalis creſcit.

Utrumque ſemen aliquid Olei odorati largitur, Extractum aquoſum amaricat, reſinoſum fortem ſaporem, exiguum autem odorem habet. LEWIS.

Daucum & Paſtinacam Veteres videntur confudiſſe. Radices bonum alimentum largiri & ex earum ſapore eſt evidens & experientia evincit, licet ſecus videatur GALENO, qui flatus inde gigni, recte monet; diureticæ quoque vires ab iis non male expectantur; reſolvendi ergo ab HIPPOCRATE adhibebantur. *Berliner Sammlungen* radicum & ſeminum vires ad nephritidem calculoſam, obſervationibus ex variis novellis collectis, probant. In *Journal de Medecine*, *Obſervations by a Society of Phyſicians* & Illuſtr. RICHARD *Recueil d'Obſervations* multæ exhibentur obſervationes de radicum, cum aqua in cataplaſma reductarum, egregiis effectibus ad ulcera cancroſa.

Semen utrumque a vi carminativa & diuretica laudatur, quam ultimam etiam obſervationibus HELMONTIUS probat.

DRACUNCULUS Barbar. *Eſtragon*, *Dragun*, *Kayſer Sallat*. Inde in uſum trahuntur folia, quæ anguſta ſunt, oblonga, integerrima, acuta, atro viridia, ſapore grato, acri, aromatico inſtructa.

ARTEMISIA. Flores habet compoſitos tubuloſos, calice imbricato ſuſtentatos & receptaculo nudo, ſemina quoque nuda.

Dracunculus L. BLACWELL 116, foliis integerrimis & glabris diſtinguitur.

In Aſia ſeptentrionali ſponte creſcit; apud nos in hortis colitur, perennis.

Ad embammata & acetaria inter nos multum re-

cipitur tam gratiæ ergo, quam ad juvandam digeſtionem.

* *Acetum* odore & ſapore gratiſſimum.

ENDIVIA, *Scariola* Barbar. σέρις ἥμερος, *Intubus Sativus*, *Chicorée blanche*, *Endivie*: inde recipimus Folia, quæ pro varia unde deſumuntur varietate, ſive lata ſunt & ſinuata, ſive anguſtiora & in tenuiores lacinias diviſa, non raro criſpa. ſucco lacteo turgent, amaro multum ſapore gaudent, quo ad uſus culinarios recipienda privantur, dum ſive vinculis colligun-tur, ſive terra obruuntur, uſque dum alba evaſerint.

* Semina a Scariola denominata, & quatuor frigidis minoribus annumerata, eviluerunt.

Cichorium Endivia L. BLACWELL 378 floribus pedunculatis & radicibus horizontaliter ſub terra repentibus diſtinguitur.

Sponte in Palæſtina dicitur creſcere, annua planta, apud nos in hortis colitur; menſe Junio folia adoleſcunt & per omnem æſtatem & autumnum vigent.

Cum Cichorio ratione virium convenit, folia magis ſucculenta, etiam efficaciora ſunt.

* *Aqua deſtill.* NIC. PRÆP. iners.

FUNGUS, Μύκη, *Champignon*, *Schwamm*. Eſt vegetabile nihil herbacei excludens, nec filamentoſum, nec cruſtoſum, a conſiſtentia muci ad eam, qua lignum gaudet, aſcendens.

AGARICUS. Pilei ſuperficiem inferiorem lamellatam habet: *Campeſtris* L. *Champignon* ſtipite gaudet, pileo convexo & integro, lamellis integris; odorem proprium non ingratum habet; per æſtatem & autumnum copioſe occurrit, copioſe quoque in hortis colitur. Interdum etiam adhibent alios, qui ſunt *fungi verni*, *Moucerons* dicti J. B. *Dornſchwamm* avellana non majores, toti albi, petiolo rugoſo, pileo convoluto, proprio & grato odore & ſapore inſtructi. Primo vere in Germania, Gallia, Italia, Boruſſia occurrunt.

PHALLUS. Subtus glaber eſt, ſuperne callis reti-

culatus, *Eſculentus* L. *Morille*, *Morchel* ſtipitem latum, planum, rugoſum habet, pileum nulla volva tectum, recens ochroleucus, exſiccatus gryſeus, ſapore gaudet fatuo, odore proprio.

In omni Europa, præter maxime ſeptentrionalem, occurrit.

Tuber, ὕδνον, *Trufle*. Parum a figura rotunda recedit, fuſcus, extus ſquammis aſper, intus ſubſtantia fuſca lineis albis variegata gaudet, odoris & saporis aromatici, magnitudinis variæ. Eſt *Lycoperdon*, quod figuram ſubrotundam habet, *Tuber* L. apice non dehiſcens & radice carens. Occurrit in tota Europa, autumno demum ſapidum fit & odorum. Veteres tubera immatura recepiſſe videntur.

Phalli exſiccati dederunt $\frac{7}{16}$ Spiritus urinoſi, $\frac{1}{16}$ Olei empyreumatici, $\frac{1}{3}$ Carbonis.

Tubera recentia perparum Olei limpidiſſimi & fragrantis, ſpiritum urinoſum & ſalem volatilem exhibuerunt.

Minus bonum alimentum fungos præbere, poſt Galenum omnis ſemper Medicorum ſchola contendit; nec a cibo facillime in putredinem ruente, & cujus ſtructura adeo evidenter ab illa, qua noſtra alimenta gaudent, recedit, bonam nutritionem exſpectamus. Cum præterea multa dentur fungorum pernicioſorum genera, quæ facile pro eſculentis poſſunt aſſumi, hinc cautiſſime circa fungos in cibum recipiendos verſandum eſt. Tubera ob oleum odoratum, quo ſcatent, fibras primarum viarum irritant & motum fluidi nervei incitant, hinc aphrodiſiacæ ab illis exſpectantur vires, languentes & decrepitos inde juvari Wolff eſt expertus.

Lactuca, θρίδαξ, θριδακίνη, *Laituë*, *Lattich-Sallat*. Inde recipiuntur folia tenella, quæ colore, magnitudine, figura &c. plurimum variant, in planta

adulta, quæ caulem producit, amara sunt & lacteo succo turgent.

* Semen oblongum est, utrinque acutum, sub cuticula leviter flavicante paucam medullam albam & dulcem includit.

LACTUCA. Flore composito ligulato, calice cylindraceo, receptaculo nudo & seminibus pappo stipitato coronatis gaudet: *Sativa* L. BLACWELL 88, foliis rotundis & lævibus distinguitur.

Plantæ, a vetustissimis retro temporibus in hortis satæ, originem ignoramus, numerosissimas varietates colimus: hæc ad duo genera reducuntur, quorum unum, folia in caput plus minus rotundum colligit: *Lactuca rotundicaulis*, *Laconica*, *Astylida*, *Eunuchion*, *Laitue pommée*, *Kopf-Sallat*; alterum folia in meditullio, in formam oblongam, coïre cogit *Romana* CRESCENT. *Chicon*, *welscher Sallat.* A primo vere ad hyemem usque nostri horti mensis Lactucas exhibent.

Frigidam esse & imbecillitatem corpori afferre HIPPOCRATES monuit, optimis cibis eam GALENUS adscribit, tenerum olus digestu facile esse & tenue alimentum præbere, liquet omnino, illud cum non in modum plurimorum ex reliquis oleribus, flatus gignat, somnumque turbet, somnum inde excitari putarunt Veteres & ipsi vires refrigerantes adscripserunt. GALENUS in se ipso somnum illud conciliare expertus est, malum hypochondriacum ejus esu curatum viderunt LANZONIUS & GEOFFROI.

Semen cum paucissimum medullæ vehat, hinc hodie eviluit, olim quatuor frigidis minoribus adscriptum.

* *Aqua destill.* VAL. CORD. iners.

LACTUCA AGNINA, Barb. *Valerianella*, Barb. *Locusta*, Barb. *Mâche*, *Blanchette*, *Rebkressen.* Sumimus inde Folia, quæ ex basi angusta in finem latio-

rem & obtuſum educuntur, leviſſime crenata, læte viridia, ſapore grato auſteriuſculo inſtructa.

Valeriana. Corollam quinquefidam irregularem, ſtamina quatuor pauciora, ſtylum unicum, fructum non dehiſcentem habet: *Locuſta Olitaria* L. flores triandri, caulis dichotomus.

Communis per omnem Europam, maxime ſeptentrionalem ſi excipis, planta, etiam in agris & hortis colitur, unde majora & craſſiora folia accipit. Annua & per hyemem perſtans.

Aquæ, cum qua coquitur, ſuum ſaporem impertit, eam leviſſime modo tingit, $\frac{1}{19}$ Extracti aquoſi largitur.

A Recentioribus demum in uſum tracta, digeſtu facilis eſt, & reſolventes vires habere videtur.

* Lepidium, non λεπίδιον Græcorum, *Paſſerage*, *Pfefferkraut*: inde recipiuntur folia, quæ longa ſunt & mediocriter lata, ſerrata, in acumen deſinentia, ſapore evidenter acri inſtructa.

Lepidium. Corolla cruciformi, calice quadrifolio ſuſtentata, ſilicula compreſſa, non marginata, ſtylo inſtructa gaudet: *Latifolium* L. Blacwell 448. foliis latis diſtinguitur.

In Gallia, Anglia & Helvetia ſponte provenit, noſtris hortis moleſtiſſima planta, cum ejus radices inſigniter repant.

Danorum mos a Pauli recenſitus, quo illud ad intinctus recipiunt, etiam apud nos obtinet; ad quos appetitum excitando, humores attenuando, digeſtionem promovendo eximie conducit.

* *Aqua deſtill.* Pariſ.

Lupulus Mesue, *Lupus Salictarius*, Plin. *Houblon*, *Hopfen*. Inde turiones & ſtrobuli ad alimentarios æque ac medicatos uſus recipiuntur. Turiones parvi & graciles ſunt, exiguis nodis diſtincti; anguloſi, extus ſubrufi, intus albi, ſapore amariuſculo, qui aliquid aromatici habet, inſtructi.

* Strobuli efformantur a squammis flavescentibus, laxis, uni communi axi affixis, odorem spirant aromaticum, saporem aromaticum & amarum habent.

HUMULUS L. BLACWELL 536. Planta relativa diphyta; mares corollam quinquepetalam isantheram habent, feminæ in amentum seu strobilum collectæ monopetalæ, digynæ, unum semen concludunt.

Per omnem Europam copiosus, in Anglia, Belgio & Germania colitur. Turiones primo vere, strobili autumno colliguntur.

Aqua cum turionibus infusa roseum colorem induit & Extracti salini $\frac{1}{5}$ inde recipit.

Spiritus vini æque ac aqua principia strobilorum extrahunt, utrumque Extractum cum aromate amarum est. LEWIS.

Turiones, quos nos tanquam olus recipimus, cum evidentiorem quam Asparagi saporem habent, eis etiam scopo maxime humores attenuandi, præferendi esse videntur, eosdem non male ad juscula medicata aperientia recipimus.

Strobili amaritie sua & aromate primas vias roborant, humores resolvunt, obstructa reserant, solida stimulant & urinam movent.

Eos extus applicatos ad discutiendos humores & dolores multum facere observat PAULI.

* *Extractum* Paris. quod est succus inspissatus.

NASTURTIUM, *κάρδαμον*, *λεπίδιον*, *Kresson*, *Kressen*. Ejus quadruplex genus in usum recipimus *Hortense* nimirum, *Aquaticum*, *Sylvestre* & *Indicum*. *Hortensis* folia angusta sunt, oblonga, obtusa, irregulariter & profundius dissecta, pallide viridia, sapore acriusculo, cui aliquid amaricantis accedit, instructa, ad semina odorem acrem spirant; Semina sunt oblonga, glabra, rufa, sapore oleoso non multum acri instructa.

Lepidium Sativum L. BLACWELL 23. foliis difformiter sectis instruitur.

Planta annua per longe maximam anni partem in hortis colitur.

Ad eosdem scopos ac Dracunculus & cum eodem effectu adhibetur. PARÉ hæc folia cum Axungia Porci subacta multum ad tineam commendat. * Semen HIPPOCRATES & GALENUS resolvendi & excretiones aquosas promovendi ergo in usum receperunt; & extus rubefaciendi scopo.

* *Aqua destill.* VAL. CORD.

Nasturtium Aquaticum, καρδαμίνη, σίον, *Cresson d'eau*, *Brunnkressen*, recipiuntur folia cum cauliculis, quæ sunt impari pinnata, pinnis rotundis leviter incisis, sapore acri, amaricante, odore proprio & sapore analogo gaudent, cauliculi cavi, sulco longitudinali distincti.

SISYMBRIUM. Corolla cruciformi, calice non deorsum gibbo sustentata, siliqua tereti, parvo stylo notata gaudet, *Nasturtium Aquaticum* L. BLACWELL 260. pinnis rotundatis distinguitur.

Crescit ubique, in Germania quoque coli cœpit.

Ejus principia activa, tam ab aqua, quam a Spiritu vini extrahuntur, utrique etiam menstruo inde abstracto accrescunt, a planta exsiccata absunt, extractum aquosum salinum est, Oleum odoratum recens vegetabile fundit LEWIS.

Tanquam condimentum, ut antecedens, adhibetur. Scopo medicato multum a GALENO ad calculum laudatur, cui RIEDLIN, GRUGER & ZWINGER observationes suffragantur; ejus vires multum attenuantes in dolore ventriculi gravativo RIEDLIN; in morbis pulmonum MUSCHEL DE MOSCHAU & ZWINGER, in caro FORESTUS sunt experti. Ad scorbutum, præeunte EUGALENO, ab omnibus laudatur. Adjicitur jusculis manipulus illius, succus inde expressus ad uncias quatuor pro dosi datur.

* *Aqua destill.* VAL. CORD. parum efficax. * *Syrupus e succo* LEMERY. * *Conserva.*

* SYLVESTRE, κοραvόπες, *Cresson sauvage*, *Feldkressen.* Folia habet longa, laciniis angustis pinnata, sapore prioribus proximum est.

Cochlearia Coronopus L. BLACWELL 120, foliis pinnatifidis agnoscitur, Vulgaris per Europam.

Olim recipiebatur ad acetaria, hodie eviluit, illi cum ratione foliorum similis sit *Plantago Coronopus* L. hinc hunc interdum ad acetaria solent recipere, inertem & insipidum.

Nasturtium Indicum, *la Capucine*, *Capucinerlein:* recipiuntur gemmæ florum nondum apertorum & flores ipsi.

* Gemmæ virides sunt, sapore gaudent leviter aromatico & odore, qui ad fructus Rubi Idæi accedit.

Flores ex fundo conoideo, qui cum cucullis Capucinorum solet comparari, in quinquepetala ciliata terminantur, colore sive aurantio sive luteo gaudent, odore proprio, sapore acriusculo.

TROPÆOLUM. Corollam quinquepartitam irregularem habet, simili calice sustentatam, stamina octo, stylum unicum, fructum carnosum, irregulariter angulatum: *Minus* L. foliis integris & petalis acuminatis distinguitur.

Sponte in America meridionali crescit, inde a MONARDES in Europam allatum, hodie ubivis hortos ornat; per omnes æstatem & autumnum flores excludens.

Flores non evoluti, cum carne comeduntur aceto conditi, & gemmis Capparidis ob majorem gratiam & evidentius aroma omnino præferendi videntur; evoluti acetariis admiscentur; eos contra scabiem malignam insigniter facere PAULI annotat.

Aqua a floribus destillata odore acri nares ferit. CARTHEUSER.

PASTINACA, σταφυλῖνος, *Panais*, *Pestnægel*: inde radices in cibarios, semina in medicatos usus recipiuntur.

Radices figura ad Daucum accedunt, carne magis laxa instructæ, albæ, proprio odore & sapore, cui præter dulcedinem etiam aliquid aromatici accedit; gaudent.

* Semina flavicant, odorem plantæ habent, saporem evidenter acrem & aromaticum.

Pastinaca flores habet umbellatos, involucro nullo sustentatos, semina plana, elliptica, marginata, striata *Sativa* L. BLACWELL 379. foliis simpliciter pinnatis distinguitur.

Passim per Europam crescit; cultam, quæ omnia majora habet, neutiquam ex sylvestri surgere observavit MILLER.

Radices oleum odoratum fundunt, Alcohol inde extractum dulce sistit: semina $\frac{1}{640}$ olei odorati mediocriter acris exhibent, extractum eorum tam aquosum quam spirituosum acre & amarum est, LEWIS. Radices $\frac{1}{8}$ extracti aquosi exhibent, KESSELMEYER. Saccharum ex radice obtinuit MARGGRAFF.

Ratione virium ad illas, quas Daucus habet videtur accedere. Si unquam radicum annosiorum esum morbi phantasiæ secuti sunt, ut post REBECQUE varii Auctores observationibus probare contenderunt, illi sive radicibus Cicutæ pro radicibus Pastinacæ assumtis, sive aliis causis debentur, radices saltem Pastinacæ cum annotinæ jamjam lignescant, nemo pro olere assumsisse videtur.

PETROSELINUM, πετροσέλινον, *Persil*, *Petersilien*.

Radices fibrosæ sunt, sub flavicante cuticula includunt carnem albam, sapore dulci, cui aliquid acriusculi accedit instructam.

Folia insident petiolis sulcatis, duplicato pinnatis, pinnis & integris & incisis, ternatis, omnibus acutis,

ſunt glabra, ſapore aromatico proprio ſimilique odore inſtructa.

* Semina convexo plana ſunt, oblonga, profundius ſtriata, ſapore leviter mordicante, minus ſuavi gaudent: illa ſemina quæ a Macedonia denominantur his ipſis ſimilia ſunt, leviter hirſuta, evidentius aromatica.

Apium Petroſelinum L. BLACWELL 172 pinnis acutis diſtinguitur.

Fide COLUMNÆ in Sardinia creſcere dicitur, ſed non exſtat in Indice PLAZÆ. Copioſe cum ſuis varietatibus apud nos colitur.

* Semina Petroſelini Macedonici largitur *BUBON* quod flores umbellatos habet, involucro utroque ſuſtentatos, ſemina ſtriata, pilis mollibus ornata, *Macedonicum* L. BLACWELL 382 foliis ovatis & crenatis diſtinctum. Orienti indigena planta, Seculo XVI ex Macedonia in Italiam allata.

Ex radicibus Alcohol omne actuoſum extrahit, reſinam dulcem efformat, $\frac{1}{12800}$ Olei odorati ſpiſſi largiuntur, herba $\frac{1}{25600}$, ſimilis Olei, ſemina $\frac{1}{16}$ Olei odorati in aqua fundum petentis, eadem parum virium aquæ impertiunt, reſina inde parata mordax eſt & amara. LEWIS.

Recentiores demum Petroſelinum in uſum receperunt; ad vires Apii accedit. * Semen monente GALENO, humores incidit & commovet, urinam quoque pellit, herbæ ad tuſſim effectus FORESTUS obſervavit; radicem autem ad expellendas variolas facere obſervavit Illuſtr. DU HAMEL. Folia mammis impoſita lac diſcutere A CASTRO & WELSCH viderunt.

* *Aqua* VAL. CORD. melius ſecundum Pariſinos a ſeminibus abſtrahitur.

PIMPINELLA, Barb. *Sanguiſorba*, Barb. *Pimprenelle*, *Pimpernell.* Folia pinnata in uſum recipiuntur,

nervo hirſuto notata, margine profundius crenato, ſapore nullo proprio inſtructa.

Poterium. Planta relativa diphyta corollis quadrifidis, calice triphyllo ſuſtentatis, ſive polyantheris ſive digynis, capſula diſperma gaudet; *Sanguiſorba* L. BLACWELL 413 habitu inermi & caule ſubanguloſo diſtinguitur.

Non ultra Saxoniam aſcendit.

A vi leniter roborante laudatur, olim hæmoptycis multum commendabatur, hodie ad acetaria recipitur aut juſculis vernalibus adjicitur.

PORRUM, πϱάσον, *Porreau*, *Lauch*: ejus duplex genus culinæ noſtræ recipiunt, unum, quod folia longa, plana, profundius viridia, odorem proprium, ſaporem reliquis cepaceis mitiorem & cui etiam aliquid dulcis accedit, habet; alterum Recentiores *Schœnopraſum*, *Schnittlauch*, præeunte DODONÆO, appellant, ſunt illi folia fiſtuloſa ſive juncea, odor & ſapor priori magis mordicantes, reliquis cepaceis mitiores.

Allium Porrum L. BLACWELL 421 caulem foliaceum habet, ſtamina alterna trifida, & radicem ſolitariam.

Patria ignoratur.

Allium Schœnopraſum L. ſcapum nudum, folia fiſtuloſa, ſtamina ſimplicia habet; in Alpibus Helveticis; Tyrolenſibus; Hercynicis; Oelandicis, occurrit, apud nos in hortis colitur.

Ejus varietas foliis craſſioribus & majoribus *Ciboule*, etiam a noſtratibus ſeritur.

Prius tanquam olus coquitur, alterum tanquam condimentum ad embammata recipitur.

Vires ad cepaceas accedunt; vocem claram inde reddi poſt ARISTOTELEM plures monuerunt, diureticum HIPPOCRATES monuit & ejus vires contra calculum obſervatione probavit, id quod quoque LOBB experimenta confirmant.

PORTULACA

PORTULACA, Ανδράχνη, *Pourpier*, *Burzel*: Exhibet folia, quæ rotunda ſunt, inferne angulata, craſſa, viridia, multo ſucco ſcatent, ſaporis & odoris nullius.

* Semina exigua ſunt, nigra, ſapore oleoſo inſtructa.

PORTULACA. Corollam pentapetalam habet, calice quinquefido ſuſtentatam, polyandram, monogynam, capſulam polypyrenam *Oleracea* L. BLACWELL 287 foliis cuneiformibus diſtinguitur.

In Saxoniam uſque aſcendit, in hortos translata ſucculentior fit & ſuavior.

Planta ſucco aquoſo & ſaponaceo gaudens aperientes, demulcentes, refrigerantes vires edit, obſervante GALENO, ad ſcorbutum quoque commendatur. Semina, quæ refrigerantibus minoribus adſcribebantur, eviluerunt, ab HIPPOCRATE emenagogis adſcripta.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. Iners. * *Syrupus* SCHROED.

RAPA, *Rapum*, γογγύλη, *Rave*, olim *Navet*, *Navau*, *Rübe*, hoc nomine veniunt radices rotundæ, aut fere totæ cylindraceæ, illæ autem, quæ propius ad figuram fuſiformem accedunt NAPI, βυνιάδες, *Steck-* vel *Stückel-Rüben*, noſtratibus *Franzœſiſche Rüben* audiunt.

Rapæ totæ rotundæ parvam caudam emittentes olim feminæ appellabantur, oblongæ autem mares, multæ earum porro varietates occurrunt, tam ratione coloris, quam magnitudinis differentes; omnibus odor proprius eſt, ſapor, antequam adoleverint, amarus, ſed dulciſſimus in adultis.

Braſſica Rapa L. BLACWELL 231, ſtylo ſuperſtite majore & foliis caulinis dentatis agnoſcitur.

Belgio & Angliæ indigenæ plantæ, varietates apud nos in agris & hortis coluntur.

Extractum aquoſum inde paratum flavicat, Raparum odorem non habet, ſubdulce eſt, & radicum quartam partem æquat. LEWIS.

Optimum pabulum inde brutis ſurgere vulgaris experientiæ res eſt, qua etiam conſtat, earum ſaporem & in lac & in carnes animalium, quæ eis veſcuntur, tranſire, homines inde quoque aluntur, eaſdem longiorem coctionem requirere, ut flatulentiam exuant, obſervavit GALENUS; ob vim evidentem ſaponaceam in morbis, ubi reſolventia indicantur, multum conducunt, morbis nimirum pectoris & faucium, obſervantibus LANZONIO & KETELAER, hydropi præterea, atrophiæ, renibus muco obſeſſis.

Externum ad perniones uſum jam CELSUS refert.

Radices Napi ad variam magnitudinem ſolent aſcendere, inter nos cultæ ad pedis longitudinem perveniunt, non raro etiam quatuor pollicibus craſſiores, ſub cuticula nigricante carnem albam, quæ nucleorum dulcedinem linguæ imprimit, includunt, cui autem evidenter aliquid acris accedit, cæterum odor Raparum.

* Semen *Rübſaamen*, *Rebs*, *Levat*, *Colſat* rotundum eſt, ſub cortice modo fuſco, modo rufo nucleum album, multo oleo turgidum includit, inodorum, nec gratum, nec nauſeoſum.

Ultra $\frac{1}{3}$ Olei unguinoſi limpidi inodori & inſipidi inde obtinui.

Deſumitur a varietate, quæ habitu magis glauco, foliis anguſtioribus, radicibus minoribus & gracilioribus inſtructa eſt.

Braſſica Napus L. BLACWELL 410 foliis ſeſſilibus lyratis, caulinis amplexicaulibus integris diſtinguitur.

Creſcit in littore maris ſeptentrionalis Europæ, unica adhuc dum ejus varietas pro uſibus cibariis inter nos colitur. Germani Teltavienſes Marchicas & Bavaricas maxime laudant. Galli Vaugirardienſes & Freneſenſes.

Cum Rapis ratione virium conveniunt, inter nos juribus ad affectus pectoris ſolent adjici.

Semen venenis mederi Veteres tradiderunt, hinc in officinas receptum eſt, ſed non videtur aliquid proprii præ aliis ſeminibus oleoſis habere.

* *Syrupus.* Parif. *Oleum* ex feminibus expreffum, quod vulgo proftat, cum multum calorem paffum fit fub expreffione, flavum & fapore & odore minus gratum folet effe, multum a noftratibus ad lucernas adhibetur.

RAPHANUS, ῥάφανος, ῥαφανὶς, *Radicula*, *Radis*, *Rave*, *Rettich:* Semen, quod Veteres βάκανον appellaverunt, hodie eviluit: Radices fibrofæ pro varia varietate, magnitudine, colore, figura, acrimonia differunt, proprio odore & fapore acri gaudent.

RAPHANUS, Corollam tetrapetalam regularem, calice tetraphyllo fuftentatam, filiquam oblongam feminibus eminentibus diftinctam habet: *Sativus* L. BLACWELL 81, filiquis glabris & bilocularibus diftinguitur.

In China dicitur fponte crefcere, numerofæ ejus varietates inter nos coluntur.

Vires Armoraciæ edit, fed debiliores, non male tanquam condimentum cibis adjicitur, fed flatulentum effe experientia evicit, fuccum intus datum in fpiffitudine mucofa egregiam opem attuliffe, obfervavit SCHROECK. Rubefaciendi ergo plantis pedum interdum applicatur.

* *Aqua* VAL. CORD.

* RAPUNCULUS Barb. *Raiponce*, *Rapunzel*: hoc nomine veniunt radices digito minimo anguftiores, albidæ, fapore dulci inftructæ.

Variarum plantarum genus hoc nomine culinas folet ingredi, earum nulla inter nos colitur, fed noftrates hoc nomine recipiunt radices *PHYTEUMATIS* corolla quinquefida recurva; calice quinquefido fuftentata, ifanthera, monogyna & capfula multiloculari inftructi, *Orbicularis* L. capitulo rotundo & foliis ferratis gaudentis, & *Spicati* L. quod capitulo oblongo diftinguitur: Europæ temperatæ civium: nec non ŒNOTHERÆ corolla tetrapetala calice quadrifido fuftentata, diplofanthera, fructu tetragono & quadriloculari gaudentis: *Biennis* L. foliis ovato lanceolatis,

dentatis, glabris, caule tuberculato præditæ, superiori ſeculo ex Virginia allatæ, nunc per Europam, præter ſeptentrionalem, ſpontaneæ.

SCORZONERA Barb. *Scorzonere*, *Scorzoneren.* Culinas æque ac officinas ingrediuntur Radices, quæ longæ ſunt, fibroſæ, pollicaris ut plurimum craſſitiei, cuticula nigra obductæ, ſub qua ſubſtantia alba, proprio ſapore dulci inſtructa, & quæ diffracta lac fundit, continetur: hæ radices, ablata inde cuticula, exſiccatæ in officinis aſſervantur, extus ruſæ, intus albæ, fere inſipidæ.

SCORZONERA. Flores compoſitos ligulatos, calice imbricato & receptaculo nudo ſuſtentatos, ſemina pappo ſeſſili coronata habet: *Hiſpanica* L. BLACWELL 406 caule ramoſo, foliis amplexicaulibus & ſerratis diſtinguitur.

Hiſpaniæ, Siberiæ & Corſicæ civis, medio Seculi XVI. in uſum recipi cœpit; primum a JOHANNE ODORICO MELCHIORIO memorata, inter nos copioſe colitur; radices primo aut altero a ſatione anno in uſus cibarios recipiuntur, trimæ vel quadrimæ ad medicatos.

Extractum tam aquoſum, quam ſpirituoſum dulce eſt, prius radicis dimidiam, alterum tertiam partem æquat. CARTHEUSER & LEWIS.

Ad uſus medicatos primum recepta radix, demum ſuperiore ſeculo ad culinarios aſſumta fuit, tenera, ſaponacea, dulcis omnino egregium cibum eſſe apparet, apud debiles flatus excitare obſervatur, ad morſus ſerpentum commendata, inde quoque denominata, contra morbos malignos, a veneno quippe oriri creditos, diu uſurpabatur, ſed experientia medicamentum falſa theoria nixum, nunquam confirmavit; reſolvendi ergo ad ſpiſſos humores attenuandos facit omnino, viſcera abdominalia inde reſerari, PAULI confirmat.

Succum ad abſtergendas corneæ maculas ſolent adhibere.

Aqua destill. SCHROED. plane iners. * *Extractum* efficax omnino. * *Conditum* SCHROED.

SISARUM nequaquam σίσαρον vel Siser Veterum, *Chervi*, *Zuckerwurzeln* inde recipiuntur ad usus culinarios Radices tuberosæ, quæ oblongæ sunt, teretes, circulis distinctæ, quarum plures capitulis cohærent, includunt sub cuticula flavescente carnem albissimam, spongiosam, admodum dulcem, cui aliquid aromatici ad Petroselinum accedentis commixtum est.

SIUM. Corolla umbellifera gaudet, involucro utroque sustentata, & seminibus ovatis convexo planis, striatis: *Sisarum* L. foliis floralibus ternis distinguitur. Patria ignoratur, apud nos in hortis, sed minus frequenter quam alia olera, colitur.

Radices tenerrimæ vix coctionem admittunt, quin dissolvantur: Saccharum inde paravit Illustr. MARGGRAFF; aquam coctione levi flavedine tingunt, protracta coctione aroma perdunt, evidenter salino sapore linguam feriunt, Extracti aquosi $\frac{1}{4}$ largiuntur.

Radices teneræ & dulces omnino tanquam egregius cibus commendandæ sunt, cum etiam istas aroma, quod habent, primis viis valde acceptas reddat.

SPINACHIA Barbar. *Epinars*, *Binetsch*, nostratibus *grün Kraut.* Folia inde recipimus, quæ ex ovatis rotunda sunt, ad basin hastata, appendicibus rotundis, utrinque viridia, sapore levissimo instructa.

SPINACIA planta relativa diphyta, mares quinquefidi, isandri, feminæ quadrifidæ, isogynæ; semen unicum nudum: *Oleracea* L. BLACWELL 49 fructibus sessilibus agnoscitur.

Planta annua, quæ autumno sata, per hyemem viget, ex Hispania in nostros hortos venit, primi Arabes ejus mentionem fecerunt.

Folia Spinachiæ aquam, cum qua coquuntur, non tingunt, eandem autem protracta coctione dulciuscu-

lam reddunt, edunt $\frac{1}{4}$ Extracti aquosi adeo salini ut & crystalli in ipso possint distingui.

Cum huic oleri, dum illud ad usus cibarios praeparant, multum semper butyri soleant adjicere, hinc primae viae apud non paucos inde debilitantur, alvus solvitur, interdum quoque nausea excitatur, ergo minus bene olim illis, quibus debilis ventriculus est, laudabatur.

TRAGOPOGON, τραγοπώγον, *Serfifi*, *Salsifi*, *Haberwurzeln*, *Artifisen* Radices exhibet fibrosas, Scorzonerae figura, magnitudine, crassitie similes, sub cuticula flava albam carnem includentes, lacteum succum fundentes, Scorzonera magis, Sisaro minus dulces.

TRAGOPOGON Flores compositos, calice simplici & receptaculo nudo sustentatos habet, atque semina pappo stipitato coronata: *Porrifolium* L. calice corolla longiore & foliis integris, strictis, glabris distinguitur.

In Europa Meridionali & Anglia sponte crescit, apud nos in hortis colitur, radix plantae, quae floruit, lignosa est.

Radix vetustioribus abhinc temporibus mensis apponitur, cum Scorzonera viribus conveniens, qua tamen magis flatulenta observata est.

* TARAXACUM Barb. *Dens Leonis* Barb. *Pissenlit*, *Pfaffenröhrlein*, *Seichblumen*: interdum in usus cibarios recipiuntur folia tenella, primo vere erumpentia, oblonga, pallidius viridia, majoribus dentibus dissecta, leviter amara, lac fundentia: ad usus medicatos autem adhibent scapos teneros, lacte leviter amaro turgentes: Nostrates in officinis asservare jubent * Radices, quae exsiccatae sub cortice nigricante medullam albam & dulcem includunt; recentes lac amaricans largiuntur.

LEONTODON. Flores compositos ligulatos habet, calice ex duplici serie squammarum constante & receptaculo nudo sustentatos, semina pappo, stipitato coronata: *Taraxacum* L. BLACWELL I. calice inferne reflexo distinguitur.

Vulgaris per Europam planta.

Folia ſicca $\frac{1}{8}$ circa reſinæ viridis, & quæ non ingrata acrimonia linguam ferit, $\frac{1}{5}$ Extracti Gummoſi, nec non ſalem vere nitroſum largiuntur. DELIUS.

Claſſe & ſapore a Cichorio haud diſtat, ad quod etiam a Veteribus relatum fuiſſe videtur, hinc ejuſdem quoque vires jure inde expectare licet; ejus ſuccum ad icterum laudat VAN SWIETEN, ſanguinem viſcidum inde attenuari, vidit DELIUS, ejus vires ad reſerenda viſcera abdominalia patent ex obſervationibus BONAF. apud Illuſtrem RICHARD & Lipſienſium apud Cl. BŒHMER.

§. 15.

III. Fructus HORÆI, *Obſt.*

Denominantur ab anni tempore, quo in ſuo vigore ultra citraque conſiſtunt, æſtate nimirum, quam Græci ὥραν dixerunt; pertinent huc omnes fructus, qui ſubſtantia ſucculenta gaudent & in uſus cibarios recipiuntur, eoſdem non male ſub Romanorum *Pomi* denominatione comprehendunt. Recentiores hos fructus diſtinguunt in *Poma*, quæ pulpam conſiſtentem, & in *Baccas*, quæ diſſluentem vehunt. Pro ſcopo qui huc facit, eos ratione ſaporis diſtinguimus in acidos, dulces, adſtringentes & amaros.

§. 16.

Hos fructus ab HIPPOCRATE jam minus laudatos, GALENUS pernicioſos pronuntiat, factum eſt inde, ut per omnia ſecula noſtro ſuperiora, nonniſi cum metu & varia ratione præparati, ab illis, qui ſuæ ſanitati proſpicere voluerunt, fuerint aſſumti. Sed ratio æque ac experientia evincunt, craſſiſſimum vel hic quoque errorem erraſſe Scholam; principia enim noſtrorum fructuum verum ſaponem conſtituere probatum dedit BOERHAAVE; & eoſdem ſaponum effectus edere evici

in *Inſt. Chemiæ*, incredibili vi ſolvente omnia fundere, teſtatur VAN SWIETEN, jure itaque effectus ſolventes & abſtergentes inde expectamus, & cum eodem eximio Auctore adoramus creatorem, *qui eos juſſit abundare eo tempore, dum moleſto calore æſtuant ſub æſtivo ſole homines, & diſponitur ſanguis ad atrabiliariam*, nec non inflammatoriam *cacochymiam, durant in autumnum uſque, ut illorum uſu ſolvi poſſit, & blanda vi alvum laxante expelli melancholica ſaburra, æſtatis tempore collecta;* nec inde dyſenteriam excitari, ut vulgo creditur, evicit inter multos alios Illuſtris PRINGLE; tam eorum dulcedine, quam exemplis primævorum hominum & plurium calidarum regionum incolarum, vires nutrientes poſſidere liquet, acido quoque, quod pluribus eorum ineſt, & egregie ſitim ſedant & putredini reſiſtunt, hinc eximie conducunt in morbis a putrido oriundis, iidem autem cum larga aëris quantitate ſcateant, hinc flatus inde gigni, non raro eſt obſervatum, cum porro eorum ſuccus in fermentationem pronus ſit, hinc largius debiliori ventriculo, ſi ingeruntur, mala varia & gravia ſolent excitare: Evitantur hæ noxæ, ſi modice aſſumuntur, & ſi pro debilibus ex aqua coquuntur: vinum, dum ipſis ſuperbibitur, efficit, ut citius iter per canalem inteſtinalem abſolvant. Saccharo ſi condiuntur, eorum vires ſolventes & nutrientes etiam intenduntur, Spiritu Vini omni virtute orbantur. Optime ingeruntur ventriculo vacuo, qui integras ſuas vires in eos exercere, aërem inde ſolutum valide expellere, ipſos, antequam fermentent, ex canali inteſtinali propellere valeat.

α. ACIDI.

BERBERIS Barbar. *Epine Vinette, Saurauch.* Inde radices & baccas recipimus.

* Radices fibroſæ ſunt ad inſignem magnitudinem & craſſitiem perveniunt, ſub cortice rugoſo & fuſco luteæ ſunt & inſigniter amaræ.

Baccæ cylindraceæ ſub cute tranſparente ſuccum vehunt læte rubrum, acido ſapore inſtructum & ſemina includunt oblonga, ſapore adſtringente inſtructa, exſiccatione nigreſcunt.

Berberis. Corollam habet hexapetalam, calyce hexaphyllo irregulari ſuſtentatam, iſantheram, baccam umbilicatam, oligopyrenam. *Vulgaris* L. Blacwell 165 floribus racemoſis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, Oriente quoque & America.

Autumno baccæ maturantur, tunc demum omnem gratiam habent, quando pruinam fuerunt expertæ.

Aqua cum radicibus cocta flava & intenſe amara evadit, extracti aquoſi lutei, amari, ſalini $\frac{1}{4}$ inde extrahit, Spiritus Vini inde etiam flaveſcit & amarus evadit, ejus ope $\frac{1}{24}$ reſinæ nigricantis & amaræ obtinetur.

Baccas primi Arabes in uſum traxerunt, ob virtutem ſaponaceam, indolem acidam & ſitim ſedantem multum refrigerant, commendantur cum ſucceſſu ad morbos inflammatorios & bilioſos; Alpinus eas Ægyptiis multo in uſu eſſe ad febres ardentes & peſtilentes teſtatur, ipſe febre peſtilentiali cum diarrhœa bilioſa inde curatus, id quod idem etiam in ſe ipſo expertus eſt Pauli.

Alvum a radicibus duci amicus Clusii expertus eſt & confirmatur a van Swieten, apud Cel. Cranz, eaſdem egregie contra Icterum facere Rajus obſervavit; rariſſime hodie præſcribuntur.

Conditum Val. Cord. * *Rob* Val. Cord. huic ſuavius *Gelatum* ſolet ſubſtitui. *Syrupus* Schrœd. *Tabulæ* Schrœd.

Cerasi, κέρασοι, *Cériſes*, *Kirſchen*. Sunt fructus varia figura rotunda inſtructi, vario colore, rubro maxime, præditi, ſapore gaudent plus minus acido & includunt oſſiculum rotundum, in quo nucleus albus pellicula fuſca cinctus, amaricans & rotundus hæret.

Prunus. Corollam pentapetalam regularem ha-

bet, calice quinquefido ſuſtentatam, polyantheram, monogynam, baccam monopyrenam: *Ceraſus* L. BLACWELL 449 floribus aggregatis & pedunculatis diſtinguitur, hanc arborem ultimo ante Chriſtum natum ſeculo ex Ceraſunte Ponti oppido Romam delatam fuiſſe teſtatur, PLINIUS. Varietates aliquot ſylveſtres copioſe occurrunt, plures in hortis coluntur.

Præſtant Ceraſa acida abunde quæ de fructibus horæis in univerſum monui, VAN SWIETEN viginti & ultra libris quotidie comeſtis, graviſſimas manias vidit ſolutas, decocto exſiccatorum plures melancholicos convaluiſſe teſtatur FERNELIUS, id ipſum non raro iis, qui febribus acutis afficiuntur, noſtrates propinant; ad eundem quoque ſcopum ſaccharo condita exhibentur.

Syrupus SCHRŒD. ut majorem gratiam accipiat, ex Ceraſis cum nucleis contuſis parandus. *Conditum* Wurtemberg.

CITREUM MALUM, *Medicum*, μῆλον μηδικὸν, περσικὸν, κηδρόμελον, κίτριον, λειμόνιον, *Citron*, *Limon*. Fructus varia magnitudine præditus, figura ut plurimum ovata instructus, creberrime ſuperne in papillam eductus, inferne calice reſiduo notatus; ſub cortice per maturitatem flavo, fragrante, proprio odore & aromatico ſapore inſtructo, ſubſtantiam albam ſpongioſo tenacem minus ſapidam & odoram vehit, ſub hac, cui varia craſſities eſt, reperitur pulpa in novem ut plurimum loculos diſtincta, ſucco flavo odorato & qui frequenter acidus eſt, interdum dulcis, interdum etiam auſterus repleta. * Semina oblonga, inferne anguſtata, ad latera compreſſa, leviter flaveſcentia, parum odorata, amara, condit.

CITRUS. Corollam habet pentapetalam regularem, polyantheram, polyadelpham, monogynam, pomum novemloculare, polypyrenum: *Medica* L. BLACWELL 361 petiolis linearibus diſtinguitur.

Arbor Orienti indigena, jam PLINII temporibus in Italia culta fuit, a Lusitanis in Americam translata est, hodie in Gallia Meridionali, Insulis Stœchadibus ad Lacum Benacum & in territorio Genuensi maxime colitur; inter nos cultæ fructus vix cedunt iis, qui ex regionibus meridionalibus adducuntur. Varietas *Bergamotte* dicta ob olei fragrantiam multum laudatur. Ad usum internum citra, primo a C. N. Seculo recepta fuisse, ex ATHENÆO patet. Centum poma unicam unciam olei odorati largiuntur. FERRARIUS.

Cortices, qui etiam *Flavedo* dici solent, non modo gratiæ ergo vario ciborum generi adjiciuntur, sed etiam refocillandi scopo, nec non ad roborandas primas vias, in usum trahuntur; ad priorem finem recentes præferendi, ad alterum qui exsiccati prostant tenues, substantia spongiosa privati, plicati, grata amaritie instructi. Pulpa, quæ etiam *Caro* dicitur, omnem suam virtutem a succo habet, qui, cum multum saponaceus sit, humores attenuat, obstructiones reserat, digestionem juvat, evidenti præterea qua gaudet aciditate, appetitum stimulat, sitim extinguit, æstum sanguinis temperat, putredinem arcet, princeps ad febres inflammatorias & malignas remedium, notante FRANCO, nec non ad scorbutum, observante RIVERIO & testibus passim *Itinerariis*, ad varium quoque vomitus genus, annotantibus PISONE, PAULI &c. facit, ejus usu nephritidem calculosam curatam, testantur *Berliner Sammlungen*, contra venena facere jam Veteres annotarunt, WEPFER & LOSS confirmant & ex nota virtute acidorum vegetabilium in venena narcotica liquet; externe cosmetico scopo ad abstergendas cutis sordes adhibetur.

Seminum, quæ ad vermes & morbos viscerum abdominalium commendabant, usus eviluit, & in locum Florum, Aurantiorum flores adhibentur. Poma integra cibis condimenti loco adjiciuntur, gratum inde

& ſanis & qualicunque febre correptis ſurgit potulenti genus, ſi, præeunte MYNSICHT, eorum tria in taleolos ſecta cum ſex libris Aquæ ad remanentiam librorum quatuor coquuntur, & decoctum colatum tribus unciis ſacchari edulcoratur.

Vinum cum corticibus infuſum & ſaccharo edulcoratum olim inter nos multum appetebatur.

Aqua a Corticibus abſtracta SCHROED. aromatica, * eadem a *Bergamotte* deſtillata etiam proſtat; *Oleum odoratum* & deſtillatione & expreſſione ex corticibus paratum, hoc illo majorem evidenter gratiam habet, & ex Italia ſub nomine *Quintæ Eſſentiæ* adducitur, proſtat etiam ex Bergamotte elicitum. *Elæo ſaccharum* optime paratur ſaccharnm pomis recentibus affricando. *Conditum Corticum* nec Arabibus ignoratum, *ſiccum Citronade* dictum, ex Italia ad nos advehitur, *liquidum* VAL. CORD. *Syrupus Corticum* MESUE, eum Pariſini addito Elæo ſaccharo gratiorem reddunt, Wurtembergenſes ad morem Arabum granis Chermes tingunt. * *Spiritus* Wurtemberg. eſt claretum Stomachicum gratum. * *Electuarium de Citro* MESUE Pariſini parum mutatum receperunt & ſub forma Morſulorum aſſervant, inconcinna compoſitio, quæ reſinoſa purgantia recipit & ad drachmas ſex pro doſi præſcribitur. * *Conſerva ex Pulpa* PH. AUGUST. *Rotulæ ex Succo* Noſtrat. & adhuc gratiores *ex Succo & Elæo ſaccharo* proxime ad *Morſul. de Citro* SCHROED. accedunt. *Syrupus Acetoſitatis Citri* MESUE & hunc ſuavitate ſuperans *Syrupus Citri e toto* Wurtemberg. ab illo non differt * *Syrupus Limonum* VAL. CORD.

MALUM, *Pomum*, *μῆλον*, *Pomme*, *Apfel*. Græca & latina vox interdum pro omni fructu ſumitur, proprie autem denotat fructum varia ſuperficie, varia magnitudine, vario odore inſtructum, utrinque excavatum, ſub cuticula varii coloris, pulpam varie tinctam proprii ſaporis, qui autem varios quoque modos

assumere solet, instructam includit, ipsi innidulantur semina ex angusto fine obtuse & lâtius terminata, convexo-plana, quae sub cuticula nigricante medullam albam & dulcem continent.

Pyrus. Corolla pentapetala regulari, calice quinquefido sustentata, polyanthera, pentagyna; pomo nudo, quinqueloculari gaudet: *Malus* L. Blacwell 141. pomis basi concavis & foliis serratis distinguitur.

Arbor Orbi temperato propria, quae in regionibus calidioribus non bene vegetat, in frigidioribus autem fructus non maturat. Hujus loci sunt varietates, quae vinoso sapore gaudere dicuntur, eae autumno solent maturescere, per tempus asservatae demum summam gratiam acquirunt.

Malis multum aëris fixi inesse, docet unanimis Medicorum ab Hippocrate ad nostra usque tempora consensus, nec dubium, flatulentiae vel idiosyncrasiae attribuendos esse malos effectus, quos inde natos Hoffmann, Pauli, J. Bauhinus &c. observarunt; evicit sane experientia, quod mala bene matura reliquorum fructuum horaeorum virtutes omnino exsequant. Ob fragrantiam, qua pollent, analepticas quoque vires edunt.

Ex succo malorum, sylvestrium maxime, & earum varietatum, quae proxime ad ea accedunt, fit Vini genus ὑδρόμηλον, *Pomatium*, *Cidre*, cujus parandi rationem Geoffroi, *Journal Œconomique*, Illustr. du Hamel &c. tradunt, illud si bene paratum fuerit, ad septem & ultra annos potest asservari, Vini effectus, infra dicendos, edit, acidulum & pauciore Alcohole foetum aestate maxime bibitur, optimum in Normannia paratur, minus bene defaecatum, aut nimis recens colicam Pictonum gignit. *Gelatum* Schroed. suave multum.

* *Syrupus* Mesue. * *Compositus* Sapor Regis, ejus unciae uni duo circiter scrupuli foliorum Sennae respondent; *Helleboratus* Parisin. *Unguentum Poma-*

tum PH. HAG. correctum Parisini habent, ad cosmeticos maxime usus adhibetur. *Unguentum Pomatum Rubrum. Paris.* ad fissuras labiorum conducit.

RIBES Arab *Grossula* Barbar. *Johannis - Beeren; Grosseilles* sunt baccæ rotundæ pisis majores, sive rubræ sive albæ, umbilico notatæ, sapore acido proprio instructæ: illæ quæ nigræ sunt *Chassis*, saporem minus acidum, & nauseosum cimicum odorem habent.

RIBES. Corollam pentapetalam regularem habet, calice quinquefido sustentatam, isantheram, monogynam, baccam unilocularem, polypyrenam: *Rubrum* L. BLACWELL 285 racemis glabris & pendulis distinguitur. Crescit in omni Europa, & copiose in hortis colitur, varietas alba Seculo XVI. innotuit: *Nigrum* L. BLACWELL l. c. pedunculos villosos habet, occurrit ubique, Europa maxime septentrionali excepta.

Prioris speciei baccæ ad vires succi Citri accedunt, Ischiaticum inde refocillatum allegat WOLFF, earum pelliculæ difficilius digeruntur, hinc varia mala inde surrexisse observatum est, testibus HANNEMANN & GRUBEL; Ribesia nigra primum a SCHWENCKFELD ad morbos tentata, ob vim diureticam solent laudari.

Conditum VAL. CORD. *Rob* VAL. CORD. quod aqua dilutum in morbis acutis egregium medicamentum esse, propriis experimentis confirmat Ill. HALLER; in angina salutare vidit Cl. UNZER. * *Syrupus* PH. AUGUST.

β. DULCES.

ANANAS Barb. Est receptaculum variæ magnitudinis, ovatum, sub cuticula solidiore, quæ fructus tegit, varie colorata creberrime flava & multum fragrante, includit pulpam citrinam, septis tenacibus, distinctam, gratissimo sapore, dulci & vinoso instructam.

BROMELIA. Corollam trifidam habet, simili calice

ſuſtentatam, diploſanthera, monogyna, pomo polypyreno gaudet: *Ananas* L. BLACWELL 567 & 568 receptaculo ſimplici diſtinguitur.

Americæ Meridionalis civis, in Madagaſcar quoque occurrit, apud nos in hortis colitur.

Multum negotii cum faceſſat ejus cultura, magnatum modo menſis ſolet apponi, fragrantia ſua motum ſpirituum refocillat, ſucco ſaponaceo humores attenuat, digeſtionem hinc promovet, urinam quoque pellere dicitur. In taleolas diſſectam a febricitantibus ore detineri, refrigerandi & ſitim ſedandi ergo, annotat HERNANDEZ.

ARMENIACA MALA, *Præcocia*, *Chryſomele*, *μῆλα Αρμενίακα*, *Abricots*, *Aprícoſen*, *Mœlleleín*. Noſtr. Sunt fructus variæ magnitudinis, qui figuram rotundam habent, ſulco longitudinali in uno latere notati, ſub cuticula pellucida pulpam ſolidiuſculam, flavam, fragrantem, ſapore proprio dulci inſtructam fovent, hæc includit oſſiculum læve, rotundum, inferne compreſſum, quod nucem globoſam, ſub flavicante cuticula medullam ſuavem, amaricantem ſiſtentem, vehit.

Prunus Armeniaca L. BLACWELL 281 floribus ſeſſilibus & foliis ſubcordatis in acumen productis diſtinguitur.

Plures ejus varietates horti noſtri colunt.

Ob dulcedinem, qua pollent, nutrientes vires edunt, Perſicis a GALENO præferuntur, quia ſolidiora ſunt, nec ita facile corrumpuntur, neutrum experientia circa noſtratia confirmat.

* Nuclei effectus ſaponaceorum, oleoſorum & amarorum edunt.

AURANTIA Barb. *νεράντζια* Græc. Rec. *Oranges*, *Pomeranzen*. Fructus ut plurimum rotundi ſunt, illi qui dulces ſunt ſuperficie lævi, per maturitatem crocea, umbilico non multum eminente, pulpa ſive flavicante ſive rubra gaudent, ſapore vinoſo, dulci,

gratiſſimo prædita, cortex ſive inſipidus ſive leviſſime modo amarus eſt.

Flores a Napha denominantur, albi ſunt, carnoſi, odorem ſpirant gratiſſimum, ſaporem habent amaricantem, exſiccati multum de ſua gratia perdunt & flaveſcunt.

Folia ſunt ex ovatis oblonga, firma, læte viridia, ſapore gaudent aromatico, amaro, odor eorum eſt fragrans.

Citrus Aurantium L. BLACWELL 349 petiolo cordiformi diſtinguitur.

Arbor a Veteribus communi cum Citro nomine comprehenſa, Seculo XIII. circiter diſtingui cœpit, iiſdem cum Citro locis creſcit & colitur, frigoris magis patiens.

Aurantia dulcia ut plurimum deſumuntur ex arbore Chinæ indigena, unde primum Oliſſiponem traducta ſunt, hinc *Aranza de Sina* dicuntur.

Folia deſtillatione cum aqua oleum odoratum fundunt; Florum libra una vix grana tria olei flavi, odoratiſſimi exhibet. FERRARIUS.

Folia quidem paſſim ab Auctoribus laudabantur, ſed Illuſtris DE HÆN demum ipſis magnam famam conciliavit, dum exempla adducit de convulſionibus, quæ eorum decocto aquoſo æque ac ipſis in pulverem redactis, ſublatæ fuerunt, quibus etiam obſervationes Cl. HANNES, LOCHER & STOERCK accedunt; Cel. TISSOT non magnos inde effectus vidit.

Flores, ob fragrantiam, qua pollent, motum ſpirituum intendunt & in illis caſibus, ubi analeptica indicantur, locum habent, id quod autem præcipue de recentibus valet, ope ſacchari in confectionem ſiccam redacti, non male pro menſis ſecundis apponuntur.

Pulpa, cum illa pomorum Citri, ratione virtutis ſolventis

ſolventis convenit, eidem ob majorem gratiam, & ubi humores etiam demulcendi ſunt, præfertur; in affectibus pectoris, febribus biliosis & inflammatoriis cum ſucceſſu propinatur; ſcorbuticis quoque ſolet laudari: integrum pomum cum cortice ante paroxyſmi acceſſum comeſtum, tertianas perſæpe curaſſe RAJUS notat.

Aqua florum, illam vernacula Italica *Nanfa*, qua voce aquam fragrantem denotant, inter primos RENODÆUS *Aquam Naphæ* appellavit; cadaveris Comitis cujuſdam, qui ante mortem per plures dies hac aqua uſus fuit, omnia viſcera & omnes ventres eandem redoluiſſe, expertus eſt HEISTER; præcipuus ejus inter nos uſus eſt, ut medicamentis gratia concilietur. * *Oleum* ex floribus deſtillatum colorem rubrum habet & *Neroli* dicitur, illud cum ſit valde pretioſum, hinc ei vulgo oleum Behen cum floribus digeſtum, & inde eorum odore imbutum, ſolent ſubſtituere, optimum Graſſæ & in territorio Nicæenſi paratur. * *Syrupus Florum* Pariſ. * *Conſerva florum* SCHROED. * *Spiritus florum per ferment.* Pariſ. *Tinctura* * *florum* Pariſ. *Unguentum ſive Pomatum florum.* Pariſ.

CERASA dulcia, ab acidis ſapore maxime differunt, varia illis eſt magnitudo, color niger, ruber, albidus, conſiſtentia plus minuſve ſolida. Plurimas varietates habet, quæ deſumuntur ex varietate ſylveſtri, *Ceraſus major ac ſylveſtris, fructu ſubdulci nigro colore inficiente* dicta, parva ſunt, nigra, dulciſſima *Meriſes*, noſtratibus *Ruprechtsauer Kirſchen*, *Actiana* PLINII creduntur eſſe: illa, quæ magna & lateribus compreſſa ſunt *Bigarottes*, *Herzkirſchen* dicuntur, *Duracina* PLIN. & hujus denuo multas varietates noſtri horti colunt.

Ceraſa dulcia ratione virium ſatis prope ad mala armeniaca accedunt, non video, cur GALENUS ea digeſtu difficilia dixerit. Nigra vetus fabula, quæ au-

tem vix Seculo XVI. antiquior eſt, morbis nervinis mederi, tradit.

* Nuclei ſunt oblongi, ventricoſi, ſub cuticula pallida includunt medullam albam, multum gratam.

* GUMMI flaveſcens eſt, pellucidum, inſipidum, inodorum, ſordes ſi habet, ſolutione in aqua, colatione & inſpiſſatione depuratur.

Succus ceraſorum nigrorum cum nucleis contuſorum, cui ſaccharum adjicitur, ſi vino commiſcetur *Vinum Ceraſorum* ſurgit, quod Noſtrates magni faciunt, qui quoque multum delectantur Clareto *Rataſia* dicto, quod ex ſucci quatuor partibus, cum una Spiritus Vini mixtis, & ſaccharo edulcoratis paratur.

Aqua VAL. CORD. omnem gratiam a nucleis habet. *Spiritus per fermentationem* SCHROED. copioſe a monticolis noſtratibus paratur, & poſt largiora prandia, ut digeſtionem promoveat bibitur, a non paucis omnibus reliquis claretis anteponitur.

Nuclei cum Armeniacis viribus conveniunt, laudantur maxime ob virtutem diureticam.

Gummi pro acrimonia demulcenda exhibetur, & iis maxime commendatur, qui difficultate urinæ laborant, rarius in uſum trahitur, ab Illuſtr. LINNÆO nutriendi ſcopo commendatur.

* CITRULLI Barb. *Anguriæ* Barb. *Melons d'eau*, *Waſſermelonen.* Sunt fructus prægrandes, ita ut HASSELQUIST in Ægypto viderit, quorum diameter longitudinalis tres pedes & transverſalis duos æquavit, glabri, virides, qui ſub cortice teneriore, pulpam rubram multo ſucco ſaccharina dulcedine inſtructo gaudentem, Cucumeres redolentem includunt; in pulpa nidulantur ſemina majora ex ovatis oblonga, utrinque compreſſa, quæ ſub cortice nigro, ad baſin marginato fovent medullam albam, inferne acutiſſime terminatam.

Cucurbita. Planta relativa, monophyta: Corolla

quinquefida, ſimili calice aucta, nectario ornata mares anthera unica inſtruuntur, tribus filamentis ſuſtentata, feminæ ſtigmate trifido, & pomum triloculare efformant. *Citrullus* L. BLACWELL 157. foliis multifidis diſtinguitur.

Aſiæ civis in Europæ hortis colitur, rarius inter nos.

Evidenter nutritii fructus, ita ut vulgus Ægypti, per omne id tempus quo vigent, teſte HASSELQUIST vix alio nutrimento utatur, ſucco, quo ſcatent, ſaponaceo humores ſolvunt, attenuant & contra alcaleſcentiam defendunt, hinc æſtate ſanis multum proficui, in morbis calidis quoque multum laudantur; ad noxas ab aſſumto opio conferre RUMPH expertus eſt, Cl. KALM autem quod fortiter urinam moveant: cum inſigniter refrigerent & facile fermentent, hinc cum prudentia debent in uſum trahi. Optime menſis ſecundis apponuntur.

Semina cortice privata, unguinoſorum & ſaponaceorum effectus edunt, humores demulcendo & ſolida relaxando æſtum ſanguinis imminuunt, refrigerantes vires exerunt, unum ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus conſtituunt, per morem receptum vix non ſemper reliquis tribus adjecta in uſum trahuntur, & quidem ſive ſub forma Emulſionis, ſive quod eis contuſis repleatur venter pulli gallinacei exenterati, qui dein cum libris tribus aquæ ad remanentiam librarum duarum coquitur, & ſub nomine *Eau de Poulet* exhibetur.

* *Aqua Citrullorum* Pariſ. iners. * *Oleum S. quatuor frigidorum* VERNY.

CUCUMIS, *Cucumer*, σίκυος, *Concombre*, *Cucumer*. Eſt fructus oblongus, variis tuberculis obſeſſus, non raro incurvus, utrinque obtuſus, per maturitatem, pro varia varietate ſive flaveſcens ſive albeſcens, pulpam albam multo ſucco ſcatentem, proprio odore & ſapore leviter dulci inſtructam includens; in pulpa

hærent copiosa semina parva, oblonga, utrimque compressa, ad unum extremum levissime emarginata, ad alterum, apicem acutissimum & exiguum emittentia & quæ sub cortice duriusculo, flavescente, medullam albam & dulcem continent.

Cucumis. Planta relativa diphyta, Corolla quinquefida simili calice sustentata, maribus anthera unica, tribus filamentis insidens, feminis monogynis stigmata tria bipartita, pomum triloculare. *Sativus* L. Blacwell 4 foliis angulatis & angulis acutis distinguitur.

Ejus varietates in nostris hortis coluntur, fructus per omnem æstatem obtinent.

Cucumim pinguefacere Hippocrates tradit, id quod de fructu, quem nostra ætate nondum maturam assumunt, vix auderem promittere, vires quas de Citrullo dixi, etiam a Cucumere non male expectamus; ut eorum in fermentationem nisus, & quæ inde oriri possent mala, minuatur, portionem succi inde exprimere, eosdem quoque aromatibus condire solent, antequam in usum trahantur: refrigerandi, abstergendi, urinam movendi ergo ab Hippocrate laudantur. Pulpam jusculis incoctam cum successu febricitantibus dari, monet Rajus; lepram Cucumeribus sanatam vidit Heurnius; in variis mente captis eosdem utilissimos expertus est Hoffmann; Succo Cucumerum ad duas uncias bis de die exhibito, tabidos & hecticos curatos vidit Schulz.

Fructus tenellos sale & aceto conditos, *Cornichons*, cum carne comedere solent, horum vis, vix non omnis, a condimentis pendet, cavendum ne tales assumantur, qui, ut læte virides sint, ære inquinati fuerunt. Semina cum reliquis frigidis majoribus usurpantur.

Aqua destill. Paris. iners.

Cucurbita, κολοκύνθη, *Courge*, *Kürbis*, *Calabasse* Indis & Hispanis. Est fructus variæ magnitudinis &

figuræ, cortice inſtructus, qui ut plurimum per maturitatem flaveſcit & totus ſiccus evadit, ſive lævi ſive tuberculis obſeſſo, pulpa autem magis quam in congeneribus ſicca, ut plurimum inſipida, includente ſemina majora, utrimque plana, medullam albam vehentia; illa ex *Pepone* tota margine tumido cincta ſunt, ſuperne ovata, inferne quaſi reſecta, eorum nucleus cuticula viridi tegitur.

Cucurbita Pepo L. *Plebeja* PLIN. foliis aſperis & pomis lævibus diſtinguitur.

Colitur in hortis & prægrandes fructus ſiſtit.

Cucurbita Melopepo L. *Pepo* Veterum *Pfaffenhütel* caulem erectum habet & poma depreſſo nodoſa.

Inter nos in agris copioſe colitur.

Pepones noſtrates maxime ad ſaginandos porcos adhibent, Melopepones cum lacte a plebejis in cibum recipiuntur.

Cucurbitas parum nutrire GALENUS monet, refrigerantes & abſtergentes inde effectus HIPPOCRATES pollicetur. Pulpa Cucurbitæ capiti impoſita phreneticos curatos teſtantur BORELLUS & BARTHOLETTUS.

* *Syrupum ex ſucco* MESUES, phtiſicis multum commendare ſolent. *Syrop de Calabaſſe* ex America in Galliam allatus & contra Hecticam multus laudatus; paratur ex fructibus *Creſcentiæ* L.

Semina inter quatuor frigida majora recipiuntur.

DACTYLI, φοίνικες, φοινοβάλανοι, *Dattes*, *Dattlen* ſunt fructus, qui ad Prunorum majorum magnitudinem accedunt, recentes καρῶται, teſte KÆMPFER, carnem habent pellucentem, mollem, rufeſcentem, dulciſſimam, vinoſam, exſiccati quales inter nos proſtant, ſunt *Tragemata* Veterum, figuram habent oblongam, ſuperne pulvinati, umbilico cartilagineo notati, inferne parum anguſtati, rugoſi, ſub cuticula tenerrima carnem includunt viſcidam, ex rufo flaveſcentem, quam ſequitur membrana ex multis lamellis

constans, alba, in qua officulum hæret convexo planum, oblongum, albidum, in facie plana sulco longitudinali distinctum.

Rejiciuntur profundius sulcati, albidi, molliores æque ac aridi, flaccidi & qui concussi sonitum edunt,

PHOENIX. Palma relativa diphyta, corolla hexapetala irregularis, calice trifido sustentata, marium isanthera, feminarum monogyna. In Asia Occidentali, Africa & Americæ regno Mexicano sponte crescit, in Europa Meridionali & Occidentali colitur & fructus maturat.

Utilissima arbor, cujus folia corbes, scopas, flabella, lignum egregiam materiem, liber funes, spatha masculina gratissimum & aphrodisiacum obsonium præbent, truncus vulneratus autem dulcissimum & suavissimum potulenti genus, officula fructuum recentium in pabulum camelis cedunt.

Dactyli inter nos prostantes ex Syria, Ægypto & Regno Tunetano adducuntur, in ipsa arbore sole exsiccati. Hispanicos & Salonenses rejiciendos esse GEOFFROI monet.

In Ægypto integras familias solis Dactylis vivere, & eosdem per omnem Turciam in cibum cedere testatur HASSELQUIST, eosdem in Persia olus & panem plebi præbere KÆMPFFER monet, hinc nutrientes ipsis vires esse, facile liquet; levis adstrictio cum pulpæ saponaceæ accedat, hinc non male mensis secundis apponuntur, ipsi demulcentes & relaxantes non male aliis hujus generis medicamentis adjiciuntur ut nimiam relaxationem moderentur. Aquam ex Dactylis HIPPOCRATES ad diarrhœam commendat.

* *Electuarium Diaphœnicon* MESUE Parisini mutatis dosibus receperunt, inconcinnum medicamentum.

FICUS, σῦκον, σύκη, *Figue*, *Feige*. Est substantia, quæ figura rotunda & turbinata variat, cuticula violacea vel alba includens concolorem pulpam dulcem,

proprio odore & ſapore inſtructam, per quam plura grana ſparſa ſunt, quæ & vulgus cum PLINIO *Grana* appellat, Botanici flores & ſemina eſſe evincunt.

Ficus immatura ὄλυνθος ἐρινος, *Groſſus* dicitur; exſiccata ἰσχὰς *Carica* colorem flavum habet, ſaporem dulciſſimum, cuticulam arctiſſime cum pulpa cohærentem.

Caricarum quadruplex genus tabernæ aſſervant, unum eſt magnum flavum & rotundum, denominatur a *Smyrna*, alterum a *Genua* nomen habet, magnum, flavum & oblongum, tertium eſt *Maſſilienſe* flavum, rotundum, dulciſſimum & gratiſſimum, quod autem vix ultra unum annum poteſt aſſervari. *Cairicum* Maſſilienſi ſimile minus eſt & parciore dulcedine gaudet. Rejiciuntur ſicciores, pulvere albo obſeſſæ, vermibus exeſæ, nigricantes & quarum ſapor ſive ad acidum, ſive ad auſterum vergit.

FICUS. Receptaculum pulpoſum excludit, quod & maſculinos & femininos flores continet, illi trifida corolla gaudent, iſanthera, hi corollam habent quinquefidam, monogynam & ſemen nudum. *Carica* L. BLACWELL 125 foliis palmatis, & quod relativa monophyta ſit, diſtinguitur.

Vulgaris in Europa Occidentali & Meridionali arbor, noſtras hyemes, niſi terra vel ſtramine defendatur, vix fert, plurimas dedit varietates. In Archipelago creſcit ſpecies nonniſi flores mares vehens circa quam τὸν ἐρινασμὸν, *Caprificationem* jam THEOPHRASTO memoratam, egregie a TOURNEFORTIO, PONTEDERA & Illuſtri LINNÆO deſcriptam, ſolent inſtituere, ficus hac ratione fœcundatæ, ne a larvis teredinum ficariarum deſtruantur, clibano exſiccari ſolent, ſed inde eorum gratia & virtus multum imminuuntur. Nullam ficum dioicam dari Cl. BERNARD contendit.

Ficus dulces multum nutrire Veteres jam noverunt, hinc, PLINIO teſte, eas athletis exhibuerunt,

hodieque præcipuum Archipelagi rusticorum alimentum constituere, TOURNEFORTIUS refert. Multum virtute abstergente & relaxante pollent, observante HIPPOCRATE, ad alvum strictam, morbos pectoris etiam & renum, quia demulcentes quoque vires habent, cum successu, præcipiente GALENO, adhibentur; notat Illustris LINNÆUS, " quod si quis ante prandium in„ signem caricarum copiam comederit, tamen consue„ tam fere ciborum quantitatem, sine ulla ventriculi „ molestia consumere queat "; Sed hoc ipsum de omnibus fructibus horræis valet; easdem ad minores usque vasorum ordines penetrare, sudoris fœtor, quem frequentem earum usum excitare, post ATHENÆUM, SIMON PAULI quoque observavit, nobis persuadet; hinc non male ab AVICENNA ad exanthemata laudari videntur, num etiam inde GALENI effatum, a multis Medicis confirmatum, quod eis crebro utentes pediculis infestentur, id quod tamen jam ATHENÆUS refutavit, explicandum est? certe vis earum contra venena, post GALENUM & PLINIUM, ab Arabibus maxime commendata, inde erit deducenda.

Sed extus quoque cum successu resolvendi ergo adhibentur, assatæ imponuntur abscessibus, illis maxime qui ad gingivas hærent, aqua cum iis cocta ad morbos faucium, præeunte HIPPOCRATE, adhibetur, nec male suppositorii vice ano intruduntur.

FRAGA, *Fraises*, *Erdbeeren.* Nostri fructus ab illis Veterum diversi esse videntur.

Radices tenues sunt longæ, repentes, plurimas fibrillas capillares emittunt, sub cortice ex fusco rufescente substantiam magis albam includunt, sapore gaudent evidenter adstringente.

Folia ternata, ex ovatis oblonga sunt, serrata, hirsuta, adstringentia.

Fructus sunt receptacula carnosa sive oblonga sive rotunda, eorum tota superficies acinis efformatur,

ſive rubra ſive alba, odore proprio vinoſo, ſapore ſimili nec non dulci gaudent.

Fragaria. Calice decemfido corollam pentapetalam, regularem ſuſtentat, polyantheram, polygynam, fructus eſt receptaculum pulpoſum, copioſa ſemina in ſuperficie gerens. *Veſca* L. Blacwell 77 foliis ternatis diſtinguitur & quod flagellis repat. Vulgaris per omnem Europam planta; in noſtris hortis variæ ejus varietates coluntur & quidem præcipue le *Fraiſier Freſant* du Chesne, *le Fraiſier Ananas* Ejusd. & *le Fraiſier écarlate* Ejusd.

Radices exhibent $\frac{3}{8}$ Extracti aquoſi, fuſci, multum ſalini, Fraga ipſa ſimilis Extracti fuſci, ſapore amaricante, grate vinoſo inſtructi $\frac{1}{6}$.

Radices cum aqua decoctæ eam rubro colore afficiunt, & hoc decoctum etiam fæces rubras reddere eſt obſervatum, celebrantur multum ad viſcera aperienda, in ictero conducere a Bartholino & S. Pauli annotatum fuit. Adſtringendi quoque ergo in uſum trahuntur.

Folia ad eoſdem ac radices uſus commendantur. Nebel eorundem uſum ad ulcera pedum iteratis obſervationibus probavit.

Fraga ipſa, fructibus horræis hactenus recenſitis, nequaquam viribus cedunt, ab Hildano obſervatæ noxæ, quæ eorum abuſum excipiebant, neutiquam ea ſuſpecta reddunt; cum largius comeſta evidenter ſuo odore urinam imbuant, notante Geoffroi, hinc evidens fit eorum virtus ad vitia viarum urinariarum jam a Gesnero perſpecta & a Lobb confirmata; hecticos inde curatos Schulz vidit, & phtiſicum Hoffmann. Furentiſſimos melancholicos & maniacos ad viginti libras quotidie per aliquot ſeptimanas comeſtis van Swieten curatos allegat, fragis quotannis copioſe comeſtis per plures annos a podagra immunis vixit Ill. Linnæus. Mos non laudandus eſſe videtur, quo fraga ſive vino & aromatibus, ſive lacte condita aſſumere ſolent,

prior ratio præcipuas eorum vires enervat, altera coagulo lactis ventriculum onerat.

* *Aqua Fragariæ* VAL. CORD. iners. *Aqua Fragorum* VAL. CORD. licet odorem fragorum habeat, eorum tamen vires fruſtra inde expectantur. *Syrupus Fragorum* SCHRŒD. * *Spiritus Fragorum per ferment.* SCHRŒD.

GRANATUM, *Malum Punicum*, ῥοὴ, σίδα. Recipimus Flores βαλαύστια, *Balauſtia*, quos, ſi germen in ipſis jam intumuerit, κοτίνους dixerunt, pomi præterea pulpam, & qui ipſam ambit, Corticem, hic σίδα, unde Barbarorum *Pſidium* ortum, nec non *Malicorium* dicitur.

Balauſtia plena modo noſtras officinas ingrediuntur, efformantur a petalis pluribus ſanguineo colore fulgentibus, ovatis, inodoris, ſapore leviter adſtringente & amaricante inſtructis; calice comprehenſis ſolidiore, tenaci, magno, quinquefido, flaveſcente & purpura tincto, amaro & adſtringente.

Fructus eſt rotundus, varia magnitudine præditus, umbilico quinquefido coronatus, includit ſub cortice extus purpureo intus luteo, ſolido, rugoſo, multum adſtringente, pulpam liquidam, rubram, fragrantem, vinoſo & dulci ſapore præditam; ſeptis carnoſis diſtinctam, & cui ſemina κοκκώνες innidulantur, propria membrana rubente *Cico* incluſa, oblonga, ventricoſa, angulata, ſub cortice duro medullam amaricantem includentia.

PUNICA. Corollam pentapetalam regularem habet, calice quinquefido ſuſtentatam, polyantheram, monogynam, pomum calice coronatum, novem loculare, polypyrenum. *Granatus* L. BLACWELL 97 foliis lanceolatis diſtinguitur.

In Aſia, Africa, Europa Meridionali & Occidentali ſponte provenit, noſtras hyemes difficilius fert.

Aqua & alcohol pallida a Balauſtiis rubedine &

ſapore adſtringente imbuuntur, extracta evidenter adſtringunt, ſpirituoſum præ aquoſo parcius obtinetur, pallidius & magis adſtringens: Cortex ſui ponderis dimidium extracti aquoſi largitur; alcohol vix aliquid inde recipit. LEWIS.

Balauſtia adſtringendi ſcopo ad omne genus fluxuum intus ad drachmam unam pro doſi exhibentur; externe roborandi ergo ad medicamenta gingivalia; nec non ad injectiones & epithemata adſtringentia recipiuntur. *Malicorium* HIPPOCRATES puerperis exhibuit, valide adſtringit, nonniſi caute ægrotis propinandum, menſium obſtructiones inde reſeratas obſervavit LANGELOTT. *Pulpa* reliquorum fructuum horræorum vires exſequitur, cardialgiam inde curatam vidit HIPPOCRATES, id quod etiam FABRICIUS apud SIM. PAULI obſervavit, ille quoque eandem ad humores attenuandos commendat. Succo granatorum, diarrhœas & dyſenterias curavit VAN SWIETEN. * *Semina* hæmorrhoidariis conducere BARTHOLINUS & LENTILIUS viderunt.

Syrupus MESUE egregium medicamentum roborans & æſtum ſedans. * *Vinum Granatorum* PALLADII proxime ad Syrupum accedit.

JUJUBÆ Arabum, *Jujubes*, *Bruſtbeeren* exſiccatæ quales apud nos proſtant, ventricoſæ ſunt, cylindraceæ, utrinque pulvinatæ, ſub cuticula ſicca, præ laxitate rugoſa, rubra, pulpam includunt, flavam, dulcem, fungoſam, quæ condit oſſiculum ventricoſum, utrinque acutiſſimum, nucleum craſſiuſculum includens, qui ſub cuticula rubra medullam albam continet.

RHAMNUS. Corollam quinquefidam habet regularem, ſquammis auctam, iſantheram, mono- vel digynam, fructum baccam oſſiculo biloculari gaudentem. *Zizyphus* L BLACWELL 569 foliis ovato oblongis, aculeis geminatis, rectis diſtinguitur. In Italiam tem-

pore AUGUSTI translata, hodie in omni Europa Meridionali copiosa est.

Recentes in Gallia Meridionali vulgarem populo cibum largiuntur, scopo medicato caricis vulgo solent adjici, cum autem pulpa parciore & minus suavi gaudeant, hinc prudentius omitterentur.

* *Syrupus de Jujubis* MESUE mutatum Wurtembergenses recipiunt, adhuc magis a præscriptione MESUE Nostrates recedunt; demulcendi & relaxandi ergo ad morbos pectoris commendatur.

MALA DULCIA inertia licet a GALENO dicantur, tamen & vires omnibus fructibus horræis proprias habent, & præter effectus, quos ob fragrantiam edunt, egregiam opem ferunt, ubi demulcendi scopus obtinet, laudantur maxime ad morbos pectoris, stricturas laxandi, acre temperandi, mucum attenuandi scopo. Hunc in finem sive datur aqua cum eis cocta, sive ipsa comeduntur assata, sive ex aqua cocta & cum saccharo edulcorata, solent quoque umbilicum inde resecare, ejus in locum frustum sacchari Candi illis committere, & ita assare.

MELO, Μηλοπέπον, *Melon*, *Melone*. Est fructus variæ magnitudinis interdum malo non major, interdum ad cucurbitarum volumen accedens, figura gaudet mox rotunda, mox oblonga, superficie viridi sive lævi, sive reticulo obducta, sive tuberculis notata, cortex etiam variam crassitiem habere solet, pulpa interdum viridis est, crebro rubra, creberrime flava, odore grato qui varios gradus habet, sapore dulci, leviter vinoso, cui interdum aliquid aromatici accedit, gaudet; includit semina minora, compressa, ex albo flavicantia, inferne marginata & angustata, quæ sub cortice duriusculo medullam albam & dulcem fovent.

Cucumis Melo L. BLACWELL 329 foliorum angulis & pomis rotundatis distinguitur.

Ex Oriente ad nos descendit, varietas, cujus to-

ta ſuperficies in tubercula elevata eſt, & quæ carne duriuſcula, cui evidenter aroma accedit, gaudet, ex Armenia in Europam delata eſt & cum primum Cantoloupæ in Italiæ Marchionatu Anconitano culta fuerit, inde quoque denominatur.

Ob vinoſum & aromaticum quo gaudent principium cucurbitis & ſuaviores ſunt & citius e ventriculo deſcendunt, hinc quoque a GALENO laudati. Perſpirationem inde minui, diureſin autem augeri annotat SANCTORIUS; BORELLUS phtiſicum Melonum eſu curatum adducit. Immaturi tenelli in modum cucurbitarum conditi, harum quoque in modum dijudicandi ſunt.

Semina quatuor frigidis majoribus adſcribuntur.

* *Aqua deſtillata* iners.

MORA, συκάμινα, μόρα, *Meures*, *Maulbeeren*. Sunt fructus qui prunorum minorum magnitudinem habent, ex acinis rotundis conflati, ſucculenti, ſapore dulci vinoſo inſtructi, colore ſanguineo præditi.

* *Radices* fibroſæ ſunt, dulces potius quam amaræ, flavo colore præditæ.

Morus Planta relativa diphyta: mares amentacei tetrandri, feminæ corollam habent tetraphyllam, digynæ. *Nigra* L. BLACWELL 126 foliis cordatis & ſcabris diſtinguitur.

Europæ Meridionali indigena arbor, apud nos copioſe colitur & optime noſtras hyemes fert.

GALENUS radices contra lumbricum latum laudat. Fructus vires reliquorum horræorum habent, ego ſaltem nihil adſtringentis in eis poſſum deprehendere. Laudantur quoque ab HIPPOCRATE.

Syrupus jam ante GALENUM uſitatus, ad morbos oris & faucium maxime adhibetur. *Rob* NICOL. Syrupus optime ſubſtituitur.

PERSICA MALA, μῆλα περσικά, *Pêches*, *Pferſich*. Sunt poma variæ magnitudinis, ſuperficie ſive lanuginoſa inſtructa ſive glabra, hæc *Nuciperſica* Barbaris,

Brugnons, *Nectarines*, *nackete Pfersich* dicuntur, colore varie rubro & flavo variant, odore fragrante gaudent, ſapore plus minus vinoſo, includunt oſſiculum ventricoſum, oblongum, ſulcatum in quo nucleus hæret compreſſus, qui ſub cuticula fuſca, medullam grata amaritie linguam ferientem continet. Perſica quorum pulpæ oſſiculum fortius adhæret, dicuntur *Pavies*.

Flores aſſervantur cum calicibus, roſeo colore, proprio & ſuavi odore nec non ſapore amaricante gaudent.

Amygdalus. Corollam pentapetalam calice quinquefido ſuſtentatam habet, polyantheram, monogynam, fructum drupam. *Perſica* L. Blacwell 101 fructu pomo diſtinguitur.

Americæ & Aſiæ indigenæ arboris aliquot varietates in agris & vinetis creſcunt, plurimæ, magis exquiſitæ, in hortis coluntur.

Saluberrimi fructus non paucis, nimis Veterum auctoritati tribuentibus ſuſpecti ſunt, quippe qui non raro, quæ de Perſea arbore venenata, hodie ignorata, dicebantur, de noſtris quoque fructibus metuebant; Decocto hordei intrita in obſtructionibus & febribus bilioſis ſolatio fuiſſe vidit van Swieten. Saccharo, Vino, coctione fictitias eorum noxas correcturi, laudandas qualitates imminuunt. Spiritu Vini condita hæc mala cum inde indurentur, minus bene menſis ſecundis apponuntur.

Nuclei demulcent, abſtergentes quoque, cum amari ſint, vires habent, laudantur illis, qui renibus laborant.

Flores exſiccati aquæ cum qua infunduntur, ſuavem odorem, qui nucleos refert, affricant, ſaporem evidenter amarum, & cui aliquid acris junctum eſt, colorem flavum ad rubrum accedentem habent. Extracti aquoſi fuſci, amaricantis, parum ſalini $\frac{1}{3}$ circiter, exhibent.

Resolventes & Catharticas vires edunt, majori dosi, aut hominibus delicatioribus dati, tormina & vomitum excitasse observatum est, non male quoque scopo anthelmintico exhibentur. Ad drachmas duas pro dosi sive cum sero lactis infunduntur, sive medicamentis eccoproticis adjiciuntur.

* *Oleum ex Nucleis expressum* COSTÆI. Nescio cur specifice ad dolores capitis laudetur. * *Aqua destillata Florum* Nostrat. unice pro parando Syrupo asservatur. * *Conserva Florum* SYLVII *Syrupus Florum* MESUE ratione a Nostratibus tradita præparatus & fragrans & multum efficax evadit; infantibus ad unciam dimidiam, adultis ad uncias duas cathartico scopo exhibetur.

PRUNA, *προῦμνα*, *κοκκομῆλα*, *Prunes*, *Zwetschen*, *Pflaumen.* Sunt fructus ab avellanæ usque ad majoris ovi magnitudinem variantes, vario quoque colore tincti, sive oblongi sive rotundi, sapore dulci, qui interdum aquosus, interdum acidulus est, præditi, includunt ossiculum ventricosum sive rotundum sive oblongum, in quo nucleus dulcis hæret, cui paucissima amarities est.

Prunus Domestica L. BLACWELL 305 pedunculis subsolitariis, foliis lanceolato-ovatis & ramis inermibus distinguitur.

Ex arbore Europæ Australi indigena, varietates copiosissimæ in nostris hortis coluntur.

Prunus Insitiva L. BLACWELL 494 quæ pedunculis geminis & ramis spinescentibus gaudet, copiose apud nos crescit; ejus fructus sub nomine *Haberschlehen* a plebe comeditur.

Pruna cum malis Armeniacis ratione virium conveniunt; varietates magis aquosæ facilius in ventriculo fermentant; dulces exsiccatæ vi sua saponacea alvum laxant, observante jam GALENO, & hoc scopo eorum decoctum non raro apud nos adhibetur.

* *Pruna laxativa* Wurtemberg. ratione virium cum

Paſſulis laxativis conveniunt. * *Electuarium Diaprunis ſimplex* MYREPSI correct. Pariſ. demulcentes & adſtringentes vires habet. * *Electuarium Diaprunis laxativum* Pariſ. Ejus uncia una grana duo Diagrydii vehit. *Electuarium Catholicon ſimplex* Noſtrat. Ad ſeſquiunciam in clyſteres ſtimulantes & flatus pellentes recipitur.

RUBI, βάτινα, eorum tria maxime genera in uſum trahuntur; unum *Rubi mora*, *Meures de Renard*, *Brombeeren*, ſatis prope ad mora ratione figuræ appropinquat, colore nigro, odore nullo, ſapore aquoſo dulci, cui aliquid viſcidi accedit, gaudet, ſecundum primo ſimile ſaporem magis aquoſum habet & colorem cæruleſcentem, tertium *Framboiſes*, *Himbeeren* rubrum eſt, interdum album, ſapore gratiſſimo vinoſo, odore ſuaviſſimo gaudet.

RUBUS. Corolla pentapetala regularis, calice quinquefido ſuſtentata, polyanthera, polygyna, fructus ex multis baccis tanquam totidem acinis exſtructus. *Fruticoſus* L. BLACWELL 45 foliis quinotis & ternatis ſubtus tomentoſis, fructu glabro diſtinguitur, *Cæſius* L. folia ternata utrinque viridia habet. *Idæus* L. BLACWELL 289 a primo, caule magis recto, aculeis rigidioribus inſtructo & fructu hirſuto differt. Hæ tres ſpecies per omnem Europam copioſe creſcunt.

Priorum ſpecierum fructus effectus horræis communes edunt, cum minus ſuaves ſint, hinc nonniſi a ruriculis in cibum recipiuntur. Idæi ob fragrantem quo ſcatent odorem, analepticis quoque adſcribuntur, humores attenuandi, ſitim ſedandi, æſtum ſanguinis refrænandi ergo cum ſucceſſu recipiuntur, & optimo conſilio, præeuntibus GESNERO & BARTHOLINO, febricitantibus exhibentur.

Rubi Idæi Aqua deſtill. & odore & acidulo ſapore ſe commendat: *Syrupus* SCHROED. * *Conditum* Wurtemberg.

temberg. *Rob* Wurtemberg. * *Vinum* Wurtemberg. Syrupo etiam gratius eſt: * *Spiritus per ferment.* Pariſ.

Uva, σταφυλὴ, *Raiſin*, *Traube*. Eſt racemus lignoſus, qui baccas gerit *Acinos*, *Beeren*, *grains* dictas variæ magnitudinis, varii coloris, figuræ ſive rotundæ ſive oblongæ, ſaporis dulcis, ſub cuticula tenaci includentes pulpam plus minus ſolideſcentem & ſemina *vinacea*, γίγαρτα, ſapore leniter adſtringente prædita.

Vitis corollam pentapetalam habet, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, monogynam, baccam unilocularem, polypyrenam.

Vinifera L. foliis lobatis & ſinuatis gaudet; *Laciniata* L. *Cioutat*, *ſpaniſche Trauben* foliis multifidis diſtinguitur.

Prior maxime ſpecies innumeras varietates dedit, colitur in Europa calida & temperata, nec non in omni reliquo orbe, ubi æſtates non nimis breves ſunt, aut clima non longiores pluvias gignit. Viticulturam non ultra quinquageſimum primum gradum ſeptentrionalem & trigeſimum verſus æquatorem locum habere obſervarunt. Ultimo demum ante C. N. ſeculo Romæ, in Avernis nec non & Sequanis vites coli cœperunt, in Gallia Narbonenſi poſtquam ipſa in provinciam Romanam redacta fuit, in reliqua Gallia demum poſt ſeculum quartum, verſus finem tertii in Alſatia, octavo autem in Rhingovia.

Uvæ ſive ſole aut clibano exſiccatæ ſive recentes in uſum trahuntur, priores *Paſſulæ* dicuntur.

Paſſularum duplex genus tabernæ aſſervant, unum quod dicitur: *Corinthen*, *Roſinlein*, *Raiſins de Corinthe* efformatur ab acinis varietatis *Apyrenæ* L. ſunt illi exigui, ribeſiis minores, ex purpura nigricantes, ſaporis dulciſſimi, cui levis aciditas accedit. Rejiciuntur aridæ, ſitum redolentes, & quæ ob mel ipſis adſperſum humidæ ſunt. Olim petebantur ex Corintho,

ibi autem hodie non ulterius coluntur, noſtra ætate in Maris Jonici inſulis Ithaca, Cephalene & Zacyntho, nec non in Moreæ Natolico, Voſtiza & Patris in Siciliæ inſula Liparo quoque parantur, acinos ſole & aëre exſiccando, & propriis cellis, ſuperne apertis, committendo, ubi ſubſident & adeo fortiter cohærent, ut nonniſi inſtrumentorum ope ſeparari poſſint, ex his cellis doliis immittuntur, pedibus conculcantur & aqua marina conſperguntur. Quotannis ultra centum millia centenariorum divendi tradunt.

Paſſularum majorum, *Zibebarum* Arabum, ***Meertrauben***, *Zibeben* duplex genus proſtat, maximæ parvis prunis æquales, denominantur a Damaſco ſive a Smyrna, *Raiſins de Damas*, oblongæ ſunt, compreſſæ, rugoſæ, fulvæ, non raro ſale ſaccharo ſimili conſperſæ, dulces, minus gratæ; ab his ſapore magis grato & quod ventricoſæ ſunt, differunt *Raiſins aux Rubis*, quæ in Gallo-Provincia exſiccantur, Calabrinæ his ſimiles, racemis adhuc adhærentes & filo connexæ proſtant; minores in Gallo-Provincia exſiccantur, ubi lixivio, quod oleum habet, immittuntur, ſole coquuntur, in areis exſiccantur.

Paſſulas a vi ſaponacea & ſopiente jam HIPPOCRATES laudat, alvum laxant, egregie demulcent, & hinc ad varium affectuum pectoris & renum genus cum ſucceſſu adhibentur; nutrientes quoque vires habent, notante HIPPOCRATE.

* *Paſſulæ laxativæ* Auguſt. ad unciam unam & ultra aſſumuntur ab illis, quibus alvus ſtricta eſt.

Uvæ recentes immaturæ *Verjus*, ſuccum habent ὀμφάκιον & Vernacula Italica *Agreſta*, acidum, multum adſtringentem, qui ab HIPPOCRATE ad lippitudinem laudatur, hodie rarius ſcopo medicato uſurpatur, juribus gratiæ ergo adjicitur.

* *Syrupus de Agreſta* ÆGINETÆ cum alios Syrupos acidulos habeamus, eviluit: * *Rob Uvarum* Pariſ.

* *Unguentum de Uvis* Brandeb. egregium ad herpetem & fiſſuras labiorum remedium, quo magis omnino præſtat *Unguentum ad fiſſuras labiorum* Noſtrat.

Uvæ recentes fructuum horæorum vires exſequuntur, ventriculo debili largius ingeſtæ facile in eodem fermentant, pelliculæ earum difficillime a primis viis ſubiguntur, notante jam GALENO, & KERCKRING obſervavit uvas per tres menſes integras in ventriculo ſubſtitiſſe.

Vinacei adſtringentes vires poſſident, ab HIPPOCRATE puerperis laudantur. Id quod ab uvis remanet, quando ſuccus inde expreſſus fuit *Vinacea*, στέμφυλα, *Mare*, *Draberen*, *Treberen* adſtringentes vires, & ob muſtum, quod ipſi adhuc adhæret, roborantes quoque habet, ſive ſub epithematis, ſive ſub balnei forma adhibetur illis, qui ſive rheumaticis, ſive paralyticis affectibus laborant; egregias inde in ſiſtendo ſphacelo vires vidit Cl. PLENCK.

Succus ex uvis expreſſus γλεῦκος, *Muſtum*, *Mouſt*, *Moſt* appellatur, ſine preſſione effluens πρότροπον, *Lixivium*, *Mere-goutte*, *Vorlauf*, id autem quod poſt primam preſſuram, ex inciſis vinaceis obtinetur *Circumcidaneum*, *Tortivum*, *Vin du preſſurage* dicitur. Eſt autem Muſtum liquor turbidus & dulcis, qui licet linguæ blandiatur, tamen bibendus non eſt, dum facillime inde noxæ a fermentatione in primis viis oriri poſſint, monente HIPPOCRATE, id quod obſervationibus confirmarunt PLATERUS, ZACUTUS LUSITANUS &c.

Muſtum ad tertias partes decoctum ἕψημα, *Defrutum*, *Weinmus*, *Vin cuit* dicitur, *Sapa* autem σίραιον, ἕψερον ſi ad dimidium, *Carenum* denique ſi ad duas tertias; noſtrum muſtum etiam ad quartas reducendum eſt pro parando inde Defruto. Muſtum coctione ſpiſſius evadit, ſaporem acidulum, & colorem qui ad nigrum accedit, induit.

Muſto varia ratione inſpiſſato olim tanquam medicamento ſaponaceo multum utebantur, illud etiam adhibebant ad condiendos cibos, ipſi hodie mel vel ſaccharum ſolemus ſubſtituere; Defrutum patrum noſtrorum ætate in deliciis erat; Sapa, quam Pariſini in officinas recipiunt, vulgo pro ſemine Sinapeos in embamma reducendo adhibetur.

Muſtum juſta fermentatione in Vinum vertitur, quod ex aqua, alcohole, mucilagine, reſina & tartaro conſtat, ab alcohole generoſitatem habet, a reliquis principiis cæteras, quibus pollet, qualitates; innumera cum proſtent vitis genera, varia tellus & varium cœlum quoque uvas diverſiſſimis rationibus alant & coquant, hinc diverſiſſima quoque Vina obtinent, ea pro noſtro ſcopo non incommode ratione coloris & ſaporis diſtinguuntur in talia, quæ propria dulcedine ſaccharina linguam feriunt, & in talia, quæ hac dulcedine carent; in alba porro & rubra: in albis ſemper evidens acidum eminere, refutatur a Vinis albis Burgundiæ, Aquitaniæ & Burdigalenſibus rubris autem omnino ſemper aliquid adſtringentis ineſt.

Vina dulcia illa ſunt, quæ ex regionibus orientalibus & Europa meridionali, orientali & occidentali ad nos adducuntur; hæc vina enim cum ob cœli calorem facile in fermentationem acetoſam tranſeant, ſive aliquid careni illis adjiciunt, more apud Romanos uſitato, ſive eadem aliqua aquæ portione, vel parum coquendo vel calcis vivæ ope, privant, ſive nonniſi uvas paſſas exprimunt & ita Veterum *Vinum paſſum* parant; tale in Alſatia ſuperiore conficitur, quod a ſtramine denominant, & quod nec optimo Canarienſi ſuavitate cedit. Hæc vina multum generoſa ſunt, hinc Gallis *Vins de Liqueurs*, Italis autem *Vini Secchi* dicuntur, cum plura eorum ex uvis paſſis parentur.

Hujus generis vinorum generoſitas non a largiore

alcoholis ratione pendet, cum poſt PORZIUM per experimenta NEUMANNI pateat, illa ejus nonniſi modicam vehere portionem, ſed potius a majori partium reſinoſarum, qua ſcatent quantitate, quippe quæ fibras evidentius ſtimulant, deducenda eſſe videtur, id quod experimenta ejuſdem auctoris, ſicca horum vinorum viſcoſitas, ſaturatus magis præ aliis color & eminentior vis corpora ipſis commiſſa contra corruptionem defendendi, evincere videntur.

Vina etiam ſecundum patriam diſtinguere ſolent, circa quod argumentum BOECLER, BEHR & NEUMANN mire copioſi ſunt; cum autem innumeris fraudibus, hac diſtinctione admiſſa, locus concedatur, idem etiam terræ tractus diverſiſſimæ indolis vinum largiatur, hinc melius ex qualitatibus, quas in vino deprehendimus, quam ſecundum patriam, quæ ipſi non raro affingitur, ejus præſtantiam dijudicamus.

Lora, δευτερίας οἶνος, *Piquette*, *Leger*, ſurgit ex aqua vinaceis affuſa & in fermentationem acta, tanquam tenue valde vinum dijudicanda.

Plurium vinorum analyſes NEUMANN habet, nimis prolixas, quam quæ hic adduci poſſent.

Neocomenſe $\frac{1}{6}$ alcoholis vehere *Prince* vidit; HOFFMANN eandem vinum Rhenanum proportionem ſervare expertus eſt, in Franconico $\frac{1}{9}$ alcoholis, in Hungarico $\frac{2}{7}$, in Burgundico $\frac{2}{9}$ invenit.

Vinum partes, quibus conſtat, ſi reſpicimus, alios atque alios edit effectus; hinc HIPPOCRATES jamjam pro variis caſibus varia vini genera commendat; ab aqua, ejus vires diluentes & ſitim ſedantes pendent; ob gummoſas partes demulcet & nutrit, obſervante GALENO; alcohol caput petit, exhilarat, ebrietatem cauſatur, motum humorum accelerat, ſudorem promovet, hinc ad febres malignas a LENTILIO, RIEDLINO commendatur, & ubi ægroti refocillandi ſunt, omnibus analepticis omnino præferendum eſt, ſed ob

eandem causam, & cum evidenter sanguinem & serum cogat, ego nollem in febribus inflammatoriis, continuis & intermittentibus illud concedere, licet ab HIPPOCRATE, GALENO, CÆLIO AURELIANO, BORELLO, HELMONTIO &c. multum commendatum; resinosæ, quibus scatet, partes & multum ad odoris & saporis suavitatem faciunt, & roborantes æque ac exæstuantes ejus vires augent; tartaro debet diureticas vires ab HIPPOCRATE & GALENO celebratas, a RIEDLINO confirmatas, nec non quod scorbuto medeatur observante SACHSIO. Idem fragrantia, qua pollet, ad subitaneam refectionem multum facere, omnis ætatis experientia docet.

Vina dulcia præ reliquis in usum trahuntur, cum vires multum augere animus est; rubra roborandi & adstringendi ergo reliquis præferuntur; alba præ cæteris evidentius sitim sedant, & urinam movent, minus caput petunt. Illa vina, in quibus fermentatio suppressa fuit, & quæ eam, cum aër ad ipsa accedit, denuo suscipiendo multam spumam faciunt *Vins mousseux*, tam quia partes mucilaginosas non debita ratione attenuatas habent, quam quia non possunt non in primis viis fermentationem violentam continuare, ab iis, qui sanitati suæ consulere student, nunquam haurienda sunt.

Vini cura, quam HOFFMANN commendat, ubi homines per aliquot septimanas nullo alio potu quam vino uti jubentur, vix nisi apud valde phlegmaticos videtur locum posse habere.

Infantibus licet vinum HIPPOCRATES commendet, & RIEDLINUS exempla proferat infantum, quibus matres mammas præbere non potuerunt, solo vino aqua temperato sustentatorum, ego tamen ætati teneræ, summe irritabili, potum qui caput petit, fibras densat & stimulat, humorum impetum intendit, commendare nunquam auderem; illi quoque qui vinum, lac

ſenum eſſe reputant, meminerint quæſo, ejus uſu rigiditatem ſolidorum, unde præcipue ſenectutis incommoda pendent, non poſſe non augeri.

Id præterea circa uſum vini adducendum eſſe duco, mucilaginem ejus, quando per fermentationem non ſufficienter fuit attenuata ad renes ferri & calculi ortui occaſionem dare, id quod vulgo peſſime a tartaro, ſive calce, quæ nunquam in vino obtinere poteſt, derivare ſolent.

Sed externe quoque vinum conducit, adhibetur fotus vel balnei forma ad partes roborandas, nec non ad fluida loco errantia diſcutienda, eodem butyro ſive oleis unguinoſis juncto ad ulcera abſtergenda & ad cutis ſquammas auferendas utuntur; vinum rubrum præcipue pro roborandis partibus in teneſmo, prolapſu &c. adhibent.

Acetum ſimplex, *Acetum deſtillatum*, *Spiritus Vini, rectificatus*, *tartariſatus*, *Tartarus*, *Cremor Tartari*, *Sal Tartari*, *Tinctura Tartari*, *Terra foliata Tartari*, *Tartarus Chalybeatus*, *Tartarus Emeticus*, *Tartarus tartariſatus*, *Spiritus & Oleum empyremat. Tartari*, *Sal Polychreſtus de Seignette*, *Sal Tartari*, *Oleum Tartari per deliquium*; de ſingulis in *Inſtit. Chemiæ* egi. * *Syrupus Acetoſus* Mesue multum hodie in Gallia ad Julapia recipitur: *Tinctura Tartari acris* Wurtemb. vix videtur a Tinctura Tartari vulgari differre: *Liquor terræ foliatæ Tartari per deliquium limpidus* eſt ſolutio terræ foliatæ in quadruplo aquæ ſecundum Noſtrates, in triplo vero ad normam Wurtembergenſium: * *Sal Tartari volatile* Wurtemb. * *Sal Tartari volatile* Tachenii: * *Specificum Tartari pharyngicum* Zobel abſurda compoſitio.

Uvæ crispæ, Gesner, *Groſeilles à maquereau*, *Kriſelbeeren*. Sunt baccæ ex rotundis ovatæ, umbilico eminente notatæ, per maturitatem ſive flavæ ſive rubræ, ſtriatæ, multum dulces.

Ribes Uva crispa L. habitu spinoso & fructu glabro distinguitur; crescit per omnem Europam; in hortis culta, fructus majores sistit. Fructus immaturi loco uvarum immaturarum ad condiendos cibos recipiuntur; maturi cum cerasis dulcibus, vires quod attinet, conveniunt.

γ. ADSTRINGENTES.

CORNI, κράνεια, κράνια, *Cornouilles*, *Cornes*, *Cornel*, *welsche Kirschen.* Sunt fructus umbilicati, qui olivarum figuram & cerasorum magnitudinem habent, vel cerei vel sanguinei, sub cuticula tenui includunt carnem dulcem, cui aliquid adstringentis accedit & in qua ossiculum hæret, quod fructui parum magnitudine cedit, durissimum, duos nucleos exiguos condens.

CORNUS. Corollam habet tetrapetalam regularem, calice quadrifido sustentatam, isantheram, monogynam & pomum umbilicatum dipyrenum. *Mas* L. BLACWELL 121 involucro umbellas æquante distinguitur.

Habitat in Europa temperata, non ultra Saxoniam ascendit.

Proxime ratione virium ad pyra minus adstringentia accedunt, minus bene a GALENO adstringentibus fortioribus adscripti.

* *Aqua destill.* Paris. iners omnino: * *Rob* VAL. CORD. demulcendi & refrigerandi ergo laudatur.

CYDONIA, *Cotonea*, κυδόνια, κοδύμαλα, *Coings*, *Quitten.* Sunt poma variæ magnitudinis; turbinata, mox plus mox minus rotunda, plus turbinata a Pyris, rotundiora a Malis denominantur, umbilicata, ad umbilicum angulis eminentibus notata, cute aurea instructa, quam densior lanugo tegit; caro firma est, flavicans, multum adstringens & acida, proprio odore prædita, quinque loculis osseis instructa, in quibus *Semina* hærent oblonga, muco obducta, quæ sub cor-

tice ſpadiceo medullam albam vehunt, & cum aqua conſiſtentiam mucilaginis induunt.

Pyrus Cydonia L. BLACWELL 137 foliis integerrimis diſtinguitur. Ex Creta in Italiam advecta hodie per omnem Europam colitur, multis etiam in regionibus ſpontanea occurrit.

Una ſeminum pars viginti quatuor aquæ partes viſcidas reddit, eadem dimidium ſui ponderis de mucilagine vehunt.

Fructus nimis acerbus, recens per ſe non poteſt comedi; in taleolos ſectus & exſiccatus multum de ſapore acerbo deponit, evidentes vires adſtringentes habet, notante jam HIPPOCRATE, & ideo tam menſis ſecundis imponitur, quam ægrotis exhibetur, varia ratione præparatus. Eorum decoctum ad procidentias commendat GALENUS, analeptico quoque ſcopo ob fragrantiam laudantur. Semina primi Arabes in uſum traxerunt; mucilago inde parata demulcendi & relaxandi ſcopo apprime inſervit, cum fructu ad morbos faucium, & cum acre in ventriculo hæret, exhibetur; extus ad ambuſta, fiſſuras, ophthalmiam uſurpatur.

Conditum Græcis & Romanis jam uſitatum, hodie adhuc menſis apponitur: * *Panis* Recentiorum, *Diacydonium* VAL. CORD. Μηλοπλακοῦντα Iberiæ edulium GALENI, vel hodie adhuc tam *ſimplex* quam *aromatiſatum* proſtat: *Syrupus* Arabum ὑδρόμηλον PAULI, ab hoc parum differt *Rob* Wurtemberg. Pariſini *Rob* ſimplex habent: * *Miva* Arabum exſolevit: *Vinum* SCHROEDERI ad illud DIOSCORIDIS accedit, ab illo Veterum, quod per fermentationem parabatur, diverſum eſt: * *Spiritus per fermentationem* Wurtemb. rariſſime uſurpatur: * *Diacydonium*, *Cotignac*, *Quitten-Lattwerg*, *Simplex* Auguſtanorum, *Marmelata* SCHROED. *Aromatiſatum* GALENI: * *Diacydonium laxativum pellucidum* ZWOELFERI, Noſtrates

hoc modo parant ut $\frac{1}{20}$ circiter reſinæ Jalappæ vehat, vix non in totum eviluit, crebrius uſurpatur *Diacydonium Jalappinum* VILLANOVANI, quod ope menſtrui aquoſi in hauſtum reducitur & $\frac{1}{16}$ reſinæ Jalappæ continet, ſecurum ſatis medicamentum, ſi rite fuerit paratum: *Oleum Cydoniorum* DIOSCORID. leniter adſtringit, id quod MESUE habet cum Omphacium receperit, validius erat.

* MESPILI, Μέσπιλα, *Neſles*, *Meſpeln.* Sunt fructus turbinati, qui ad magnitudinem minorum malorum accedunt, umbilico cavo coronati, rubiginoſi, villo conſperſi, qui ab arbore decerpti, elapſo demum aliquo tempore molleſcunt, & ſaporem gratum, vinoſum, cum evidenti adſtrictione, induunt, clibano exſiccati, quales in officinis proſtant, fuſci ſunt, evidenter adſtringentes.

MESPILUS. Corolla pentapetala regulari, calice quinquefido ſuſtentata, polyanthera, pentagyna, bacca coronata, umbilicata, pentapyrena gaudet: *Germanica* L. BLACWELL 154 foliis lanceolatis integerrimis diſtinguitur.

Creſcit in Europa temperata, ultra circulum Rhenanum in Germania non occurrit.

Crudi comeduntur, minus quam Cydonia adſtringentes, ſed rarius in menſas ditiorum aſſumuntur. A virtute adſtringente jam HIPPOCRATI laudati fuerunt, alvi fluxus inde ſopitos vidit FORESTUS.

* *Aqua* Pariſ. iners.

MYRTILLI Barb. *Vitis Ideæ fructus* GESNER *Airelles*, *Heidelbeeren.* Sunt fructus globoſi, umbilico notati, cæruleo-nigricantes, labia inquinantes, ex ſtyptico dulces.

VACCINIUM. Corolla quadrifida vel quinquefida calice ſimili ſuſtentata, diploſanthera, monogyna, bacca globoſa gaudet. *Myrtillus* L. BLACWELL 463 folia habet ovata, glabra, ſerrata.

Crescit in omni Europa.

Præter vires omnibus fructibus horæis communes, etiam adstringentes edunt, eorundem usum in cachexia scorbutica vidit BSCHERER.

* *Syrupus Brandeburg.* raro in usum trahitur.

OLIVÆ, *Oleæ*, ἐλαῖαι, *Olives*, *Oliven.* Sunt fructus subovati, variæ magnitudinis, maximi ex Hispania adducuntur, carnosi, virides, per maturitatem albescentes, demum nigricantes, sapore adstringente, plus minus amaro gaudent & includunt ossiculum oblongum, & durissimum, in quo nucleus parvus & dulcis hæret.

OLEA. Corollam regularem quadrifidam, simili calice sustentatam habet, oligantheram, monogynam, fructus drupa est bilocularis. *Europæa* L. BLACWELL 199 & 213 foliis lanceolatis distinguitur.

In Europa meridionali & Asia orientali sponte crescit & copiosissimæ ejus varietates coluntur, pro quibus & fructus & oleum inde obtinendum differunt.

Fructus versus initium mensis Octobris colliguntur, nondum maturi, lixivii cinerum ope, privantur amaro, qui ipsis proprius est, sapore, tunc collocantur cum aromatibus per strata, & aqua ipsis affunditur, hac ratione conditi eduntur & embammatibus adjiciuntur, ἁλμάδες, κολυμβάδες Græcis dicti.

Vires roborantes edere Olivæ creduntur, & appetitum excitare, notante jam GALENO. Pro bono oleo unguinoso inde acquirendo nec immaturæ, nec tales quæ justum maturitatis terminum excesserunt, debent recipi; illæ oleum amarum & quod difficulter clarum fit; hæ tale quod acrius, rancidum & nimis pingue est, largiuntur; Novembri mense ut plurimum justum maturitatis terminum solent assequi, mox postquam decerptæ fuerunt torculari committendæ sunt, nam fermentatio si conceditur, copiosius quidem, sed quod minus bonum est, solent largiri

oleum; id quod primum defluit; *Virgineum* dici ſolet, & præſtantiſſimum eſt; vilioris autem conditionis id habetur quod obtinent, dum Olivis jam expreſſis aqua adjicitur & denuo torcular adigitur. Limpiditas & ſaporis & odoris abſentia, de olei bonitate teſtantur, his adde ut non nimis unctuoſum ſit, quale Hiſpanicum eſſe ſolet.

Oleum vires oleorum unguinoſorum exſequitur, apud gentes meridionales loco butyri ad cibos recipitur, ſcopo medicato non male oleo amygdalarum ſubſtitui ſolet, ejus vires contra venena quæ animalium ictus vulneri inſtillat, obſervationibus evincere annituntur *Philoſophical Tranſactions*, VATER POUTEAU, ſed has dubias reddunt experimenta a GEOFFROI & HUNAULD coram Academia Pariſina inſtituta, nec non obſervationes BROGIANI & Illuſtris LINNÆI. OLIVER, præeuntibus GALENO & DIOSCORIDE, hujus olei abdomini illiti ope, hydropem tolli aſſeverat, & Cl. MEDICUS obſervationibus confirmare ſatagit. Hoc oleum vix non omnia Emplaſtra, Unguenta, Linimenta, Olea infuſa & cocta officinalia ingreditur; creberrime quoque clyſteribus adjicitur, cum autem ad hæc medicamenta ut plurimum vilius oleum, aut quod per ipſam præparationem corrumpitur, ſoleat recipi, hinc illa potius ab abſtergente quam a demulcente & relaxante virtute ſunt commendanda.

Sapo vid. *Inſtitut. Chem.*

* *Pilulæ Saponaceæ* Pariſ. ſunt ſapo in formam pilularem redactus: * *Oleum Saponis* JUNGKEN vires oleorum empyreumaticorum exſequitur: * *Oleum Philoſophorum* vid. *Inſtit. Chem.*

PYRI, ἄπια, *Poires*, *Birnen*, *Bieren*. Sunt fructus turbinati variæ magnitudinis & varii coloris, ſapor eorum varium adſtrictionis gradum habet, eidem creberrime aliquid aromatici aut vinoſi jungitur, ſe-

mina in eis hærentia proxime ad malorum ſemina accedunt; eorum quidam cito a maturitate in corruptionem ruunt, quidam demum poſtquam per ſeptimanas, imo menſes collecti fuerunt, omnem gratiam acquirunt; quidam acerbum ſaporem nunquam deponunt, & nonniſi aqua cocti & ſaccharo edulcorati in uſu ſunt.

Pyrus Communis L. pomis baſi productis agnoſcitur; ejus innumeræ varietates in hortis coluntur; fructus ſpeciei ſylveſtris ἀχράδες, *Holzbieren* nunquam, ob acerbum nimis ſaporem, in cibum recipiuntur, pauperiores ruſtici ex iis Pyraceum parant.

Pyra cum malis dulcibus ratione virium conveniunt, primæ viæ inde minus laxantur, HIPPOCRATES alvum ducere aſſerit.

SORBA, ὄα, *Cornes*, *Sorbes*, *Speyerlinge*, *Aſchenröslein*. Sunt fructus rotundi, umbilicati, parvorum pyrorum magnitudinem habent, uno latere pallidi, altero rubri, pulpam includunt flavam, adſtringente & leviter vinoſo ſapore inſtructam; aliquo demum, poſtquam ab arbore decerpti fuerunt tempore, edules fiunt.

SORBUS. Corollam habet pentapetalam, regularem, calice quinquefido ſuſtentatam, polyandram, trigynam, pomum tripyreneum. *Domeſtica* L. BLACWELL 174 foliis pinnatis & ſubtus villoſis diſtinguitur.

In iiſdem cum Meſpilo locis creſcit.

Sorba alvum ſiſtere HIPPOCRATES monuit, meſpilis autem minus adſtringere GALENUS. BRUYERINUS eorum ope dyſenteriam curavit, apud nos infantum & plebis deliciæ, ad uſus medicatos nunquam recipiuntur.

δ. AMARI.

AURANTIA AMARA. Immatura ſolent *Curaſſavica* dici. Conveniunt aurantia amara, ratione fragrantiæ,

cum dulcibus, ad intinctus recipiuntur, & vel integra vel eorum cortex ad ufus medicatos, nimirum ad roborandas primas vias & referandas obſtructiones viſcerum abdominalium, adhibentur. Pomis his, ex vino albo coctis, ſutorem quendam quartanam pertinacem curaſſe, RIVERIUS refert. Corticibus, quos *Flavedinem* dicunt, rejecta, qua intus obducuntur, ſubſtantia albeſcente, fungoſa, tanquam inutili, & tunc Seplaſiariis Cortices Curaſſavienſes dictis Medici maxime utuntur; eoſdem multum ad flatus diſcutiendos commendat HOFFMANN, ob vires aperientes fluxum menſtruum & hæmorrhoidalem inde moderari vidit WERLHOFF, & hydropicos curatos HEISTER, eorum evidentes in curandis febribus intermittentibus effectus obſervationibus adſtruunt LANZONIUS, NIGRISOLIUS, WERLHOFF, MOEHRING, HEISTER.

Aqua SCHROED. efficax omnino; * *Aqua vinoſa* Wurtemberg. * *Spiritus abſtractitius* Pariſ. * Ille Wurtembergenſium eſt claretum gratum & ſtomachicum: *Syrupus* ZWOELFFER, ipſi oleum eſſentiale Pariſienſes adjiciunt; iidem cum noſtratibus cortices cum aqua infundere jubent; Wurtembergenſes, præ ſcripto ZWOELFFERI inhærentes, vinum recipiendo, eum & gratiorem & ſuaviorem parant: *Conditum ſiccum* ex Italia adducitur: *liquidum* VAL. CORD. ad Electuaria recipitur: *Eſſentia ex Corticibus ſiccis* Auguſtan. ex *corticibus recentibus* Hamburg. parata omnino præferenda: * Eandem quoque cum *Vino Malvatico* Wurtembergenſes parant: *Elixir balſamicum ſtomachicum temperatum* HOFFMANNI egregium ad roborandas primas vias medicamentum: circa * *Oleum eſſentiale* ea, quæ circa Oleum Citri monui, retinenda: * *Elæoſaccharum* Auguſtanis *Eſſentia Corticum Aurantiorum* dicitur.

§. 17.

IV. NUCES.

Nuces, κάρυα, ſunt ſubſtantiæ, quæ involucro plus minus duro, ſubſtantiam ſiccam tegunt, oleo unguinoſo fœtam, quæ πυρὴ, *Nucleus*, *Noyau*, *Kern* ſolet dici. Dum nuclei & oleo unguinoſo gaudent & etiam mucilaginem habent, quæ efficit, ut illud ab humoribus noſtris poſſit recipi, hinc evidens eſt, quod multum ad nutritionem faciant, cruorem enim & pinguedinem ab oleo præcipue conſtitui, alibi evincitur; cum autem mite modo oleum in noſtrum nutrimentum poſſit verti, hinc de illis ſolum Nucibus hic verba faciam, quæ dulci, quem linguæ imprimunt, ſapore de miti olei, quod vehunt, natura teſtantur. Sed medicatos quoque effectus Nuces edunt, ratione olei enim, quo ſcatent, acria obtundunt, & hinc *Demulcentibus* adſcribuntur, ſtricturas quoque relaxant & ob utramque hanc virtutem annumerantur *Refrigerantibus*, ſopientes præterea effectus edunt; cum autem inde primæ viæ debilitentur, eædem inſuper diutius in primis viis ſubſiſtentes facile corrumpantur, hinc ſive nimia quantitate ingeſtæ, ſive ab hominibus, quibus ventriculus debilis eſt, aſſumtæ, viſcera digeſtionis debilitant, acrimoniam etiam oleoſam cauſantur. Ea denique, quæ in *Inſt. Chem.* circa toſtionem monui, evincunt, quod inde Nuces quidem ſapidiores reddantur, ſed cum evidenti virium medicatarum & nutrientium diſpendio.

Amygdalæ, *Nuces Græcæ*, ἀμύγδαλα, θάσιαι, *Amandes*, *Mandlen*. Sunt nuclei oblongi, mox ventricoſi, mox compreſſi, variæ magnitudinis, ſive dulces, ſive amari, albi, cuticula tenui, rufeſcente veſtiti.

Amygdalas longas *Jordanicas*, latas *Hiſpanicas*, parvas *Barbaricas* quidam ſolent appellare: graciles,

quarum medulla flavescit, diffractæ, rugosæ rejiciuntur.

Amygdalus Communis L. BLACWELL 105 fructu exsucco dignoscitur.

Arbor Syriæ & Arabiæ indigena, CATONIS ævo ex Græcia in Italiam allata, in Europa occidentali & meridionali copiosissime colitur, apud nos quoque & in Palatinatu viret. Flores sub initium Aprilis apparent, autumno fructus maturat.

Amygdalæ dulces sui ponderis dimidium Olei fundunt, quod levissime flavicat & amygdalas redolet; surfures ab expressione reliqui semper aliquid olei retinent, hinc cum aqua lactescunt, & vires saponaceas edunt. Amaræ sui ponderis quartam partem olei largiuntur, antecedenti simillimi, amarities in mucilagine & partibus terrestribus hæret, ab aqua & spiritu vini recipitur & ab iisdem supra alembicum ducitur. LEWIS. Aqua ab amygdalis destillata proprium odorem, quem a nucibus denominant, habet.

Nutrientes, demulcentes & relaxantes vires amygdalis inesse HIPPOCRATES jam monuit, pro his scopis sive in emulsiones redactæ, sive varia ratione cum saccharo mixtæ, ad sopiendam tussim, mitigandos dolores intestinorum & viarum urinariarum, nec non sanguinis qualescunque fluxus adhibentur; nutricibus dantur, ut ipsis lac augeatur; refrigerandi quoque scopo in multo febrium genere usurpantur: externe ad excoriationes, fissuras, ambustiones præscribuntur.

Amygdalæ amaræ, cum evidentem acrimoniam habeant, brutis omnino lethalem, observantibus *Ephemeridibus Naturæ Curiosorum*, WEPFERO &c. hinc resolvendi fine, præeunte GALENO, laudantur, roborandi appetitus ergo, ad mucum renum solvendum SOLENANDRO & UNZERO monentibus, nec non scopo anthelmintico adhibentur, earum vis ebrietatem

tatem arcendi, a DIOSCORIDE celebrata, jam diu eviluit: ad præcavendam hydrophobiam facere Cl. THEBESIUS eſt expertus. Externe ad delendas cutis maculas, & ut ipſi nitorem concilient, uſurpantur, quo ſcopo eaſdem in paſtam tundunt, illis varia adhuc coſmetica nec non ſuaveolentia adjiciunt; diverſæ tales compoſitiones ſub nomine *Pâtes d'Amandes* proſtant.

.*Oleum Amygdalarum dulcium* MESUE cum gratia reliqua olea unguinoſa vincat, hinc præ reliquis intus exhibetur. * *Oleum Amygdalarum amararum* DIOSCORID. ratione virium a priori non differt. * *Ceratum Amygdal.* Pariſ. non male *Refrigeranti* GALENI ſubſtituitur.

AVELLANÆ, *Nuces Ponticæ*, *Præneſtinæ*, κάρυα ἡρακλεωτικὰ, *Noiſettes*, *Haſelnüſſe*. Sunt Nuces calice viridi complexæ, qui ſi nuce minor eſt *Calva* Veteribus audiebat, ſive rotundæ, ſive oblongæ, majores, minores, ſub cortice lignoſo, fragili, umbilico notato, includunt nucleum album, pellicula ſive alba, ſive rubra tectum, ſuavi & proprio odore inſtructum.

CORYLUS. Arbor relativa monophyta, amentacea. Mares inter ſingulas ſquammas ad 8 uſque antheras habent; feminæ ſolitariæ, ſtylis duobus gaudent: *Avellana* L. BLACWELL 293 ſtipulis ovatis & obtuſis diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam.

Primo vere flores prodeunt, ſub finem æſtatis fructus matureſcunt

Varietatis propriæ fructus, quæ præcipue in Avellino Regni Neapolitani Ducatu colitur, ſub nomine *Römiſche Haſelnüſſe* in noſtris tabernis per omnem annum proſtant.

Avellanæ ſui ponderis dimidium olei unguinoſi fundunt, amygdalino, præter odorem, ſimillimi.

Eſt his nucibus evidens quædam adſtrictio, hinc præferuntur amygdalis ubi roborandi ſcopus obti-

net, ad alimentarios potius quam ad medicatos ufus adhibentur.

Ligni & Vifci Corylini ufus eviluit, nec non Olei empyreumatici, quod fub *Heracleotici* nomine olim celebrabant.

* *Oleum Avellanarum* MESUE maxime ad augendum capillorum incrementum laudatur.

CACAO NUCES fubrotundæ funt, interdum oblongæ, includunt fub putamine rufefcente fragili, duriufculo, medullam ficcam, oleofam, in plures partes inæquales divifam, extus fulvam, intus fufcam, fapore proprio grato, leniter acerbo, leviffime amaro inftructam, & odore proprio levi præditam.

Quadruplex harum genus in tabernis folet proftare. *Caraccas* a Nicaragua, Regni Mexicani regione, denominatæ, reliquis majores funt, earum cuticula externa miculis albis ut plurimum videtur confperfa effe, nucleus fpadiceus & evidenter oleo turgens; *Barbiches* priores magnitudine fequuntur, pellicula ex rufo fufca, medulla profundius quam antecedens tincta, minus olei vehit, ex Antillis majoribus afferuntur; *Infularum* reliquis minores & magis aridæ a Caribæis nobis mittuntur; *Brafilienfes* reliquis longiores funt & magis rufæ.

THEOBROMA. Corollam quinquefidam, calice quinquefido fuftentatam, nectariis inftructam, ifantheram, monogynam, fructum oblongum, multas nuces continentem habet: *Cacao* L. BLACWELL 373 foliis integerrimis gaudet.

Præter regiones jam dictas ad fluvium Amazonum quoque crefcit, ab Hifpanis in Infulas Philippinas etiam transplantata, per omnem annum fructus gerit; nuces ex fructibus exemtæ, in acervos colliguntur, ut incalefcant & inde fapore acerbo & amaro priventur.

Nuces Cacao feculo fexto & decimo, imo fuperio-

ris medio adhuc parum frequentes in Europa fuiſſe ex CLUSIO & SCHROEDERO patet; ſui ponderis tertiam circiter partem Olei albiſſimi, quod in noſtro climate conſiſtentiam ſpiſſam habet, & hinc *Butyrum* dicitur, fundunt. $\frac{1}{8}$ Extracti reſinoſi amari & acerbi exhibent. CARTHEUSER.

Hæ nuces ob oleum unguinoſum, quo ſcatent, vires nutrientes omnino edunt, cum autem idem ſpiſſum ſit & hinc difficilius digeri queat, ideo vix nudæ in uſum trahi ſolent, ſi autem torrentur, ſaccharo præterea & aromatibus condiuntur, quo fit ut facilius viribus coctionis cedant, & humoribus noſtris commiſceri queant, tunc demum corpus noſtrum inde inſigniter nutritur, hinc jam Hiſpani, cum primum Regnum Mexicanum adierint, viderunt quod Americani iſtas toſtas & cum aromatibus mixtas ſub *Chocolatæ* nomine receperint; Chocolata ante medium ſuperioris ſeculi in Europa in uſu eſſe & parari cœpit, priores illam parandi rationes fuerunt admodum prolixæ, hodie ſimplicior & melior componitur, parum refert, ex qua urbe petatur, dummodo rite fuerit confecta; illam quæ aromatibus & Vaniglia caret a *Sanitate* ſolent denominare, quam ego ſaltem cum Chocolata medicamentum roborans eſſe debeat, alteri nequaquam vellem præferre. Tanquam inſigne nutriens ſenibus & debilibus exhibetur, phtiſicum inde curatum MUNDIUS vidit, aphrodiſiaco quoque ſcopo laudatur. Ejus uncia cum aqua aut lacte pro doſi datur. Recipitur quoque ad Electuaria, Morſulos &c.

Butyrum quod, refragante omnino experientia, nunquam rancorem recipere dicitur, tam ad internos quam ad externos uſus ſpermati ceti ſubſtituitur, imo cum eodem majorem gratiam habeat, etiam præfertur.

CAFFEA, *Cofea*, dicuntur Semina variæ magnitudinis, ovata, convexo plana, quorum facies plana ſulco longitudinali notata eſt, odore pauco, ſapore

leniter auſtero, colore flavicante gaudent, ſub cortice ſicco medullam ſiccam includunt.

Hæc ſemina pro varia patria, unde advehuntur, varia ratione differunt: illa quæ ex Arabiæ Yemen adducuntur, ab Oriente denominantur *du Levant*. parva ſunt, pallide flava, cum veſtigio viroris, reliqua gratia vincunt; his proxime accedunt, quæ Mocca nobis largitur, prioribus magis flava; Semina ex America in Syriam vehi & ibi cum Orientalibus miſceri præter POCOCKE plures autoptæ teſtantur. Ea ſequuntur in Inſula Bourbon collecta, propius ad albedinem accedentia; Java grana majora & quæ evidentius flava ſunt, nobis mittit, his etiam majora ſunt Surinamenſia, quibus præferri ſolent minora, quæ Martinica ſubminiſtrat.

COFFEA. Corollam quinquefidam regularem habet, calice quadrifido ſuſtentatam, iſantheram, digynam, fructum baccam: *Arabica* L. BLACWELL 337 bacca dipyrena gaudet.

Arabiæ indigena arbor, de cujus fructu primum Schehabeddin Ben Abdalgiafar Almaleki ſeculo XV ſcripſiſſe HALLER monet; in Inſulis Americanis circa annum 1715, in Aſiaticis & in Inſula Bourbon anno 1719, in Martinica anno 1720, in Java anno 1723, coli cœpit, illam anno 1680 RAUPES Divioni ſuo horto intulit, anno 1710 in horto Amſtelodamenſi ex ſeminibus ſurrexit, hodie non infrequenter in caldariis curioſorum occurrit. Ubi ſub libero cœlo creſcit per omnem annum fructibus maturis abundat, largiſſimas meſſes Majo menſe fundit, baccæ ab arbore decerptæ ſole exſiccantur & cylindris ligneis agitantur, ut ſemina dimittant.

MAPPUS deſtillatione ſpiritus $\frac{3}{16}$, olei $\frac{1}{16}$, DU FOUR olei $\frac{1}{6}$ fere, BOURDELIN ſpiritus $\frac{1}{2}$ fere, olei $\frac{1}{6}$ fere, GEOFFROI ſpiritus $\frac{3}{8}$ fere, olei ultra $\frac{1}{5}$ NEUMANN ſpiritus $\frac{3}{8}$ fere, olei ultra $\frac{1}{3}$ Clar. ROSE ſpiritus $\frac{7}{16}$, olei $\frac{1}{7}$ fere inde obtinuerunt. Ex fabis to-

ſtis NEUMANN Extracti aquoſi ſuavis dimidiam earum partem & quartam Extracti ſpirituoſi extraxit, Clar. ROSE de Extracto aquoſo eandem quantitatem ac NEUMANN accepit, Extracti autem ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ fere. Aqua & ſpiritus vini, ſi a fabis toſtis abſtrahuntur, earum odore & ſapore imbuta deſtillant.

Infuſum horum ſeminum verſus finem ſeculi XVI in frequentiſſimo uſu apud gentes Orientales fuit, ipſa ſemina anno 1657 primum Maſſiliam & anno 1669 Pariſios fuerunt advecta; ex illo tempore immenſa quotannis quantitas in Europam adducitur. DU FOUR teſtatur eorum ultra 120000 Centenaria quotannis ex Arabia divendi; anno 1723, 19061 Centenaria Amſtelodamum fuiſſe advecta memorant *Breſslauer Verſuche* & ex Martinica anno 1756, 180000 Centenaria Europam miſſa fuiſſe refert Cel. JACQUIN.

Fabæ Caffe antequam in uſum trahuntur, torrentur, unde & ſapidæ & odoræ redduntur, ita ut multum earum gratia a juſto toſtionis modo pendeat, ſed inde quoque earum oleum attenuatur & diſponitur, ut & aquam poſſit ſubire & ventriculum irritare & ad humores noſtros pervenire.

Infuſum cum amarum ſit & evidenter linguam ſtimulet, ideo rectiſſime medicamentis, quæ digeſtionem promovent & obſtructionibus viſcerum medentur adſcribitur (§. VII.) hoc ſcopo etiam, teſte ALPINO, apud Orientales laudatur & ejus ad cephalalgiam ſympathicam utilitatem a BONETO, BAGLIVIO, STAHL, DU FOUR, LENTILIO, NEBEL, Cl. RITTER &c. obſervatam accepimus, evidens porro ſit, quod prudenti conſilio poſt prandium hauriatur, ex hac ejus virtute vitia digeſtionis corrigendi patet, cur febres & diarrhœas inde curatas inde viderit DU FOUR & vertiginem DE MURALTO. Sed idem infuſum etiam pro indole olei empyreumatici, quo ſcatet, ſolida ſtimulando & humores attenuando agit, quem ulti-

mum effectum quoque, dum ſanguini e vena fluenti affunditur, quotidiano experimento poſſumus videre, denuo itaque, quod ad reſerandas obſtructiones egregie faciat, patet, hinc ALPINUS & DU FOUR catamenia inde reſerata viderunt, ultimus quoque podagram curatam & aſthma pituitoſum ſopitum. Hoc autem infuſum, quia penetrante ſuo odore evidenter quoque in nervos agit, hinc ſomnum arcere & tremores interdum excitare obſervatur, ſed id quod abuſui aut idioſyncraſiæ debetur, nihil contra virtutes optimi potulenti probat. HOFFMANNI hypotheſis, quod Caffeæ uſus ortui exanthematis miliaris cauſam præbuerit, vel ex inde refutatur, quod probante Cl. ALLION hoc exanthema obtinuerit, antequam illa in uſum tracta fuerit, & quod apud plures gentes hoc demum ſeculo exanthema fuerit obſervatum. Vapore decocti Caffe grandinem curatum vidit ZWINGER, & eodem ſub forma clyſmatis injecto apoplexiam ſanatam MALLEBRANCHE. Optime fabarum toſtarum & in pulverem comminutarum uncia una cum unciis ſex aquæ ſemel modo ebullire permittitur.

Varia ſemina oleoſa, dum torrentur, dant infuſum, quod ad illud fabarum Caffe accedit, ſed omnia quæ hactenus tentata fuerunt, ipſi omnino gratia multum cedunt.

CASTANEA, βάλανος, *Châtaigne*, *Caſtanie*, *Keſte*. Eſt Nux ventricoſa, ex ovato triangularis, umbilico notata, uno latere convexa, altero plana, inferne in exiguum mucronem producitur, ſub cortice coriaceo, tenaci, badio, interne multum tomentoſo includit nucleum album, ſolidum, proprio ſuavi odore & ſapore dulci inſtructum, cuticula ſtriata & fulva tectum.

FAGUS. Planta relativa monophyta, marium amentum corollas quadri, quinque ad ſex fidas, octantheras continet, feminarum corollæ quadri, imo ſex fidæ, trigynæ, amento oblongo incluſæ, capſula ſpinoſa polypyrena eſt: *Caſtanea* L. BLACWELL 330

Amentis maribus prælongis & foliis nudis dignoſcitur, inoculatione in ſativam mutatur, cujus fructus *Marons* dicti, ſylveſtres & volumine & gratia ſuperant.

Creſcit in Europa minus frigida, non alte in Germaniam aſcendit; ſativa in Gallia Meridionali & Italia colitur.

Ex duabus Caſtanearum libris torcularis ope nullum oleum, ſed ſuccum, qui in fermentationem vinoſam ruit, obtinui.

Caſtaneas efficaciter nutrire GALENUS monet, eaſdem Græcos olim pro pane comediſſe XENOPHON teſtis eſt, hodie etiam vulgarem monticularum in Gallia Meridionali & Italia cibum conſtituunt; elixando vel torrendo digeſtu faciliores redduntur; minus bene nuces difficilius a ventriculo ſubigendæ cum butyro menſis ſecundis apponuntur.

* COCCOS NUCES quæ fructus τȣ̃ φοίνικ⊕ ἐλάτης, videntur eſſe, prægrandes ſunt, irregulariter rotundæ, fuſcæ vel nigræ, inferne uno foramine & duabus foveolis ſemilunatis notatæ, ſub cortice duro, præter liquorem dulciſſimum, medullam albam, duram, dulcem, ſapidam includunt.

Coccos L. Palma relativa, monophyta, ſpatha univalvi & ſpadice ramoſo gerens corollas tripetalas ſimili calice exceptas, in maribus diploſantheras, in feminis autem monogynas, drupa gaudet coriacea, fibroſa, obſolete trigona, nucem includente.

Creſcit inter Tropicos.

Nuces Indi comedunt, & variarum Inſularum Americanarum coloni eis ſolis vitam ſuſtentant; recentium ſuccus in potum recipitur, nec non liquor, qui ex vulnerata ſpatha ſtillat, quem *Vin de Palma* dicunt, probe diſtinguendum a Vino, quod ex Palma, una Canarienſium inſula, ad nos adducitur.

De his Nucibus tegmen oſſeum ad nos mittitur, quod ſive tabernas Seplaſiariorum ornat, ſive vario artificio condecoratum in muſea recipitur; habemus præter-

ea oleum inde expressum, quod in officinis dicitur * *Oleum Palmarum*; albissimum, inodorum, insipidum & in nostro aëre consistentiam spissioris unguenti habens, quod a propria Coccos specie, quam Butyraceam dicunt, desumitur.

Emplastrum Diapalmæ seu *Dialchaciteos* GALENI, hinc inde Dispensatoria a præscriptione GALENI recedunt. Multum exsiccat, ad inflammationes dissipandas & ulcera exsiccanda adhibetur; a GALENO præterea rheumaticis, arthriticis, herniosis commendatum.

JUGLANDES NUCES, *Persicæ*, *Regiæ*, κάρυα, κάρυα βασιλικὰ, *Noix*, *Nüsse*. Sunt nuces rotundæ, variæ magnitudinis, quæ sub putamine viridi, tenaci, adstringente, amaro, digitos nigredine inficiente, sulco longitudinali notato, *Caliola* Barbarorum, includunt officulum durum, albicans, rugosum, sub quo nucleus quadrilobus, septo distinctus, rugosus, dulcis, cuticula flavicante & adstringente tectus reperitur. Juglandes officulo fragili tectæ *Tarentinæ* PLINIO *Molusca* Recentioribus audiunt, qui illas, quæ præduro cortice gaudent, *Moracillas*, illas vero, quæ magnitudine multum eminent *Caballinas*, Junio mense demum vernantes, a *festo Johannis* denominant.

JUGLANS. Planta relativa monophyta, flores mares amentacei, corolla sexfida, polyanthera gaudent, feminæ calice quadrifido, corollam quadrifidam, digynam sistunt, fructus drupa: *Regia* L. BLACWELL 247 foliis pinnatis quinatis & septenis agnoscitur.

Syriæ & Persiæ civis apud nos copiosissime in hortis, agris & ad vias colitur; floret mense Aprili, Septembri fructus maturat.

Exsiccatæ dimidium sui ponderis olei fundunt, dulcis, flavicantis, suavissimi, nullo frigore consistentis, pictoribus utilissimi.

Nuces immaturæ, sub nomine *Cerneaux* mensis solent imponi, substantia potius aquosa, viscida, quam

oleoſa gaudent, juſto majore quantitate ſi aſſumuntur, ventriculum gravando & in eodem corruptionem ſubeundo, graves noxas excitant. Maturæ & recentes nutriunt evidenter, ab omni tempore contra venena fuerunt laudatæ, quem effectum ratione olei videntur edere. Per aliquod tempus aſſervatæ flaveſcunt & rancorem ſuſcipiunt, tunc omnino noxius eſt earum uſus.

Reliquæ Juglandum partes ſive ad Medicinam non adhibentur, ſive eviluerunt.

* *Aqua deſtillata.* * *Oleum* MESUE vix amygdalino inferius, olivaceo ad lucernas magis præſtare dicitur, intus ſumtum tæniæ mederi GEOFFROI, PASSERAT DE LA CHAPELLE & BINET obſervarunt. * *Conditum* VAL. CORD. ob putaminis vires adſtringentes ventriculum roborat. * *Rob* GALENI vires reſolventes & roborantes habet, ad collutiones & gargariſmata maxime adhibetur.

PINEÆ NUCES Barbar. *Nuclei Pinei* Veterum, στρόβιλα, κόκκαλοι, *Pignons*, *Pinien*. Nuclei parvi, oblongi, ventricoſi, utrinque obtuſi, albiſſimi, tunica rufeſcente, ſicca, gracili veſtiti, ſapore dulci cui aliquid proprii, minus grati accedit, gaudent.

PINUS. Arbor relativa monophyta, amentacea, flores mares in racemos diſpoſiti, plura ſtamina inferne connata habent; feminæ in conum ſquammis ligneis efformatum diſponuntur, monogynæ, fructus nux eſt, ala membranacea ſuperne aucta. *Pinea* L. BLACWELL 189 foliis in juniore planta ſolitariis diſtinguitur.

Creſcit in Hiſpania, Italia & Gallia meridionali.

Ultra tertiam ſui ponderis partem olei unguinoſi fundit.

Ab HIPPOCRATE ad morbos inflammatorios commendantur, eas multum nutrire GALENUS perhibet; a gentibus meridionalibus in cibum recipiuntur, inter

nos vix niſi ad reſinoſa in pulverem aut emulſionem reducenda adhibentur.

Pistaciæ Nuces, πιςάκια, *Piſtaches*, *Piſtacien.* Nuclei oblongi, obſolete trigoni, ſub cuticula rufeſcente includunt medullam viridem, dulcem, ſuavem.

Pistacia. Arbor relativa diphyta. Mares amentacei corollam qninquefidam, iſantheram, feminæ trifidam & trigynam, drupam autem ſiccam monopyrenam habent. *Vera* L. Blacwell 461 foliis impari pinnatis & foliolis ſubovatis diſtinguitur.

Sponte in Aſia creſcit, colitur in Europa Meridionali & Occidentali, quo primo noſtræ æræ Seculo fuit delata.

Olei aurei $\frac{1}{11}$ circiter largiuntur.

Ratione virium ad Pineas accedunt, eis ſuaviores in bellaria & morſulos,, ſcopo nutriendi, recipiuntur.

* *Oleum expreſſum* Schrœd.

* Tribulus Aquaticus, τρίβολος, ἔνυδρος, *Châtaigne d'eau*, *Waſſernüſſe.* Eſt fructus caſtanea minor, quatuor alis acutis inſtructus, qui ſub cortice nigro, nucleum cordiformem, album, ſapore dulci præditum condit.

Trapa L. Calice quadripartito ſuſtentat corollam tetrapetalam regularem, tetrantheram, monogynam.

Creſcit in omni Europa, præter maxime ſeptentrionalem.

A Galeno contra inflammationes laudatur, proxime ratione virium videtur ad Caſtaneas accedere.

§. 18.

Animalia cum vehant gelatinam, hæc autem ſit præciſe id, quod ſolida noſtra reſtituit, ſerum quoque a gelatina reſtituatur, pinguedo præterea ad reparandas oleoſas, quas continuo perdimus, partes faciat, & præcipuum cruoris principium conſtituat, hinc

evidens eſt, animantia ad nutriendos homines apprime facere, quia autem quodlibet animantium genus propriam & gelatinam & pinguedinem habet, quæ tunc demum nos nutrire valent, quando per noſtras vires in noſtram naturam mutantur, eædem præterea pro vario animali, aut varia ejus parte, variam digeſtionis operam requirunt; hinc Medicorum eſt determinare, quomodo varia animalia & variæ eorum partes ſeſe circa nutriendos varios homines gerant.

§. 19.

Docuit autem experientia, gelatinam teneriorem, facilius per vires digeſtionis extrahendam, & nutritioni aptandam, largiri animalia juniora & animantium muſculos, qui ſub *Carnis* nomine veniunt, ſuccoſiores, viſcera porro laxa, nec non oſſa ſpongioſa & tenera; hæc gelatina, quo tenerior eſt, eo tenuiores gignit humores, eo laxiora inde ſurgunt ſolida, eo citius per vitam conſumitur alimentum quod ſubminiſtrarunt: gelatinam viſcidiorem, digeſtu difficiliorem, difficilius noſtris partibus aſſimilandam, humores denſiores, ſolida firmiora efficientem, ægrius per vitam conſumendam, exhibent animalia annoſiora, carnes tenaciores, cartilagines, tendines, ligamenta, membranæ, viſcera ſpiſſiora membranacea, oſſa denique duriora. Obſervandum præterea eſt, quodlibet animal non modo eo meliorem gelatinam vehere, quo ipſum magis perfecta ſanitate gaudet, ſed etiam reliquorum ſuccorum, quo gaudet, rationem habendam eſſe, cum illi una cum gelatina noſtrum corpus ſubeant, hinc non alia, niſi quæ integra ſanitate gaudent bruta, quæ loca ſalubria inhabitant, & quæ vitam rite exercitiis temperatam vivunt, ſunt aſſumenda, & probe attendendum quo pabulo fuerint paſta. Carnes animalium, quæ in ſylvis & agris

verſantur, optime laborant, ſanguine abundant, locis minime aquoſis, ſiccis & æſtuoſis vitam agunt, reliquis magis nutrire, monuit HIPPOCRATES. Alcalinum principium, quod in brutis victu animali utentibus obtinet, in cauſa eſt, ut minus homines nutriant, & varium morbi genus ipſis facile affricent. Quadrupedum ſtructura cum proxime ad noſtram accedat, hinc eorum gelatinam nobis proxime accommodatam eſſe evidens eſt, & docuit experientia inter hæc, pecora nobis nutriendis præ reliquis aptiora lacte nutrita & ſemellas digeſtu quidem faciliora, ſed minoris nutrimenti eſſe, caſtrata optime digeri & largiſſimum alimentum præbere. Poſt quadrupeda aves nos optime nutriunt, ſequuntur piſces, ipſi ab amphibiis excipiuntur & hæc a vermibus.

§. 20.

Animalia, ſi teſtacea excipimus, rariſſime cruda aſſumuntur; horror quo corripimur, ſi eis crudis veſci debemus, num exemplo debeatur, an ſit vox Naturæ, hic non diſputo: comeduntur ſive *Elixa*, ubi menſtrui aquoſi ope fibræ emolliuntur, & digeſtioni aptantur, ſive *Aſſata*, cum carni is admovetur caloris gradus, ut cruor & ſerum in exterioribus vaſis denſentur, fibræ exſiccentur, & ita cruſta excitetur, ſub qua coërciti in interioribus humores per continuantem calorem agitantur, in vapores reſolvuntur, fibræ omnes in vero balneo vaporis maceratæ emolliuntur, ſive *Frixa*, dum ope pinguedinis calore denſatæ, cruſta carnibus inducitur, ſub qua ea fiunt, quæ ſub aſſatione contingere dixi, ſive *Sale condita & fumo indurata*. De carne elixa multum gelatinæ aquam, cum qua coquitur, ſubit, quæ inde *Juris* nomen induit, hinc ſi coctio modum excedit, talis caro plane iners redditur, notante jam HIPPOCRATE; dum ſub

aſſatione optime fibræ emolliantur, nec quicquam de gelatina perdatur, hinc pro optima carnem ad cibum præparandi ratione jure habetur; Frixa facile incommoda ab acrimonia oleoſa metuenda cauſatur. Dum ſale carnem condimus, ſub ipſa conditura multum gelatinæ inde eluitur, fibræ rigidiores & hinc digeſtu difficiliores redduntur, ſal qui fibris accreſcit, in gelatinam uſque penetrat, reſolutioni, quæ in primis viis fieri debet, obicem ponit, gelatinam ad nutritionem minus aptam reddit; fumus, dum vernice quaſi fibras obducit, empyreumate quoque ipſam gelatinam afficit, ea quæ a ſale fieri dixi, etiam auget, imo ipſam pinguedinem carni interpoſitam rancore afficit; hinc tali ratione præparatam carnem minus laudandam eſſe, evidens fit.

I. QUADRUPEDA.

α) Cicura.

Bos. Animal quadrupes, pedibus biſulcis inſtructum, utraque maxilla duodecim molares, inferior præterea octo inciſivos gerit; *Taurus* L. cornubus erectis, teretibus, fronte glabra, dorſo non gibboſo juba mediocri a congeneribus differt. Pro varia patria magnitudine quoque boves diſtant, ſeptentrionales maximi ſunt, meridionales minimi, illi maxime quos Barbaria alit.

Mares ταῦροι, *Tauri*, *Taureaux*, *Stiere* verſus ſecundum ætatis annum puberes evadunt, & ad hanc vitæ periodum uſque δαμάλαι, *Juvenci* dicuntur, taurus caſtratus proprie βȢς, *Bos*, *Ochs*, *Bœuf*, appellatur; femellæ βόες, *Vaccæ*, *Vaches*, *Kühe*, ſeſqui ætatis anno puberes, ab Aprili ad Julium uſque taurum admittunt, prægnantes *Hordarum*, βόων ἐγκύων, *Vaches pleines*, *tragende Kühe* nominibus veniunt, per novem menſes utero gerunt, & edunt *Vitulum*, μόλον, *Veau*,

Kalb, qui ſexta a partu ſeptimana optimus ad cibum eſt, tauri & vaccæ poſt nonum ætatis annum decreſcunt, vix ultra quintum & decimum vitam extendunt.

Bos ut plurimum in latus ſiniſtrum ſolet decumbere, hinc hujus lateris renem, quem Galli *Rognon* dicunt, majorem eſſe, & copioſiorem pinguedinem habere obſervatur; triennis novos dentes & nova cornua producit, quæ ultima quotannis novo circulo augentur; decennis ad uſus cibarios adhibendus eſt, & tunc granis cerealibus & radicibus alendus.

Caro bovina $\frac{1}{16}$ fere gelatinæ, vitulina ultra $\frac{1}{12}$, cor vituli $\frac{1}{24}$ fere, pedes ultra $\frac{1}{12}$ vehunt. Gelatina ex carne bovina & corde vitulino nunquam conſiſtentiam ſiccam acquirit. Geoffroi.

Carnem vitulinam bovina leviorem eſſe, monet Hippocrates, eſt illa mollis & tenera, & ideo digeſtu facilis, ſed debilius inde ſurgit nutrimentum, multum eadem præterea muci vehit, hinc jura vitulina in morbis, ubi demulcendi & relaxandi animus eſt, præ reliquis commendantur, & patet cur in morbis pectoris & inflammatoriis multum laudentur. Pulmones præ carne plus muci vehere evicit experientia.

Caro taurina & vaccina ſiccior, durior, digeſtu difficilior eſt bovina, quam difficilius digeri minus bene dicit Hippocrates. Eodem aſſerente, & ſuffragante omnino experientia, reliquis validius roborat, cum autem varii muſculi variam firmitatem habeant, hinc omnino caro bovina, pro vario loco, unde deſumitur, varia eſt, ſive lanionum ſive culinæ vitio debetur omnino, quod veteres eam minus commendarint.

Lingua dotes optimæ carnis ſequitur.

Ventriculi in fruſta diſſecti, ſub *Trippes*, *Kuttelfleck*, *Bletzer*, *Caldaunen* nomine veniunt, membranacei cum ſint, hinc difficilius digeruntur, & minus nutriunt.

Medulla eſt liquor oleoſus, qui omne oſſium longorum cavum replet, ipſa pinguedo largiori aquæ portione inſtructa, & hinc facilius, quam ea, quæ in membrana cellulari hæret, humoribus noſtris commiſcenda, hinc recte validioribus nutrientibus adſcribitur; extus ſi quidem reliquis pinguibus præſtat, id ipſum majori, qua gaudet, penetrandi virtuti erit adſcribendum.

Sebum. Pinguedo conſiſtentiæ ſolidæ & duriuſculæ, proprio nauſeoſo odore & ſapore gaudet, nunquam interne datur, externe ſcopo demulcendi & relaxandi adhibetur interdum; œconomicis maxime uſibus relinquitur.

* *Sanguinem Tauri*, præeunte NICANDRO, Veteres venenis adſcripſerunt, ut videtur, ex hypotheſi potius quam ex experimento.

Fel Tauri cui creberrime bovinum ſubſtituitur, inſpiſſatum, a quibuſdam ad morbos ab inertia bilis oriundos & ad viſcerum abdominalium obſtructiones reſerandas adhibetur: HOFBERG eodem, ad drachmam unam bis de die exhibito, epilepſiam vidit curatam: externe abſtergendi, reſolvendi, vermes necandi ergo adhibetur, ab HIPPOCRATE ſuppoſitoriis pro educendis fæcibus immiſcebatur.

Lac Vaccinum, γάλα, *Lait*, *Milch*, eſt liquor albus in uberibus vaccæ ſecretus, ex triplici principio conſtans *Cremore*, πῖαρ, πῖον, *Crême*, *Rahm*, *Saane*, *Sero*, ὀῤῥὸς, *petit Lait*, *Molken*, *Schotten* & *Caſeo* τυρὸς, *Fromage*, *Kæs.* Cremor quoad maximam partem ex oleo conſtat in *Butyrum* efformandus, ſerum copioſiſſimam aquam habet, aliquas partes oleoſas & ſalem eſſentialem, qui inde ſub *Sacchari* nomine educitur, caſeus genium animalem fert.

Cum Lac conſtituatur a chylo circulationem paſſo, quæ ejus partes in naturam animalem vertit, hinc illud ſicuti pro vario animalium genere, ita & in varia ejuſdem generis ſpecie, imo in eodem individuo pro

aſſumtis, conſtitutione corporis, motu humorum, ætate, diſtantia a paſtu &c. differt; id quod ex vacca trienni, nigricante, tribus circiter a partu menſibus, tempore verno, cœlo ſereno, matutino tempore emulgetur, pro optimo habetur. In univerſum, lac per quod albedo æqualiter diffuſa eſt, odoris alieni expers, & quod illam pinguedinis rationem habet, ut ejus gutta ſupra unguem effuſa non diffluat, commendari ſolet.

Lac vaccinum, caprino & equino levius eſſe, copioſiorem quam reliqua uſitata aquam vehere, poſt ovillum largius oleum, parciorem quam ovillum & caprinum, caſeum habere probavi in Diſſertatione *de optimo infantis recens nati alimento.*

Secedit lac in ſua principia mora, calore, acidis, alcalinis, ſpiritu vini. Si ſemel aut bis ebulliverit, diutius ſine ſeceſſione principiorum poteſt aſſervari.

Innumeri, quos lac præſtat uſus, ad tres potiſſimum claſſes poſſunt revocari.

I. Cum ſit liquor per fabricam animalem ad nutritionem aptatus, hinc inter nutrientia primum locum habet, eodem non modo integræ gentes vivunt, obſervante jam ARETÆO, ſed idem, illis quorum viſcera chylo & hæmatopoietica ita debilitata ſunt, ut non ſufficiant nutrimento ex cibis parando, optimum alimentum eſt, cum habeat partes nutritias, per viſcera vaccæ jamjam ad nutritionem aptatas. Infantes loco lactis materni non raro vaccino nutriuntur, quod aqua diluunt, amygdalarum ope ejuſdem partes caſeoſas ita temperari, ut humano proximum fiat, oſtendi in Diſſertatione citata. Ruſticum, qui lacte potiſſimum veſcebatur, ultra centum annos vixiſſe GALENUS refert, & BETTUS adducit aliquem, qui lactis uſu ad centeſimum quinquageſimum ſecundum ætatis annum aſcendit. Tabidis ab HIPPOCRATE commendatur.

Lac calidis primis viis ingeſtum, & quæ vix non ſemper aliquid acidi continent, in eis quidem ſecedit,

ſed

ſed caſeoſæ partes a ſaponaceis liquoribus chylopoieticis ita attenuantur, ut oneri eſſe non poſſint, debili autem ventriculo cum lac ingeritur, id ipſum, ne is a partibus oleoſis relaxetur, aqua diluere, unde Gallorum *Lait coupé* ſurgit, ſive adjecto ſaccharo, monente AVICENNA, ejus ſeceſſum in partes impedire ſolemus.

II. Ob dulcedinem & oleoſas, quibus ſcatet, partes ad omnem acrimoniam, ſi acidam exceperis, commendatur, ejus uſum ad ſcorbutum omnes Auctores poſt EUGALENUM laudant; in morbo articulari ad præcepta HIPPOCRATIS, a WERLHOFF, PYE, GALLO &c. confirmata uſurpatur, ſunt qui his morbis ſæpius vexatis *diætam*, quam *lacteam* dicunt, commendant, ſub qua, per plures menſes, imo annos nullus alius cibus præter panem & lac aſſumitur, & non paucos magnum inde ſolamen expertos eſſe, conſtat omnino, ſed cum ſub tali vitæ regimine primæ viæ debilitentur, & ſolida digerere deſueſcant, hinc non raro, ſi ad priſtinam diætam redeunt ægroti, ut plurimum graviores recidivas experiri ſolent, SYDENHAM & VAN SWIETEN obſervantibus; ad venena, acria maxime, lac etiam ab omni tempore, tanquam optimum remedium fuit in uſum tractum; illis etiam qui ulceribus internis laborant, tam pro demulcendo ichore, quam pro alendo debili corpore, exhibetur, HIPPOCRATIS & GALENI conſilio, auctoritate & propriis obſervationibus longe plurimi Auctores commendant, inter quos GALLO, GULLMANN, MORTON, HOFFMANN, BOERHAAVE, VAN SWIETEN, Cl. TRALLES, Illuſtr. PRINGLE allegaſſe ſufficiat; ſed interdum in his morbis obtinent diſpoſitiones, quæ optimi medicamenti uſum diſſuadent, quo præter febrem fortiorem, etiam ab ejus uſu ſurgentes cardialgia, ructus, preſſiones ventriculi, diarrhœæ &c. pertinent; his in caſibus lac erit diluendum aqua

hordeata aut infuſo quodam roborante, vel ad monita MORTONI & HOFFMANNI aquis ſoteriis; id præterea notandum, prudentes medicos etiam lac appropriata morbo vegetabilia ſive vaccæ exhibendo, ſive cum lacte infundendo, ſuo ſcopo adhuc magis aptare.

III. Ratione omnium ſuarum partium fibras relaxat, ſtricturas & inde ſurgentes morbos tollit, ſpaſmos mitigat, dolores lenit; alvum ejus ope laxari, poſt DIOSCORIDEM omnium ſeculorum obſervata docent, TRALLIANUS & GALLO hæmoptiſin, WEPFER colicam, SYDENHAM paſſionem hyſtericam, SYLVATICUS malum hypochondriacum, HIPPOCRATES Dyſenteriam, RIVERIUS tuſſim chronicam, GALLO motus convulſivos, tuſſim convulſivam, anginam, gravia a vermibus ſymptomata, nephritidem &c. curata viderunt.

Curam lacteam ſuſcepturi purgante eccoprotico primas vias evacuare tenentur, mane & verſus veſperam ejus, mox poſtquam e vacca emulctum eſt, uncias ſex bibant, ſenſim ſenſimque ad duas libras uſque de die hauriendas aſcendant, eidem ſaccharum adjicere nunquam obliviſcantur; peſſime agunt, qui illud coquendo & ſollicite cuticulas inde auferendo, dum neſcio quam viſcedinem inde auferre volunt, illud ſpiſſius reddunt, ut difficilius ex alvo exeat, id quod jam veteres perſpexerant, efficiunt, & ſubtili principio privant, cujus præſentiam egregie VAN SWIETEN evicit; id denique adhuc notandum, quod per omne, quo cura lactis uſurpatur, tempus, id quod ad minimum per quatuor ſeptimanas extendendum eſt, cibis eupeptis, vino generoſo, rubro maxime, debeant uti ægroti, corpus decenter movere, puro & libero aëre veſci, omnes graviores animi motus evitare &c. & ut omnia paucis comprehendam, talem debeant ſequi vitæ rationem, ut lactis effectus inde juventur, corruptio arceatur.

Lactis usu febricitantes interdicendos esse HIPPOCRATES rectissime monuit, cum tales homines vires digerentes vitiatas habeant, nutriendi non sint, & major, quo ardent, calor facile pinguedinem lactis rancidam posset reddere, hypochondriaci quoque inde abstinere debent, nec non illi, quibus viscera abdominalia obstructa sunt, observante GALLO etiam tuberculis pulmonum laborantes, plethorici porro, phlegmatici & obesi. Gravia quae usum lactis praeposterum excipiunt symptomata, egregie delineavit HOFFMANN; dentes quoque inde laedi GALENUS monet. Externe ad cataplasmata, balnea, enemata emollientia, nec non ad abluendas partes excoriatas adhibetur.

Serum, prae equino pauciorem aquam vehere evici in Dissertat. citat; ejus partes oleosae, & si quas adhuc fovet, caseosae paucae sunt, & principio saponaceo, quo gaudet, solutae, hinc qui a lactis insignioribus viribus nutrientibus & laxantibus, aut ab ejus in partes secessu metuuntur effectus, sub seri usu locum non habent.

Pingues partes, quibus serum scatet, ut illud vires nutritias habeat, efficiunt, eo solo BOERHAAVE per aliquot menses, FERGUSON per octodecim annos vixit; medicato scopo ob vim saponaceam maxime commendatur, inde ejus vires alvum ducendi, GALENO notatae, fluunt, & quidem sine commotione, ita ut in febribus continuis ipsis, suadente jam HIPPOCRATE, carthartico scopo possit exhiberi, in quibus ipsis sanguinem diluendo, spissitudinem phlogisticam arcendo & tollendo, stricturas relaxando, excretiones aquosas promovendo, egregie conducit; dysentericis quoque, secundum HIPPOCRATEM, cum successu datur, nec non illis qui qualicunque acrimonia laborant; hinc tempore verno optimo consilio, ad eluendas e corpore sordes per hyemem collectas exhibetur, spissitudini cuivis humorum egregie medetur. SYLVATICO ob-

ſervante ad obſtructiones viſcerum abdominalium reſerandas, mala hypochondriacum & hyſtericum ſopienda, ad rheumaticos porro & arthriticos morbos arcendos & curandos, ſecundum obſervata SYDENHAM, præſtans omnino medicamentum, multum quoque ad mitigandam draſticorum virulentiam, & leniendas, quæ inde ortæ fuerunt, noxas conducit, confirmante HIPPOCRATIS monita HOFFMANNO. Datur ſive ſolum, ſive cum medicamentis morbo appropriatis unitum, ad libram unam pro doſi, non malo conſilio quoque pro potu ordinario præſcribitur. Idem GALENUS abſtergendi ſcopo ad ulcera adhibuit, & inteſtino recto infudit.

Serum Lactis dulce HOFFMANNI acido evoluto caret, copioſiores partes pingues fovet, & illas levi empyreumate inſtructas; ubi demulcendi ſcopus eſt vulgari præferendum, in febribus autem & obſtructionibus reſerandis iſti omnino poſtponendum.

* *Aqua deſtillata Seri lactis* Pariſ. iners. * *Aqua Lactis Alexiteria* BATEI: parum mutata a Pariſinis recipitur; nomini non reſpondet.

Butyrum, βούτυρον, *Beurre*, *Butter*. Eſt pinguedo ex lacte, ope agitationis, a ſero ſeparata & collecta, eidem autem & ſeri & caſei partes adhuc connexas manere, docet ejus coctio, qua illæ partim quoad maximam partem in auras abeunt, partim cum his ſub nomine *Ankentröſter* ſecedunt.

Cum butyrum ex lacte ſurgat, hinc hujus indolem ſequitur, & evidens fit, cur Mayale reliquis præferatur.

Optimum habetur, quod ſatis pingue eſt, flavo colore gaudet, gratum præterea ſaporem & odorem exhibet.

Alcohol inde aliquid recipit, ultra $\frac{1}{2}$ olei, ultra $\frac{1}{6}$ aquæ, vix $\frac{1}{3}$ terræ vehit. NEUMANN.

Ut ætatem ferat, ſive ſale condiri, ſive coctione diſponi ſolet, hæc moderato igne inſtituitur, uſque dum per butyrum limpidiſſimum fundus vaſis poſſit

videri & ſordes, quæ ſub coctione ſecedunt, probe inde removentur. Optimum butyrum ſalitum ad nos ex Belgio adducitur, Galli id quod in Normannia aut Gallo-Britannia paratur maximi faciunt, eo rarius utimur, cum ex montibus Alſatiæ ſuperioris & ſylvæ Martiæ larga quantitas butyri nobis advehatur, quod coctione, ut aſſervari poſſit, noſtrates diſponere ſolent.

Butyrum, Scytharum præparatum, monente HIPPOCRATE, & Barbarorum cibus ſecundum PLINIUM, hodie creberrimo in uſu ſolet eſſe, oleorum unguinoſorum & virtute & nocendi facultate pollet, large nutrit, ſed primas vias quoque relaxat, & acrimoniam oleoſam gignendo, non raro graviſſima excitat ſymptomata. Medicato effectu in morbis a rigiditate fibrarum, aut cum hæ præter naturam irritantur, conducit. Butyrum calore diſſolutum & ſaccharo mixtum feminas Luſitaniæ ad menſes dolorificos haurire, ZACUTUS refert; illi qui per vitæ rationem vaporibus acribus ſeſe exponere coguntur, non male Butyrum jentaculi loco aſſumunt; Externe relaxandi & demulcendi ſcopo in uſum trahitur, clyſmatibus quoque, emolliendæ alvi ergo, adjicitur.

Butyrum coctum, *beurre fondu*, *Anken;* coctione aliquam mutationem paſſum eſt, hinc & odore & ſapore a butyro integro recedit, eo maxime culinæ opus habent ad paranda ea frixorum genera, quæ ſicca fragilitate debent gaudere, Medici eodem vix interne, crebro autem externe utuntur, abſtergendi maxime ſcopo. * *Unguentum Potabile Rubrum* Auguſt. parum mutatum Wurtembergenſes & Argentoratenſes recipiunt, cur medicamento, quod reſolvendi ſcopo commendant, adſtringentia addantur, non video. *Unguentum Potabile Viride* SCHROEDERI. Wurtembergenſes aliqualiter a SCHROEDERO recedunt, abſurdiſſima compoſitio, evidenter roborans, a noſtrati-

bus crebro ventriculo infantum, qui cardiogmo laborant, ſolet inungi.

Caſeus formatur a lactis partibus tenacioribus, illæ pro varia forma qua ſecedunt, varie denominantur. Serum & caſeus, dum cremore in butyrum acto, remanent, *Lactis ebutyrati* Barb. *Babeure*, *Buttermilch* nomine veniunt, ſi lac affuſo acido cogitur, ὀξύγαλα, χισο, *Lac ſchiſtum*, *Recocta* Barb. *Lait caillé*, *Zieger* appellari ſolet, inde ſi ſerum effuſum & ponderibus quoque impoſitis expreſſum eſt, *Caſeus* ſurgit; variat is non modo pro vario lactis genere unde fuit paratus, ſed etiam eo, quod quidam ex integro lacte paretur, butyraceis hinc partibus ſcatet, pinguis, alius ex lacte ſurgat, unde prius cremor fuit ablatus, hinc ſiccior. Vaccinum ovillo minus, reliquis magis tenacem eſſe in Diſſertatione citata oſtendi.

Quidam caſei ex regionibus ubi parantur famam aſſecuti ſunt. *Parmeſan* præparatur ad Parmam, nec non in Laudenſi Ducatus Milanenſis tractu, flavus, recens, non pinguis eligitur; ex Helveticis *Gruyerenſes* ab oppido pagi Freiburgenſis denominati, annoſi, pingues & *Glaromenſes* multum acres, ſicciſſimi & Trifolio Meliloto cæruleo L. viridi colore, nec non ſapore & odore aromatico imbuti laudantur; inter Belgicos illi, qui cruſtam rubram habent, reliquis præferuntur, ad eos *Caſtrienſes* Anglorum proxime accedunt, inter Gallicos *Caſſenaticum Delphinatus* & *Brienſem* ad Campaniæ Meldas paratum valde laudant; *Roquefortenſis* ex lacte ovillo conficitur.

Ab acidis & alcalibus quoad maximam partem diſſolvitur, ultra $\frac{1}{2}$ ſpiritus alcalini, $\frac{1}{17}$ ſalis urinoſi, $\frac{1}{4}$ fere olei, $\frac{1}{5}$ circiter aquæ fundit. NEUMANN.

Cum caſeus ex partibus lactis jam in naturam animalem verſis ſurgat, hinc eundem multum nutrire eſt evidens, ut jam HIPPOCRATES monuit, qui autem etiam eundem difficilis digeſtionis eſſe, ſagax perſpexit

& non pauca quæ inde ſurgere poſſunt mala adduxit, id quod ex inſigni, qua gaudet tenacitate, facile patet, hinc quoque videmus ejus abuſum primas vias onerare, chylum ſpiſſum & acrem ſanguini infundere, varium acrimoniæ genus gignere, calculos renum inde cauſari GALENUS monet, cum recocta & lac ebutyratum caſeum ſaponaceo ſero dilutum vehant, hinc ſecurior eſt eorum uſus, id quod & GALENUS monet.

Caſeus extus applicatus reſolvit & glutinat, in arthritide & vulneribus egregios ejus effectus vidit GALENUS.

* CANIS, κύων, *Chien*, *Hund.* Animal quadrupes, quod in utraque maxilla ſex dentes inciſores habet, digitos unguiculatos quinque in pedibus anterioribus, quatuor in poſterioribus. *Familiaris* L. cauda ſiniſtrorſum recurva diſtinguitur, Canem familiarem L. ex *Aureo* Ejuſdem originem ducere evincit Clariſſ. PALLAS. Animal carnivorum, innumeris varietatibus ludit, hinc difficillime ejus characterem naturalem determinare licet, nono aut decimo ætatis menſe puber evadit, tempus libidinis per decem circiter dies durat, & bis de anno graviditas per duos menſes obtinet, plures catuli uno partu excluduntur, vitam canes ad viginti uſque annos protrahere ſolent.

Stercus caninum $\frac{1}{80}$ extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{12}$ aquoſi ſalini, $\frac{1}{6}$ fere phlegmatis, $\frac{1}{11}$ ſpiritus $\frac{1}{64}$ olei empyreumatici NEUMANN dedit.

Carne canina in Inſulis Canarienſibus, India, China, Africa & Canada veſci ſolent, illam facile digeri & parum nutrire HIPPOCRATES præcipit, qui ejus eſum ægris inflammationibus, alvo adſtricta aut viſceribus abdominalibus obſtructis laborantibus commendat. ROBERTI FLUDD animadverſionem de podagra lambitu canum curata Illuſtr. LINNÆUS confirmat, obſervationes de epilepſia & aliis morbis in canes transplantatis mitto.

* *Stercus*, quod Barbari *Album græcum* dixerunt, eligitur ſiccum, & quod ab immixtis oſſium recrementis album eſt, illud GALENUS aliquem ſuorum Præceptorum ad anginam, dyſenteriam, ulcera inveterata adhibuiſſe, ſe quoque cum optimo ſucceſſu eodem uſum eſſe, teſtatur. In Suecia tanquam polychreſtum remedium ad mammas induratas adhiberi refert VIGELIUS. Stercus, oleo acri & alcali conſtans, vires reſolventes editurum facile largior, ſed non video cur caninum aliis ſit præferendum, & in tanta remediorum reſolventium quantitate quam habemus, ſordidum medicamentum ſit in uſum trahendum. * *Axungia* nihil proprii videtur habere. * *Hepar canis rabidi* virtutes antilyſſas nondum probavit. * *Oleum Catellorum* Pariſ. ad morbos nervorum laudatur.

CAPRA, αἴξ, *Chevre*, *Geis*. Cornubus rectis a bove differt: *Hircus* cornua apice recto inſtructa, ſemel modo arcuata, extus rotundata, intus cultrata, pilos rectos, aures minores habet.

Mares ῥάγοι, *Hirci*, *Tragi*, *Boucs*, *Bœcke*, anniculi jam puberes ſunt, ſexennes jam effœti; capræ, quæ non raro cornubus carent & pauciores quam hirci dentes habent, ſeptimo ætatis menſe puberes, per quinque menſes utero gerunt & tunc deponunt ἐρίφους, *Hædos*, *Chevraux*, *Zickelchen*, *Geisbœckgen*, *Geislein*; per quinque a partu menſes copioſiſſimum lac fundunt, ſeptimo ætatis anno effœtæ, hœdi ſexto a partu menſe caſtrantur, & tunc *Capri* ſolent dici.

Gens caprina in ſeptentrione procerior eſſe ſolet, vix ultra duodecimum annum vitam extendit.

Cum & hircorum & caprarum caro durior ſit, hinc nonniſi hœdorum in cibum recipitur, quæ de ejus minus ſalubri eſu adducunt HIPPOCRATES & GALENUS hircinam & caprinam non hœdorum ſpectant, quippe quam & digeſtu facilem eſſe, & bonum alimentum largiri quotidiana experientia docet.

Lac caprinum aſinino & equino copioſiorem pinguedinem vehere, & minus caſei, qui vaccino tenerior eſt, ejus ſerum poſt ovillum minus oleoſarum partium habere, evici in *Diſſertat. citat.* Cum capræ plantis adſtringentibus veſcantur; hinc earum lac, cum roborare volumus, reliquis præferre ſolemus, eodem ad malum hyſtericum cum ſucceſſu uſus eſt Gallo.

* *Sanguis Hirci inſpiſſatus* unde ventriculus, præter quaſdam partes empyreumaticas, nihil extrahere valet, jure exſolevit inter Medicos rationales. * *Sevum Hirci* præ bovino nihil proprii habet, niſi quod mollius ſit, & ad colorem cæruleſcentem vergat.

Ovis, πρόβατον, ὄϊς, *Brebis*, *Schaaf.* Cornubus retrorſum verſis a pecoribus cicuribus reliquis differt. *Aries* L. a *Capra Ammone* L. deſcendere poſt Illuſtr. Buffon evincit Clar. Pallas caudam rotundam, brevem & corpus lanigerum habet.

Mas κριὸς, *Aries*, *Belier*, *Widder* ſeſquiennis puber, octennis effœtus, ad decimum quartum annum vitam extendit, ſexto ætatis anno caſtratur & tunc ἴθρις, *Vervex*, *Mouton*, *Hammel* dicitur. Ovis annicula puber eſt, duo loco cornuum tubera in fronte fert, per quinque menſes utero gerit, per octo menſes a partu lac fundit, octavo ætatis anno effœta; ejus catuli ἄρνες, *Agni*, *Agneaux*, *Læmmer.*

Oves, in locis ſiccis vitam degentes, multo meliorem carnem largiuntur, quam illi, qui humida inhabitant, antequam macello committuntur, cerealibus & leguminibus nutriri ſolent.

Caro arietis tenax eſt, & in modum hircinæ ſaporis nauſeoſi, ovilla inſipida, viſcida. Teſticuli *Animelles* varia ratione a coquis præparantur: multum dicuntur nutrire. Caro vervecina ſucculenta, digeſtu facilis, ultra $\frac{1}{11}$ gelatinæ largitur, Geoffroi; præ reliquis tranſpirationem auget obſervante Sanctorio;

agnina caro, notante etiam HIPPOCRATE, facillime digeritur, $\frac{1}{32}$ gelatinæ teneræ & mucosæ fundit.

Lac ovillum præ reliquis copiosius & tenerius butyrum, largiorem & tenaciorem caseum vehere in *Dissertat. citat.* monui; patet hinc quod cæteris magis nutriat quidem, sed difficilius digeratur.

Pedes vervecini glutinosi sunt, in morbis ubi acre intestina tenet, aqua cum eis cocta ano injicitur.

Lana Succida est talis, quæ pinguedine farta est, ea inde aquæ ope secundum DIOSCORIDEM extracta οἴσυπος dicitur & non videtur aliquid proprii præ reliquo adipe habere, monente jam GALENO; lana succida e collo & abdomine pendens οἰσώπηρα Græcis dicitur, calore partes quibus applicatur fovet & hinc relaxat, mammis induratis, membris luxatis, collo, cum fauces affectæ sunt, imponitur, creberrime, ex præcepto HIPPOCRATIS, tanquam vehiculum, quo medicamenta emollientia partibus affectis imponuntur, adhiberi solet.

PORCUS, *Sus*, ὗς, χοῖρος, *Cochon*, *Schwein.* Est quadrupes dentibus incisivis in utraque maxilla & pedibus bisulcis instructum.

Sus Scrofa L. cauda pilosa, auriculis oblongis, abdomine non ad terram usque propendente distinguitur, ubique in antiquo orbe occurrit, Hispani eam demum Americæ intulerunt, in regionibus meridionalibus nigra & procerior est.

Mas *Verres*, *Verrat*, *Eber*, nono mense puber evadit, dentes caninos extra os prominulos habet, triennis effœtus est, sexto ætatis mense castratur & tunc *Majalis*, *Barg* solet dici. *Scrofa*, *Truïe*, *Mohr* bis de anno porcellos, *Ferklein*, *Heitzlein* deponit & illos plures qualibet vice, porcelli qui ubera ducunt, *Cochons de Lait*, *Spanferklein* duos seu tres menses nati in cibum recipiuntur, scrofa vulgo postquam quartà vice peperit evadit effœta.

Gens ſuilla ſimplici ventriculo gaudet, & inteſtina habet illis, quæ in ruminantibus obtinent, multo minora, ad vigeſimum uſque ætatis annum ſolet pervenire. Vegetabili æque ac animali victu veſcitur, optime impinguatur glandibus Quercus & Fagi, ſed hæ lardum minus ſolidum gignunt.

Lardum, *Lard*, *Speck*. Eſt pinguedo dura in panniculo adipoſo ſubcutaneo hærens; *Axungia*, *Saindoux*, dicitur mollior pinguedo ex inteſtinis, meſenterio &c. collecta.

Caro ſuilla digeſtu difficilis eſt, & chylum viſcidum largitur, hinc nonniſi hominibus robuſtis & qui vitam exercitatam vivunt concedenda, eam hac ratione in uſum tractam copioſe nutrire HIPPOCRATES tradit, multum inde tranſpirationem imminui obſervavit SANCTORIUS. Porcellos digeſtu difficiliores eſſe, & alvum laxare jam HIPPOCRATES præcepit & experientia confirmat.

Farcimina quæ ex hac gente maxime parantur ex eis quæ de viſceribus & partibus animalium fumo induratis, ſub Bovis Hiſtoria dicta fuerunt, dijudicanda ſunt, aromatibus quæ ipſis adjici ſolent & linguæ & ventriculo magis accommodantur.

* *Stercus* quod CUMMIUS contra febres intermittentes commendat, Illuſtr. LINNÆUS autem ad drachmæ pondus intus datum dyſentericis, extus ad hæmorrhagiam narium laudat, in tanta quam habemus, meliorum & minus nauſeoſorum remediorum caterva negligitur.

* *Vulvas* Romanis olim multum uſitatas MOELLEBROECK & LEDEL in incontinentia urinæ auxilium afferre tradunt, ſed quis talibus fidem adhibebit?

β. FERA.

Quadrupeda fera cum ſub cœlo libero vivant, & illa maxime, quæ ſicciora & montana loca inhabi-

tant, exercitatam magis quam cicura vitam agant, hinc præ his melius alimentum præbere videntur, cum autem eorum caro, ob eam vitæ rationem, magis firma ſit, hinc validiores vires digerentes exigunt, nec conducunt debilibus; ut caro tenerior & ſapidior evadat, animal demum aliquot a morte diebus ſolent in cibum recipere, ubi autem probe cavendum, ne putredo juſto majores progreſſus fecerit, & ab ejus uſu acrimonia putrida ſurgat; fera animalia præ cicuris ſicciora, crudiora, digeſtu faciliora eſſe & minus nutrire tradit HIPPOCRATES.

APER, χοῖρος ἄγριος, κάπρος, *Sanglier*, *Wildſchwein* auriculis brevioribus & ſubrotundis, dentibus caninis longioribus, cauda brevi & magis recta a Porco domeſtico differt; tardius quam verres puber fit, Decembri & Januario menſibus æſtu venereo agitatur, capto, ſi per paucas modo horas teſticuli relinquuntur, omnis caro nauſeoſo inde afficitur odore: femina *Laye* catellos *Marcaſins*, *Friſchling* Majo vel Junio excludit, horum cutis per ſex aut ſeptem a partu menſes ſtriis variegata eſſe ſolet.

Cum aper corpus ſuum magis quam porcus domeſticus exerceat, alimento etiam minus ſordido, quam Sus ſcrofa utatur, hinc ejus caro ſuilla & ſapidior eſt, & digeſtu facilior.

Dentes canini, *Déſenſes*, *Fangzähne*, ut plurimum ex maxilla inferiori deſumuntur, toti cavi ſunt, albi, in annoſiore animali flavicant, in arcus formam flexi ſunt, tribus faciebus longitudinalibus inſtructi, ad pleuritidem laudantur, ſed quis a ſubſtantia abſorbente aliquid boni ad morbum inflammatorium expectabit?

CAPREOLUS, δορκάς, *Chevreil*, *Reh.* Pedes biſulcos, cornua ramoſa, in maxilla inferiore octo, in ſuperiore nullos dentes habet. *Cervus Capreolus* L. cornubus teretibus, erectis, nudis diſtinguitur.

Sub finem Octobris venere agitatur, femella *Chevrette*, *Ziege*, per viginti & duas septimanas utero gerit, circa finem Aprilis duos ut plurimum catulos edit δορκάδια, *Faons*, *Rehkitzlein*, qui duodecimo jam a partu die matrem sequi possunt. Capreoli non gregatim vivunt; singulæ familiæ ex parentibus & catulis anniculis compositæ singulatim vivunt; eorum vita vix ultra decimum & quintum annum extenditur.

In variis Galliæ provinciis nulli, nulli in Anglia, pauci in Italia & Suecia, in America copiosi. Colles amant & sylvarum regiones steriliores, agris cerealibus vicinas, in sylvas densiores se nunquam immittunt.

Mares anniculi typhos exiguos, *Dagues*, *Spiese*, edunt, eos ad finem autumni deponunt & per hyemem restituunt, Martio mense cutim, qua nova cornua teguntur, abradunt; singulis annis usque ad quartum, ramorum, in quos cornua dividuntur, *Andouillers*, *Ende*, numerus augetur. Caro Capreolorum biennio majorum, quos *vieux Brocards* solent appellare, durior & minus sapida est, catellorum mucosa, anniculorum optima, exquisitissima ad lumbos *Filet*, *Ziemer* hæret, hanc sequitur illa pedum posticorum *Schlegel*, *Cuissot*.

* Catus, αἴλουρος, *Chat*, *Katze*. Differt a cane unguibus hamatis & retractilibus, nec non lingua aculeis instructa. *Felis Catus* L. caudam elongatam, annulis distinctam & pilos ex fusco, nigro, flavicante & albido variegatos habet. Sylvestris per omnem Europam occurrit.

A plebe interdum comeditur, ejus carnem ad leporinam accedere, testatur Gesner.

Aliquoties de anno libidine agitatur, femella per duos circiter menses utero gerit, primo jam ætatis anno puber evadit, raro vitam ultra decem annos extendit, animal carnivorum.

* *Axungia* præter vires cum reliquis communes aliquam acrimoniam ob catorum victum animalem & vitam valde agitatam videtur possidere, & hinc evidentiores effectus resolventes edere.

Cervus, ἔλαφος, *Cerf*, *Hirsch*. Dentes in inferiore maxilla octo & cornua ramosa habet, *Nobilis* L. cornubus teretibus nudis, solidis, ad latera incurvis & collo non jubato distinguitur.

Septembri mense libidine agitatnr & per omne hoc tempus, quod raro ultra quatuor septimanas extenditur, multum furit & validissimum odorem spirat. *Cerva*, *Bica*, *Biche*, *Hündin*, *Hirschkuh* per octo menses utero gerit, & Junio mense unum *Hinnulum*, *Faon*, *Hirschkalb* excludit, cujus corpus striis & maculis variegatur, accipit is sexto ætatis mense, si mas fuerit, tubera in fronte, quæ si in cornua simplicia excreverunt, animal παλταλία, *Subulo*, *Ferula*, *Daguet*, *Spieshirsch* dicitur, a tertio ad quintum vitæ annum *Furcarius* Barbar. *jeune Cerf*, *Gabelhirsch* appellatur, septennem Galli *Cerf de dix Cors*, annosiorem *vieux Cerf* denominant. Ad octavum usque ætatis annum crescit, quadragesimum raro excedit, singulis annis mense Aprili cornua deponit, Augusto cuticulam, qua nova teguntur, ad arborum truncos abradit, castratus nova cornua non protrudit, ramorum, in quos cornua finduntur, numerus nihil constantis habet, sed pendet a quantitate & qualitate alimenti, idem cervus uno anno plures & altero anno pauciores habet, apud nostrates raro ultra duo & viginti occurrunt.

Gens cervina hyeme gregatim pascitur, vere juniores modo se in greges colligunt, cervi colles, valles, planitiem inhabitantes majores sunt, & capita magis rufa habent. Vescuntur Vegetabilibus.

Dum Hippocrates & Galenus carnem cervinam difficilem & mali succi esse pronunciant, de cervis annosioribus aut hyeme captis verba faciunt, quæ

a cerva vel fubulone defumitur fatis tenera, fapida & nutritia folet effe; maxime fi a talibus animalibus recipitur, quæ loca altiora inhabitant. *Typhi* Barb. *Crues*, *Kolben* cornua tenella, a prolongatione integumentorum perioftei & vaforum, quæ apophyfes frontales cingunt, efformata, alimentum quidem guftui gratum fed vifcidum, hinc digeftu difficile, & unde minus bonus fanguis furgit, largiuntur.

Cornua una, cum bafi, quæ ea nectit, *Merein*, *Geweih* nomine veniunt, cornu corpus *Perche*, *Stange*, rami *Andouillers*, *Ende*, bafis eorum tumida *Meule*, *Rofe* dicitur. Cornuum omnis fuperficies tuberculis *Perlen* obfidetur, majoribus ad bafin *Pierrures*, minoribus per reliquum corpus *Perlures*.

Cornua ultra $\frac{1}{6}$ fpiritus urinofi, $\frac{1}{29}$ fere olei empyreumatici, ultra $\frac{1}{12}$ falis volatilis fundunt. *Inft. Chem.* NEUMANN inde ultra $\frac{1}{11}$ fpiritus urinofi, ultra $\frac{1}{28}$ olei, $\frac{1}{15}$ fere falis obtinuit. Gelatinæ $\frac{1}{4}$ fere *Inft. Chem.* NEUMANN, CARTHEUSER.

Rafura Cornu Cervi eft cornu radula comminutum, minus bene ex officinis famiariorum, cultrariorum &c. recipitur, quippe tale non raro ramentis æris inquinatum effe folet, nec placet cornu cervi torno comminutum, quippe quod caret interna cornuum fubftantia, præ exteriore largiorem gelatinæ rationem vehente. Coquitur ex aqua & illi vires relaxantes & demulcentes impertit, ejus uncia circiter ad libram aquæ hoc fcopo recipitur.

Gelatina SCHRŒD. demulcendi & nutriendi fcopo adhibetur, ejus uncia dimidia duodecuplo juris diluta pro dofi datur, ad morbos pectoris & febres lentas maxime adhibetur. * *Gelatina ficca* Noftrat. ad pulveres demulcentes, ubi acrimonia primis in viis obtinet, adhibetur. * *Gelatina Cornu Cervi Citrata* Wurtemberg. egregium medicamentum ad fe-

bres lentas. *Cornu Cervi ustum* a GALENO adstringendi scopo commendatur, præter absorbentes, nullas alias vires exserit, pessime ad decocta præscribitur. *Cornu Cervi philosophice præparatum* SCHROED. per ipsum quo præparari solet, laborem iners redditur, bezoardicæ quæ ipsi adscribuntur vires debentur somniis superiorum seculorum de vi cervi alexipharmaca. * *Cornu Cervi auratum* FINCK antecedenti viribus par est. * *Decoctum album* SYDENHAM non placet. *Aqua Cornu Cervi Citrata* Nostrat. inconcinna compositio, quæ si quas virtutes habet, illas corticibus citri maxime debet, mixturis mediis, gratiæ ergo solet adjici. * *Pulvis Cervinus* CAMERAR. Inconcinna compositio, quæ præter absorbentes, nullas alias vires habet. *Spiritus*, *Oleum*, *Sal*, vid. *Institut. Chem.* * *Spiritus Cornu Cervi externus* Wurtemberg. est spiritus vini oleo empyreumatico fœtus. * *Aqua destillata e typhis Cervi* SCHROED. iners omnino, * *Aqua e typhis Cervi composita* Wurtemb. est aqua vinosa analeptica, parum efficax. *Liquor Cornu Cervi Succinatus* vid. *Succinum.*

Medulla Cervi etiam HIPPOCRATI laudata, vix aliquid proprii præ bovina videtur habere.

* Os de Corde Cervi planum, figura irregulari instructum, est portio cordis ad ortum utriusque orificii arteriosi, per frictionem, indurata, de substantia ossea, jam a PLINIO ad usus medicatos laudata, quis aliquid efficacis exspectabit?

Sevum quod solidum & album est Pinguedinum vires exsequitur.

* *Aqua e Corde Cervi* MYNSICHT correcta, a Wurtembergensibus recipitur, vires, si quas habet, eas vino & aromatibus debet.

Oleum animale DIPPELII vid. *Institut. Chem.*

CUNICULUS, δασύπους, *Lapin*, *Kunigle*, *Kaninichen*,

chen; ad lepores pertinet, qui pedibus digitatis, unguiculatis, duobus in utraque maxilla inciſoribus, caninis nullis, cauda minima gaudent: *Lepus Cuniculus* L. pupillas rubras habet. Frigus regionum ſeptentrionalium non fert; cuniculos ſylveſtres ſemper gryſeos eſſe, domeſticos nullas foveas fodere, quibus ſe cum catulis abſcondant, Perilluſtris BUFFON annotat; ſexto ætatis menſe puberes fiunt, marem vel ſexies in una hora congredi cum feſnellis ferunt; femella per unum menſem utero gerit, & quolibet partu ſex ad octo catulos, *Lapraux*, edit, quibus per ſeſqui menſem mammas præbet, duplicem uterum habet, minus frequenter tamen quam lepus ſuperfœtationem experitur, ad nonum uſque ætatis annum cuniculi perveniunt, caro albicat, præ leporina magis ſucculenta, alimentum dat laudabile.

* *Axungia* a Leporina parum differt.

LEPUS, λάγως, *Lievre*, *Haas*. *Lepus timidus* L. auriculis apice nigris diſtinguitur; in Europa copioſiſſime, parcius in Aſia, parciſſime in America occurrit. Primo jam ætatis anno puber eſt; femella *Haaſe* per unum menſem utero gerit, uno partu tres ad quatuor catulos, *Levrauts*, excludit, & mox a partu marem denuo admittit; ob uterum duplicem, quo gaudet, facile ſuperfœtationem experitur, per viginti dies catulos lactat. Lepores, qui loca paludoſa inhabitant, *Ladres*, carnem habent nauſeoſam; nec exquiſiti ſaporis ſunt, qui in planitie & vallibus degunt; monticolæ & majores & magis bruni ſunt, & carnem habent magis acceptam, in locis ſeptentrionalibus per hyemem albi ſunt, ſed tales quoque interdum in Gallia fuerunt obſervati.

Tali eorum $\frac{1}{16}$ Extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{4}$ aquoſi ſalini, $\frac{1}{5}$ fere ſpiritus, $\frac{1}{12}$ olei empyreumatici, $\frac{1}{8}$ ſalis volatilis exhibuerunt. NEUMANN.

Carnem leporinam digeſtu facilem eſſe, & corpus

bene nutrire HIPPOCRATES & GALENUS tradunt; vires pilis jam ab HIPPOCRATE, vesicæ & talis, superioribus seculis adscriptas, experientia non confirmavit.

* *Axungia* flava est, resolvendi & abscessus maturandi ergo laudatur.

* LUTRA, ἐνυδρὶς, *Loutre*, *Otter*. Dentibus in utraque maxilla sex & digitis membrana inter se junctis gaudet, *Mustela Lutra* L. digitis palmatis, glabris, æqualibus agnoscitur. Vivit piscibus & avibus aquaticis, piscinis perniciosissimum animal; caro ejus dura est, tenax, nauseoso piscium putridorum odore perfusa, difficilis digestionis, mali nutrimenti.

* TAXUS Barb. *Meles*, *Blaireau*, *Dachs*. Est animal quadrupes, quod dentes incisivos in utraque maxilla sex, digitos in singulis pedibus quinque, & pollicem reliquis digitis proximum habet. *Ursus Meles* L. Corpus supra fordide cinereum, inferne nigrum, caput tæniis albis & nigris variegatum ostendit. Animal carnivorum maximam vitæ partem dormiendo transigit.

In Europæ spissioribus sylvis occurrit.

* *Axungia*, pinguedini Cati sylvestris similis, cum meles vitam parum agitatam agat, minus resolvens esse videtur.

* URSUS, ἄρκτος, *Ours*, *Bær*. Non male ab Illustr. LINNÆO ad idem cum melibus genus reducitur & cauda abrupta distinguitur.

Occurrit in Alpibus, Germania & regionibus magis septentrionalibus.

Animal carnivorum, autumno libidine corripitur, per centum & duodecim dies utero gerit, raro ultra quintum & vigesimum annum vitam extendit.

Pedes ursi gratum edulii genus constituere, Perillustris BUFFON monet.

* *Axungia* alba est, porcina mollior, ego nullum proprium in eadem odorem possum detegere, ad alo-

pœciam laudari GALENUS refert, hinc eam vel hodie adhuc, vulgus pro accelerando incremento pilorum adhibet.

* VULPES, ἀλώπηξ, *Renard*, *Fuchs*. *Canis Vulpes* L. cauda recta diſtinguitur, animal carnivorum proprium fœtorem emittens, hyeme libidine agitatur, ad quatuordecim annos vitam extendit.

Interdum in cibum recipitur, & tempore vindemiarum pro exquiſita habetur, ut poſt GALENUM Perilluſtris de BUFFON monet.

* *Pulmones* cum arteria aſpera exſiccati aſſervantur, probe cavendum ne vermibus exedantur, nauſeoſum ſaporem habent, & præeunte GALENO, ab omni tempore aſthmaticis fuerunt commendati, per ſe vix hodie præſcribuntur, ſed crebriori in uſu eſt.

Loch de Pulmone Vulpis quod MESUE a GALENO deducit, reſolvens omnino medicamentum, ad morbos pectoris non inutile, ex quo optime Pulmones Vulpis exularent.

* *Oleum Vulpis ſimplex* GALENUS, quod in principio arthritidis profuerit, ſe crebro expertum eſſe, teſtatur; Wurtembergenſes & Pariſini, præeunte MESUE, varia vegetabilia aromatica ipſi adjiciendo illud magis reſolvens reddunt, Wurtembergenſes majorem præ Pariſinis aromaticorum rationem recipiunt.

II. AVES.

Aves facile digeri, ſed parum nutrire HIPPOCRATES præcipit, circa eas æque ac circa quadrupeda experientia docuit, annoſiores carnem tenaciorem habere, quæ autem etiam validius nutrit, inter eas granis vel baccis veſcentes, eis quæ inſectis vivunt, & hæ ichthyophagis præferuntur, cadavera ſectantes a menſis noſtris jubemus exulare; minus bonum præ reliquis alimentum, eas quæ ad aquas vivunt præbere, jam

Hippocrates monuit; verno tempore, avium in universum esus minus laudatur, quippe quo plurima earum genera rem veneream exercent, migratoriæ autem, post longiora itinera, ad nos veniunt. Illæ etiam quas in cortibus alimus, cum largiore alimento nutriantur, illis quæ vaga Cerere vivunt, præstant. Aves annosæ sive ad jura recipiuntur, sive in ollis lutatis per plures horas vapore aquæ maceratæ, elixantur; aves exiguæ frixantur, reliquæ omnes solent assari.

α. GRANIS CEREALIBUS AUT BACCIS VESCENTES.

Alauda, κόρυδος, *Alouette*, *Lerche.* Gaudet digitis quatuor, quorum unus posticus est, & cujus unguis ipsum digitum magnitudine superat, rostro subulato & naribus detectis. *Vulgaris* L. *Feldlerche* dorso nigricante, griseo, rufescente & albido vario, abdomine ex rufo albo, tænia supra oculos albo-rufescente distinguitur.

Inhabitat prata & agros cereales, inter æquinoctium vernale & hybernum ter ova, & singulis vicibus quatuor deponit, primo vere & autumno gregatim solet volare, & tunc in cibum recipi, versus Calendas Novembris nostras terras relinquit, ad decimum annum usque vitam extendit.

Caro facile digeritur & bonum alimentum largitur.

Anser, χὴν, *Oie*, *Gans.* Rostro crassitie, latitudinem æquante ab anate differt. *Domestica* Br. *Anas Anser domesticus* L. corpore inferiore semper albo, superiore cinereo, albo, fusco ludente gaudet, rostrum & pedes in adultis rubent.

Herbis & granis vescitur, anseres, qui ad loca paludosa degunt, majores & obesiores sunt illis, qui in siccis vivunt; a Martio ad Julium usque ova ex-

cludunt, menſem integrum in cubando tranſigunt, vere & autumno deplumantur.

Anſeris carnem digeſtu difficiliorem eſſe HIPPOCRATES & GALENUS annotarunt; hepar hodie multum a delicatioribus expetitur, ut illud voluminoſum & pingue multum evadat, variis artificiis ſolent obtinere; eſu omnino ſuaviſſimum, ventriculo minus amicum eſt, multum nutrit.

* *Axungia* vix aliquid proprii habere videtur.

* *Sylveſtris* BR. *Anas Anſer ferus* L. *Oie Sauvage*, *Schneegans*, dorſum cinereo fuſcum, pectus album, roſtrum nigrum in medio croceum habet & pedes luteos aurantios.

Tenacioris carnis avis hyeme in artocreata recipitur.

* CARDUELIS, χρυσομίτρης, *Chardonneret*, *Diſtelfink*. Digitos quatuor habet, quorum unus eſt poſticus, pedes ad calcaneum plumoſos, roſtrum conoideum in verticem gracilem, acutum, elongatum abiens. *Carduelis* BRISSON. *Fringilla Carduelis* L. tænia nigra utrinque, a roſtro ad oculum, protenſa, dorſo ex fuſco rufeſcente, pectore albo, roſtro albo & pedibus fuſcis diſtinguitur: *Ligurinus* BRISSON. *Fringilla ſpinus* L. ἀκανθὶς, *Ziſel*, *Zeiſig*, dorſum ex viridi olivaceo flaveſcens, pectus citrinum, roſtrum candidum, pedes nigros habet.

Bonum chylum largiri & facilis digeſtionis eſſe dicitur.

COLUMBA, περιστερά, *Pigeon*, *Taube*; digitos quatuor habet, quorum unus poſticus, pedes ad calcaneum uſque plumoſos, roſtrum conoideum, mandibulæ ſuperioris apicem craſſum & incurvum: *Domeſtica* L. parte dorſi inferiore alba, pedibus rubris, roſtro fuſco, materia farinacea tecto ſolet diſtingui; plurimæ ejus varietates proſtant, aliquoties de anno bina ova ponit, per viginti dies incubat, tres ſepti-

manas eduationi pullorum impendit, quinto ætatis menſe puber, ſexennis effœta, ad vigeſimum ætatis annum pervenire dicitur; caro juniorum, *pigeonnaux* quæ nondum volare poſſunt, digeſtu facilis eſt, & bonum chylum largitur; adultiores elixatione ventriculo accommodantur, & bonum alimentum ſiſtunt: Qui columbam dilaceratam capiti aut pectori phreneticorum, apoplecticorum, pleuriticorum &c. imponunt, præter vires a calore expectandas, dum nihil ſibi promittere poſſunt, caveant ne præter horrorem, quem cruento ſpectaculo ægroto incutiunt, putridas animalis partes, maſſæ humorum in putredinem abeuntium ingerant. Columbæ ſpecies ſylveſtres apud nos non in cibum recipiuntur.

Coturnix, ὄρτυξ, *Caille*, *Wachtel*. *Perdix*. Brisson. digitis tribus anticis, uno poſtico, roſtro conico incurvo, capite paleis deſtituto, pedibus nudis gaudet: *Coturnix*, *Tetrao Coturnix* L. tres in capite tænias, dorſum nigrum, rufo & pauco gryſeo variegatum, pectus rufum, nigricantibus maculis varium, roſtrum cinereum, pedes carneos habet; ad Septembrim uſque ova ponit, ſingulis vicibus ad quatuordecim uſque, Octobri menſe nos relinquit, Majo reditura.

Ob pinguedinem, qua abundant, digeſtu paulo difficiliores ſunt, ſed copioſum & bonum alimentum largiuntur, frequentiſſime cum inter nos edantur, nec unquam evidentem noxam inde ſurrexiſſe fuerit obſervatum, hinc morbi qui a Galeno, Riedlin, Nebel inde orti recenſentur, aliis omnino cauſis, quam optimis avibus, ſunt adſcribendi.

* *Axungia* Wurtemb. officinalis eſt.

Gallina Corylorum Barb. *Attagen*, ἀτταγᾶς, *Gelinotte*, *Haſelhuhn*. *Lagopus* Brisson. Cruribus ad calcaneum uſque plumoſis, tribus digitis anticis, uno poſtico gaudet, roſtro conico incurvo, capite paleis deſtituto, pedibus plumoſis: *Bonaſia*, *Te-*

trao Bonasa L. dorsum cinereum, lineis minimis & punctis fuscis, rufis, nigricantibus varium, faciem maculis albis distinctam, pectus album inter quod fuscum translucet, rostrum nigrum, pedes gryseo-fuscos habet, appendiculis squammosis ornatos.

Ad decem ova usque ponit, in calidiore Europa non occurrit, altiora coryleta & pineta inhabitat.

Carnem teneram & albam habet, bonum alimentum largitur.

GALLUS, ἀλέκτωρ, *Coq*, *Hahn*. Rostrum conicum incurvum, tres digitos anticos, unicum posticum habet, caput paleis ornatum, pedes ad calcaneum usque plumosos: *Domesticus* BRISSON. *Phasianus Gallus* L. paleis binis longitudinalibus, sub gutture pendulis & crista membranacea in fronte distinguitur; varietates *Caudata* L. ex Persia, *Morio* L. ex Guinea & Senegal, *Pusilla* L. ex Bantam in Europam fuerunt allatæ; mares calcaribus distinguuntur & duabus rectricibus mediis longissimis, reflexis: femina ἀλεκτορὶς, *Poule*, *Henne*, æque ac mas quarto ætatis anno effœta evadit, *Poussins*, *Glücklein* ex ovis per tres septimanas incubatis prodeunt, ad aliquot septimanas cum pervenerunt, *Poulets* dicuntur, mares tertio ætatis mense castrantur & tunc *Caponum*, *Chapons*, *Capaunen* nominè veniunt. *GALLO PAVO* BRISSON. *MALEAGRIS* L. *Dindon*, *Coq d'Inde*, *Calecutischer Hahn*, *welscher Hahn* palea unica sub gutture pendente, ornamento frontis carneo gaudet. Malabar & Coromandel veram ejus patriam esse, asseveratur apud OSBECK. Americæ indigenum anno 1524 Angliæ illatus fuisse dicitur in *Philos. Transact.* Vol. 71. Inter nos coloribus ludit, harum avium greges quotannis ex Lotharingia ad nos adductæ omnes nigro colore gaudent, quem Americanis proprium esse, testatur Illustris LINNÆUS. Per integrum mensem ova incubant; bis de anno ad quindecim usque ova excludunt

* *Meleagris* Brisson. *Numida* L. *Peintade*, *Perlhuhn*, paleis binis ad rictum oris pendentibus & cornu conico in fronte distinguitur. Africana avis, rarius in nostris cortibus ob horridos, quos edit, clamores educatur, ejus caro ad carnem gallo pavonis accedit.

Galli, qui crebrius rem veneream exercuit, caro sicca, tenax, digestu difficilis est, elixatione emollitur, ejus gelatina sextam partem æquat, recipitur præcipue ad jura nutrientia. Gallinæ, quæ aliquoties ova exclusit, caro etiam tenax est, hinc nonnisi eæ, quæ nulla adhuc ova ediderunt & *Poulardes* dicuntur, assari solent. Galli æque ac gallinæ juniores & digestu faciles sunt, & egregium chylum largiuntur, Hippocrati multum laudati, jus inde paratum, demulcendi & relaxandi ergo commendatur, nostrates illud puerperis exhibent, pertinacissimam alvi obstructionem ejus ope felicissime curatam vidit Ovelgün. Jus ex pullis paratum, ad attenuandos humores & relaxanda solida egregie facit, hinc in morbis inflammatoriis, acutis & ubi primæ viæ spasmo agitantur, cum successu solet exhiberi. Capo & sapore & facili digestione & nutriendi facultate præstat. Gallo-pavo Gallo domestico etiam validius nutrit.

Ventriculi membrana interior roborandi ergo laudatur, nostrates illam infantibus pro firmando ventriculo exhibent, videtur hunc effectum ratione acidi, quod ejus vis lac cogens evincit, exserere.

Ovorum albumen quod $\frac{7}{8}$ fere phlegmatis, $\frac{1}{24}$ spiritus urinosi, $\frac{1}{49}$ olei empyreumatici, $\frac{1}{36}$ salis volatilis Neumann fudit, cum sero sit analogum, hinc nutritioni omnino inservit, egregium præterea medicamentum est demulcens, hinc ad morbos pectoris multum commendatur, cum muci defectum suppleat, etiam ad vocem claram reddendam multum confert; extus relaxando, lubricando, demulcendo, contra aërem defendendo, in inflammationibus & ambustis

nec non ubi epidermis deficit, egregiam opem fert. Calore induratum, digeſtu difficillimum est. *Vitellus* multo oleo unguinoſo turgens, unde NEUMANN deſtillatione $\frac{6}{11}$ fere aquæ, $\frac{1}{9}$ ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{3}$ olei empyreumatici obtinuit, cum totus in aqua diſſolvi poſſit, hinc multum ſaponaceus eſt, digeſtu facilis & multum alit, viribus medicatis cum oleis unguinoſis convenit, aqua agitatus & edulcoratus ad pertinaciſſimas tuſſes, ſub nomine *Lait de Poule* adhibetur. *Teſtæ*, deſtillatione $\frac{5}{19}$, ſpiritus urinoſi, pauciſſimum olei empyreumatici, $\frac{1}{96}$ ſalis volatilis fundunt ſecundum NEUMANN. Præter vires abſorbentes nullas alias habent; præparatæ *Alcali de Kotrou* dicuntur. Cum itaque ova habeant ſubſtantiam nutritioni aptiſſimam, quæ ſine diſpendio primarum viarum ſanguinem ſubire poteſt, hinc vel ægrotis cum ſucceſſu, nutritionis ergo, exhibentur, conſentiente HIPPOCRATE, ſed ſimul eluceſcit quod in febribus exulare debeant. Putamen ovi ad ſiſtendas hæmorrhagias adhibetur.

* *Aqua Caponum* quam VAL. CORD. a Florentinis recepit, phtiſicis laudatur, rectiſſime ZWOELFFER jura, aquis deſtillatis præfert. * *Axungia Gallinæ: Oleum Ovorum.* vid. *Inſt. Chem.* * *Loch de Ovo* Pariſienſium ſuave medicamentum demulcens & relaxans.

OTIS non Veterum, ὠτὶς, *Outarde*, *Trappe*. Pedes tridactylos habet, crura inferiora denudata, roſtrum conicum incurvum. *Tarda* L. maris os pennis gryſeis barbatum eſt, dorſum nigricans, flavo & ruſeſcente variegatum, pectus album, cui aliquid fulvi accedit, roſtrum gryſeo-fuſcum, pedes cinerei.

Nonniſi rigidiore hieme nos accedit, caro dura, vix elixatione in vaſis clauſis emollienda, & tunc validum nutrimentum largitur.

* PASSER, στρουθὸς, *Moineau Franc*, *Sperling*, *Spatze*. Crura ad calcaneum uſque plumoſa habet,

tres digitos anticos, unum posticum, rostrum conicum attenuatum, apice crasso & brevi terminatum, mandibulam utramque rectam, integram, rostri basi capite multo minore: *Domesticus* BRISSON. *Fringilla domestica* L. tænia spadicea per occiput ad alterum oculum ducta, dorso superne nigro & rufo, inferne gryseo & rufo variegato, pectore cinereo-fusco, rostro nigricante, inferne ad basin flavicante distinguitur. Ter de anno quinque ova ponit, præter grana cerealia insecta quoque assumit.

Passeres juniores pingues sunt, sed raro in cibum recipiuntur, cum inde epilepsiam excitari posse, vulgus reputet, cui faventes etiam observationes quidam Medici litteris consignarunt, figmentum falsissimum omnino.

PERDIX, πέρδιξ, *Perdrix*, *Feldhuhn*. *Grysea* BRISSON. *Tetrao Perdix* L. dorsum ex cinereo, rufo & nigro transversim varium, pectus ex cinereo-cærulescens, nigrum, transversim striatum, maculis rufis ornatum habet, rostrum & pedes cinereo-cærulescunt. Mares calcar in pedibus gerunt.

Formicas quoque in cibum recipiunt, 16 ad 18 ova ponunt, hyeme gregatim incedunt, a Julio mense ad hyemem usque optimæ; in Europa temperata & septentrionali obtinent.

Caro digestu facilis & egregii alimenti est; annosæ in jura nutrientia recipiuntur.

* *Rubra* BRISSON. *Tetrao rufa* L. Dorso gryseo fusco, pectore dilute cinerescente, rostro & pedibus rubris, qui in maribus calcar habent, agnoscitur. In Europa calida maxime, apud nos rarius occurrit.

A quibusdam, priorem gratia superare, dicitur, id quod alii negant, decidant delicata lingua præditi.

* *Græca* BRISSON. *Bartavelle*, *Rebhuhn*; prioribus major, dorso & pectore cinereis cum aliqua rufi mixtura, tænia nigra utrinque a naribus supra oculos per

collum ad pectus ducta, rostro rubro, pedibus pallide rubris, in maribus calcaratis. Italiæ propria avis, in Alpibus Helveticis quoque occurrit, & inde ad nos mittitur; exquisiti omnino saporis est.

PHASIANUS, φασιανὸς, *Faisan*, *Fasan*. A Perdice cauda longe differt: *Phasianus* BRISSON. *Phasianus Colchicus* L. dorso fusco, castaneo-purpureo, maculis albis variegato, pectore castaneo, purpureo, nigricante, splendente agnoscitur; femina & magnitudine & pulchris coloribus mari cedit.

Sylvarum incola, nonnisi Martio & Aprili mensibus venerem exercet, ad triginta ova ponit, & per quinque & viginti dies incubat.

Exquisiti saporis avis, facile digeritur, & optimum alimentum largitur.

TURDUS. Crura ad calcaneum usque plumosa, tres digitos anticos, unum posticum habet, rostrum sub rectum, maxillam superiorem convexam, apice deflexo & utrimque emarginato habet: *Major* BRISSON. *Viscicorus* L. *Grive*, *grosser Grammetsvogel*, dorso gryseo-fusco, ventre ex albo flavicante, maculis nigris notato, rostro gryseo-fusco & pedibus fuscis distinguitur; vescitur baccis & insectis, bis de anno ad quatuor usque ova ponit, optimus versus hyemem.

Bonum alimentum largitur, digestu facilis.

* *Minor* BRISSON. *Musicus* L. *petite Grive, Drossel*, magnitudine & pectore rufescente, rectricibus, nullo albo marginatis a priori differt; nidificat in sepibus, insectis maxime vescitur, hinc minus quam reliqui salubris.

* *Iliacus* BR. & L. *Mauvis*, *Weindrostel*, tænia utrimque a naribus ad occiput ducta, albo-flavicante, dorso gryseo-fusco, pectore maculis gryseo-fuscis variegato, rostro nigro, pedibus dilute gryseis agnoscitur. Gregatim autumno ad nos advolat, uvas maxime appetit, in sepibus nidificat.

Pilaris BRISSON & L. τριχὰς, *Litourne*, *Tourdelle*,

Krammetsvogel. Dorſum ſuperne fuſco-rufeſcens, inferne cinereum, pectus rufeſcens maculis nigris variegatum, roſtrum flavicans, pedes nigros habet; autumno nos adit, vere relinquit, baccis juniperi maxime veſcitur, quas quoque ejus caro ſapit, in Europa non nidificare dicitur.

* *Merula* Br. & L. κόσσυφος, *Merle*, *Amſel*, corpore toto in maribus nigro, in feminis fuſco, roſtro luteo & pedibus nigris diſtinguitur, vere ad nos venit, autumno noſtras regiones relinquit, bis de anno quinque ova ponit; qui hyeme apud nos manent, omnes mares ſunt; caro minus quam antecedentium æſtimatur.

Urogallus Barb. *Lagopus Urogallus major* Br. *Tetrao Urogallus* L. *Coq de Bruyere*, *Auerhahn.* Dorſo tæniis tranſverſis undulatis, alterne cinereis & nigricantibus inſtructo, pectore ex fuſco-nigricante, maculis aliquot albis variegato, roſtro cinereo albo, digitis fuſcis, appendiculatis, utrinque ſquammoſis gaudet.

Copioſus in pinetis, ſeptentrionalibus præcipue, occurrit, gemmis abietis veſcitur, quas etiam ejus caro ſapit, per æſtatem baccis & inſectis vivit, tempore verno venere agitatur, femina ultra tredecim ova excludit & ea per quatuor ſeptimanas incubat. Caro ejus duriuſcula, ſicca, validum alimentum largitur.

* *Lagopus Urogallus minor* Br. *Tetrao Tetrix* L. *Coq de Bruyere à queue fourchue*, *Birkhahn.* Dorſo & pectore nigro violaceo, cauda bifurca, roſtro nigro, digitis fuſcis, utrinque appendiculatis, dignoſcitur.

Ad Europam calidam non deſcendit, montium altiorum betulaceas ſylvas inhabitat, femina duodecim ova ponit, vario genere vegetabilium & inſectis veſcitur.

β. INSECTIS VIVUNT:

* Ficedulæ Br. *Motacillæ* L. Crura ad calca-

neum uſque plumoſa, tres digitos anticos, unum poſticum, qui in arcum flexus eſt, roſtrum ſubulatum, nares nudas habent, plures ſpecies in cibum recipiuntur.

Digeſtionis facilis & boni alimenti eſſe reputantur.

* HIRUNDO, χελιδὼν, *Hirondelle*, *Schwalbe*. Cruribus ad calcaneum uſque plumoſis, tribus digitis anticis, uno poſtico, roſtro minimo baſi compreſſo, apice adunco gaudet. *Minor ſeu Ruſtica* BRISSON. *Urbica* L. capite & dorſo nigro-cæruleſcentibus, collo inferiore, pectore & ventre niveis, pedibus lanugine alba obſeſſis, roſtro nigro, cauda bifurca diſtinguitur.

Martio menſe nos adit, Auguſto ulterius migrat, ſub tectis nidificat, bis de anno & qualibet vice quatuor aut quinque ova excludit.

Rarius in cibum recipitur & inde minus bonum alimentum ſubminiſtrari dicunt, a virtute antepileptica SERENO SAMMONICO laudari cœpit, quam autem æque ac illam, qua viſus aciem acuere & morbis faucium mederi, Veteribus dicebatur, experientia non confirmavit; pro his ſcopis eos in cineres combuſtos ſolebant ſecundum GALENUM exhibere: nidum hirundinum ad anginam adhibere, jam ante GALENM in more fuit, & hodie adhuc a quibuſdam laudatur, ſi quis inde effectus ſequitur, is debetur reſolventi ſtercoris, quod continet, virtuti. Proprium lapidis genus quod in ventriculis & nidis hirundinum reperiri olim annotante DIOSCORIDE aſſeruerunt, *Chelidonium* dixerunt, & de eo miras vires prædicarunt, hodie eviluit, ipſi *Achates Chelidonios minerales* WALLER. ſolent ſubſtituere, inertes omnino.

* *Aqua Hirundinum cum Caſtoreo* Auguſt. Ad ſpaſmos hyſtericarum commendatur. * *Aqua Hirundinum ſine Caſtoreo* Auguſt. præ aqua Sambuci vix aliquid proprii habet.

* PARUS, αἴγιθαλος, *Mesange*, *Meise*. Digitos tres anticos, unum posticum habet, crura ad calcaneum usque plumosa, rostrum subulatum, nares plumis tectas: *Fringillago* BR. *Major* L. *Charbonniere*, *Brandmeise* macula utrinque candida infra oculos, dorso viridi, olivaceo, pectore flavescente, rostro nigro, pedibus plumbeis distinguitur.

Autumno in hortis & sylvis occurrit, novem ova excludit, nucibus, muscis, cadaveribus vescitur, saporis minus boni est & difficilis digestionis.

PLUVIALIS Barb. digitis tribus, omnibus anticis, cruribus inferne nudis, rostro, recto brevi gaudet. *Aurea* BRISSON. *Charadrius Pluvialis* L. *Pluvier doré*, *Brachvogel*, extimo digito cum medio postice, ope membranæ nexo, dorso nigricante, flavo variegato, pectore gryseo-fusco, cum maculis flavis, rostro & pedibus nigricantibus agnoscitur; in campis & ad aquas degit.

Exquisiti saporis avis; digestu facilis, alimentum inde surgens facile dissipari asserit LEMERY.

* RALLUS Barb. tribus digitis anticis, uno postico instructus est, cruribus inferne deplumatis, rostro longo, recto, lateraliter compresso: *Aquaticus* BR. & L. *Rasle-d'eau*, *Rohrhünlein* dorso in medio nigricante, ad margines ex fusco rufescente, pectore cinereo, rostro ad originem rubro, reliquo nigro, pedibus fusco viridescentibus agnoscitur.

Julio mense ova ponit.

Exquisiti saporis est, difficilius digeri, minus bonum alimentum præbere dicit LEMERY.

* *Maruette* BR. *Porzana* L. *Weinkernel* dorsum medium nigrum, margine fusco olivaceo, maculis candidis vario, pectore cinereo, olivaceo, maculis albis distincto, rostro & pedibus fuscis olivaceis gaudet; ad aquas cum priori occurrit.

* *Ortygometra* Br. *Crax* L. *Rasle de Genet*, *Roi des Cailles*, *Wachtelkönig* dorſum uigrum gryſeo rufeſcente variegatum habet, pectus cinereum, cui aliquid rufi accedit, roſtrum antecedentibus brevius, cum pedibus gryſeum.

In pratis & ericetis occurrit, ad octodecim per annum ova excludit.

Prioribus & exquiſitioris ſaporis eſt, & digeſtu facilior & magis probum alimentum ſubminiſtrat.

Scolopax, σκολόπαξ, *Beccaſſe*, *Schnepfe*: Pedes tres anticos, unum poſticum ſiſtit, crura inferne denudata, roſtrum gracile, longiſſimum, rectum, apice obtuſo: *Ruſticola* L. tænia nigra utrinque ab ore ad oculum deſcendente, dorſo caſtaneo & nigro variegato, pectore gryſeo rufeſcente, nigricante, tranſverſim ſtriato, roſtro ex gryſeo ad carneum tendente, inferne nigro, pedibus gryſeo-fuſcis diſtinguitur.

Occurrit ad loca paludoſa, autumno optimus.

Exquiſiti ſaporis avis, ſed monente Lemery digeſtu minus facilis.

Gallinago Br. & L. *Beccaſine*, *Waſſerſchnepfe*, priore minor, dorſo nigricante & fulvo diluto, utrinque binis tæniis notato, pectore albo, roſtro fuſco in extremitate nigro, pedibus fuſco vireſcentibus gaudet.

Ad rivos & paludes degit, priore ſapidior & digeſtu facilior.

Sturnus, ψάρ, *Etourneau*, *Staar*, tres digiti antici, unus poſticus, pedes ad calcaneum uſque plumoſi, roſtrum integerrimum, rectum, convexum, apice obtuſo, latiuſculo: *Vulgaris* Br. & L. dorſo & pectore nigris, albo maculatis, roſtro flaveſcente, pedibus luteis diſtinguitur.

Habitat ad paludes & ſtagna.

Multis in deliciis eſt, ſed antequam in cibum recipiatur, multa aqua abluendus eſt, ut amarities ejus carni propria inde auferatur,

* TRINGA Barb. tres digitos anticos habet, unum poſticum, crura inferne nuda, roſtrum gracile, longum, apice obtuſo & levi. *Glareola* L. *Cul blanc*, *Steingallel*, digito medio utrimque membranula aucto, dorſo fuſco & candido maculato, tæniis utrinque duabus a roſtro ſupra oculos ductis, pectore albo, roſtro & pedibus vireſcentibus diſtinguitur.

Habitat ad ſtagna, annumeratur avibus ſaporis exquiſiti & digeſtu facilibus.

* *Guinetta* BRISSON. *Hypoleucos*, *Guignette*, *Pfiſterlein*, digito medio membranula aucto, dorſo gryſeo-fuſco undulato, pectore albo, fuſco variegato, roſtro & pedibus fuſcis diſtinguitur: ab Aprili ad Novembrem inter nos occurrit; priori etiam præfertur.

* *Totanus ruber* BRISSON. *Gambetta* L. *Chevalier rouge*, *Rothbeinel*, digitum medium utrinqe appendiculatum, dorſum ex fuſco & gryſeo variegatum, pectus album, gryſeo-fuſco variegatum, roſtrum fuſcum, pedes rubros habet.

A vere ad autumnum uſque apud nos obtinet, carnem habet exquiſitam, autumno optimam.

VANELLUS Barb. αἴξ, digitis tribus anticis, uno poſtico, crurum parte inferiore denudata, roſtro recto, ad apicem craſſiore, unguiculis breviſſimis inſtruitur.

Tringa Vanellus L. *Vanneau*, *Kibitz*, *Fifitz*, criſtam nigram habet, dorſum viride aureum, pectus album, roſtrum nigrum, pedes ex fuſco rufeſcentes.

Degit ad aquas, autumno & hyeme optima, quatuor ad quinque ova excludit, digeſtu facilis, minus bonum alimentum largitur. LEMERY.

Gryſeus BR. *Squatarola* L. πάρδαλος, *Koppel*, dorſum ex albo & fuſco-variegatum ſiſtit, pectus album, fuſco nigricante diſtinctum, roſtrum cum pedibus nigrum. Gregatim volat, ejus caro priori quoque præfertur.

ICH-

γ. ICHTHYOPHAGI.

ANAS, νῆσσα, *Canard*, *Ente*. Tres digitos membrana nexos, posticum solutum habet, crura extra abdomen posita, rostrum, cujus latitudo crassitiem superat, denticulatum, superne convexum, in apicem unguiculatum, obtusum terminatum. *Domestica* BR. *Boschas* L. Rostro recto, ex viridi flavescente, capite nec cristato, nec papilloso, collo torquato, cauda parva, pedibus aurantiis, pectore castaneo, dorso cinereo variegato distinguitur: mas *Canard*, *Entrich*, *Erpel*, *Entvogel*, rectricibus quatuor intermediis sursum erectis, torque, capite, gutture, collo viridi aureo splendentibus &c. a femella *Cane*, *Ente* differt; hæc ad quatuordecim usque ova excludit, & per quatuor septimanas incubat. Octobri mense & per omnem hyemem gregatim volat, & mensis apponitur, eadem avis etiam in cortibus coli solet.

Anatis feræ caro suavior & digestu facilior est, quam caro domesticæ, quæ omnes sordes devorat & corpus minus movet.

* *Axungia* nihil proprii habet.

Querquedula BRISSON. & L. *Sarcelle*, *Kernel* Priori magnitudine multum cedit, tæniis candidis ad oculos, dorso fusco, pectore rufescente, fusco, undulato, rostro nigro, pedibus ex fusco plumbeis gaudet,

Querquedula minor BR. *Crecca* L. *petite Sarcelle*, *Dræsel*. Antecedente minor, tæniam albo-rufescentem per omnem faciem habet, aliam quoque exiguam sub utroque oculo, dorsum striis albidis & nigricantibus undulatum, pectus rufescens, nigro variegatum, rostrum nigrum, pedes gryseos.

Utraque querquedula exquisitioris saporis & digestu facilior quam Boschas reputatur.

* ARDEA, ἐρωδιὸς, *Héron*, *Reiger*. Digitis nudis, tribus anticis, uno postico ad extimum anteriorem

inclinato, roſtro longo, recto, acuto, ſuperne ſulco longitudinali gaudet: *Cinerea* L. Caput habet cinereo nigrum, dorſum gryſeum, tæniam, quæ inferius corpus percurrit, nigram, roſtrum ex flavo virideſcens, pedes virideſcentes.

Botaurus Br. *Stellaris* L. ἀστερίας, *Butor*, *Rohrdommel*, priori minor, tænia fuſca utrinque a maxilla inferiori ad collum ducta, dorſo & pectore fulvo & nigro variegato, roſtro fuſco & pedibus viridi flavicantibus diſtinguitur

Caro piſces ſapit, chylus inde minus bonus ſurgit.

Colymbus Barb. Digitos quatuor habet, quorum tres anteriores membranis lobatis connexi ſunt, crura ad podicem poſita & intra abdomen abſcondita, roſtrum rectum, acutum. *Auritus* Br. & L. *la Grebe à Oreilles*, *Tauchentlein.* Dorſum ipſi ex fuſco nigricat, pectus, venter & crura albent, latera candida, aurantio variegata, roſtrum nigrum, pedes exterius obſcure virideſcentes, interius rubeſcentes, ad utrumque oculum faſciculus plumarum aurantiarum obtinet.

Piſciculos ſapit, minus bonum chylum largitur.

Fulica, φαλαρὶς, *Foulque*, *Pfaff.* Tres digitos anticos, unum poſticum, totos membrana lobata obſeſſos, roſtrum conicum, lateraliter compreſſum, crurum partem inferiorem nudam, frontem deplumatam, calloſam habet. *Atra* L. fronte coccinea, dorſo & pectore gryſeis, roſtro flavo olivaceo & pedibus fuſco-olivaceis diſtinguitur.

Boni ſaporis eſt, nec illaudabilem chylum ſubminiſtrat.

Gallinula Barb. Crura inferne deplumata habet, æque ac ſinciput, tres digitos anticos, unum poſticum, per totam longitudinem membranis fiſſis & ſimplicibus auctos. *Gallinula minor* Brisson. *Fulica fuſca* L. *Poule d'eau*, *Waſſerhühnlein.* Caput, collum, dorſum, fuſco-olivacea ſunt, pectus & venter cine-

reum colorem habent, ſinciput craſſiſſima membrana flavo-olivacea obducitur, roſtrum & pedes viridi-olivaceum colorem habent.

Exquiſiti ſaporis, nec digeſtu difficilis eſt.

* STERNA Barb. digitos tres anticos membrana nexos, poſticum ſolutum habet, pedes extra abdomen poſitos, parvos, roſtrum rectum, lateraliter planum, mandibulam utramque æqualem : *Major* BR. *Hirundo* L. *grande Hirondelle de Mer*, *Spyrer* : capite toto nigro, dorſo cinereo, pectore niveo, roſtro & pedibus rubris diſtinguitur.

Ab Aprili ad autumnum uſque inter nos occurrit, in Rheni inſulis nidificat.

Ejus caro minus tenera eſt, & piſciculos ſapit.

Minor BR. *Nigra* L. *Fiſcherlein* ſincipite albo, reliquo capite nigro inſtructus, pectore niveo, roſtro & pedibus rubris.

Menſe Majo optima, priori præfertur.

Nigra BR. *Fiſſipes* L. *l'Epouvantail*, *Brandvogel*. Caput nigrum, dorſum cinereum, pectus ex cinereo nigrum, roſtrum nigrum; pedes obſcure rubro ſiſtit.

Cum inſectis potius quam piſcibus veſcatur, hinc reliquis pro cibo præfertur.

III. PISCES.

Teneram ob carnem, qua gaudent, digeſtu faciles ſunt, ſed cum eorum fabrica ab humana inſigniter diſtet, hinc alimentum leve largiuntur, docente HIPPOCRATE, quod facile diſſipatur, nec hominibus multum virium ſubminiſtrat, eadem caro cum facile in putredinem ruat, hinc non auderem illis accedere, qui febricitantibus aut a graviori morbo reconvaleſcentibus piſces commendant. Marinos, ut ſapore, ita quoque ſalubritate anteire, vulgo aſſerere ſolent, ad nos cum rariſſime niſi ſaliti adveniant, carnes ſalitas autem minus ſalubres eſſe, monitum fuerit,

(§. 17.) hinc tale encomium inter nos non merentur; illi qui limum fluviorum aut ſtagnorum inhabitant, multo inferiores ſunt, HIPPOCRATE jam obſervante, illis qui in fluviis aut torrentibus crebro motu agitantur. Sed etiam idem piſcium genus, pro vario quo veſcitur alimento, obſervatur differre, hinc minus laudantur piſces quos in fluviis, ad majores urbes, multo ſordium genere inquinatis, capiunt, notante GALENO: pinguedo piſces commendat guſtui, digeſtu difficiliores reddit; multi tempore verno minus commendandi, cum per hyemem & venerem fuerint exhauſti: ætas non tantam in piſcibus differentiam facit, quam in quadrupedibus & avibus.

α. FLUVIATILES.

* ACIPENSER *Elops*, ἀκκιπήσιον, γαλαξίας, *Eſturgeon*, *Stœr*. Branchias apertas habet, corpus longum, verſus caudam attenuatum, os in acumen eductum, edentulum, pronum. *Sturio* L. ore obtuſo, quatuor cirrhis inſtructo, cute tuberculis rigidis aſpera, non maculata diſtinguitur.

Piſcis marinus, a Majo ad Septembrem uſque in Rheno capitur, olim apud nos rariſſimus, nunc frequentior, ad novem pedes longitudine, ad trecentas libras pondere accedit, quod omne volumen in fluviis acquirit, cum in mari vix cubitum excedat; femellæ maribus majores ſunt, caro marium præfertur, bovinæ pingui ſimilis, lactes maximi fiunt, ejus ova contrita & ſale condita, ſub nomine *Caviat* per Ruſſiam, Italiam & Turciam in cibum recipiuntur.

Digeſtu difficilior ob copioſam, qua ſcatet, pinguedinem; validum alimentum dat, exſiccatus aut ſale conditus multum gratiæ perdit, ventriculum magis gravat.

ALOSA, *Aloſa*, *Mayfiſch.* Ad *HARENGOS* a KLEI-

NIO refertur, qui branchias apertas, pinnam unicam brevem ad medium dorfi, corpus cultellatum fpiffum, caput imberbe habent: *Clupea Alofa* L. ventre ita compreffo, ut carina ejus in aciem producatur, dorfo ex albo flavefcente, lateribus nigro maculatis diftinguitur.

Ex Oceano, Aprili menfe nos adit, quo etiam ad cibum optimus eft, fub finem Maji femen emittit, Junio noftras aquas relinquit, minus pinguis apud nos eft, quam ad mare captus, digeftu facilis, mediocris alimenti.

BARBO Barb. *Barbeau*, *Barbe*, *Bärbele*. MISTUS KLEIN. branchiis apertis, pinna una folitaria brevi, ad medium dorfi, corpore cultellato, ore barbato gaudet: *Cyprinus Barbus* L. maxillam fuperiorem longiorem, caudam bifurcam, dorfum cultellatum, dilute olivaceum, punctis nigricantibus diftinctum habet.

Illi qui in Ello capiuntur Rhenanis præferuntur, Junio fperma dimittunt, optimi Augufto, non exquifitiffimis pifcibus annumerantur, digeftu faciles, ova naufeofa & emetica effe dicuntur.

BRAMA Barb. *Breme*, *Brefem*. Branchias habet apertas, unicam pinnam dorfalem & illam brevem, ad medium dorfi, corpus præterea latum & fpiffum; *Cyprinus Brama* L. dorfo ex cæruleo nigricante, ventre plumbeo & pinnis ex cæruleo nigricantibus diftinguitur; in fluviis & aquis ftagnantibus occurrit; Februario optimus effe reputatur, Majo fperma emittit; ejus varietas occurrit minor, magis nigricans & pinguior *Wafferbrefem*, hæc elixata, illa frixa, menfis imponitur. Difficulter digeri, SEBITZ annotavit.

BALLERUS *Bordelure*, *Blieck*; *Cyprinus Ballerus* L. corpus ex plumbeo argenteum habet, pinnas fufcas, caudam ex rubro liventem. Vilioribus pifcibus adfcribitur. *Cyprinus Rutilus* L. *Rottel* pinnis omnibus, præter pectorales, cum cauda rubris, dorfo fufco

cærulescente, ventre argenteo, iride rubra agnoscitur: Aprili semen emittit, Februario & Martio optimus, in fluviis & stagnis occurrit; ad pisces meliores refertur.

Capito, *Schnotfisch.* Ad Leuciscos Kl. pertinet, qui branchiis apertis, pinna brevi ad medium dorsi, corpore castigato, ore imberbi, dorso ventreque æqualiter arcuatis gaudent. *Cyprinus Dobula* L. pinnam dorsalem glaucam, squammas in dorso fulvas, ad latera argenteas habet. Februario semen emittit, ad pedis longitudinem & libræ pondus interdum excrescit; digestu facilis, mediocris saporis.

* *Cyprinus Jeses* L. *Kopp.* dorsum carinatum habet, latera pressa, pinnas rubescentes.

Leuciscus Barb. *Cyprinus Leuciscus* L. *Vandoise*, *Laucke.* Ventrem argenteum, pinnas albas sistit & ventrem linea recta divisum. Junio semen emittit, optimus Aprili & Majo, boni saporis est & digestu facilis; ejus squammæ adhibentur ad margarithas artificiales.

Lucius, *Brochet*, *Hecht.* Branchiis apertis instructus est, pinna dorsali unica, parva, ano proxima. *Esox Lucius* L. mandibula inferiore longiore, dentata, dorso fusco, ventre albo, & pinnis maculatis distinguitur. Lucii anniculi *Brochetons*, *Heuerling*, solent appellari.

Primus Ausonius Lucii meminit, furit is in propriam gentem, & anates feras jam in ejus primis viis fuisse repertas, sunt qui asserunt, Lucii vel viginti libras pondere excedentes in fluviis nostris occurrunt; Martio & Aprili semen emittit, optimus a Junio ad Decembrem.

Digestu paulo difficilior esse reputatur, sapore exquisitus, bonum alimentum largitur; hepar ejus a delicatioribus multum laudatur; ova nauseosa & cathartica esse, sunt qui asseverant.

* *Mandibulæ* inferiores, antice ſurſum flexæ dentibus prioribus parvis, poſterioribus majoribus inſtructæ in officinas recipiuntur, $\frac{1}{50}$ circiter Extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{3}$ fere aquoſi, $\frac{1}{5}$ ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{6}$ olei empyreumatici, $\frac{1}{5}$ fere ſalis volatilis edunt, NEUMANN. Præter vires abſorbentes vix alias poſſident.

* *Fel* & *Axungia* abſtergendi ergo ad ulcera corneæ & meatus auditorii adhibetur.

NASUS Barb. *Cyprinus Naſus* L. roſtro oblongo, pinnis flavicantibus, fuſco & rubro variegatis, ore edentulo agnoſcitur.

Illi qui in Ello capiuntur, Rhenanis meliores reputantur, Aprili ſemen emittunt, optimi Junio eſſe cenſentur; ad trium librarum pondus interdum accedunt, mediocribus cibis adſcribuntur, digeſtu, teſte SEBITZ, difficiles.

PERCA, πέρκη, *Berſing*, *Kaulbarſch*, *Perche*. Branchias apertas, pinnam dorſalem unicam, longam, interruptam habet. *Perca fluviatilis* L. pinnis duabus ventralibus cum cauda rubris, corpore nigris maculis conſperſo, agnoſcitur.

Ad quatuor librarum pondus aſcendit, Martio & Aprili ſemen emittit, piſcium prædator, in aquis non multum agitatis habitat. Julio optimus, ob carnem duriuſculam minus bene digeri reputatur.

* *Lapides Percarum* ſunt exigui, elliptici, albi, ſemipellucidi, ſuperne duplici linea longitudinali diſtincti, inferne albi, duri, inſipidi, cum acidis efferveſcunt, bini in ſingulis piſcibus, ad oſſis occipitalis inferiorem partem, vertebris vicinam, hærent. NEUMANN inde Extracti aquoſi, $\frac{1}{4}$ fere, $\frac{1}{32}$ liquoris empyreumatici obtinuit.

Præter abſorbentes nullas vires habent.

* PERCIS KL. pinna dorſali ſinuata ab antecedente diſtinguitur: *Perca Cernua* L. *Kutt*, caput compreſſum habet, & pinnæ dorſalis radios duos minores,

Majo & Junio ſemen emittit, Aprili optimus, priori æquiparatur.

Salmo, *Saumon*, *Salm*, *Trutta* Kl. branchiis apertis, pinnis dorſalibus duabus, quarum una cutanea eſt, agnoſcitur. *Salmo Salar* L. corpore argenteo, maculis diſtincto gaudet, & roſtro acuto. Piſcis marinus, qui inde in fluvios aſcendit, plurimus in Rheno.

A Februario menſe ad Auguſtum noſtratibus *Lachs* dicitur, a Martio ad Junium uſque pro cibo optimus eſſe reputatur, ad ſexaginta librarum pondus interdum excreſcit; Novembri ſemen emittit. Majo menſe ejus ova inter lapides excluduntur: juniores *Salmling*, *Saumonnaux* a Septembri ad Majum uſque capiuntur, Majo optimi, eo elapſo ad Oceanum deſcendunt, nec ad nos redeunt uſque dum ad quatuor circiter librarum pondus excreverint, in torrentibus excluſi, in illis ad ſecundum uſque ætatis annum hoſpitantur, Rhenanis majores, flaveſcentes, rubris punctulis notati; cum Rhenani albi ſint, nigris maculis diſtincti.

Caro Salmonis rubet, & coctione ejus rubedo intenditur, caput reliquis partibus ſolent præferre, ob pinguedinem, qua abundat, digeſtu difficilior eſt, cum primæ viæ validæ ſunt, bonum alimentum largitur; Salmerones & facile digeruntur, & probe alunt.

Thymallus Barb. θύμαλλος, *Omare*, *Aſche*. *Salmo Thymallus* L. ventre plano, ore edentulo, dorſo in acumen contracto agnoſcitur.

Martio ſemen emittit, Junio ad cibum optimus, illi qui in torrentibus occurrunt minores & ſapidiores ſunt fluviatilibus, digeſtu faciles ſunt & boni alimenti.

* *Axungia* abſtergendi ſcopo & ad oculos & ad aures adhibetur.

Trutta, *Truite*, *Forelle*. Ejus duas maxime ſpecies noſtrates in cibum recipiunt: *Salmonem* nimirum *Farionem* L. qui os dentatum, ventrem album, maculis conſperſum habet, hæ maculæ ſi rubræ fuerint *Lachs-Forelle*, *Truite Saumonée* dicitur; in torrentibus occurrit, Novembri menſe ſemen emittit, optimus Junio & Julio habetur, noſtri piſcatores hunc piſcem culturæ ope ad ſex librarum pondus aſcendere faciunt, omni reſpectu egregius piſcis, & * *Salmonem Truttam* L. *Weisforell* qui cauda æquali, corpore albo, maculis nigris & rubris diſtincto agnoſcitur, raro inter nos occurrit, ex Rheno piſcatur, Farioni quoque anteponitur.

β. LIMO INHABITANTES.

Anguilla, ἔγχελυς, *Anguille*, *Aal*. Ad Congros a Kleinio refertur, qui branchias occultas habent, pinnati ſunt & ſpiraculo unico gaudent: *Muræna Anguilla* L. dorſo fuſco, ventre ex flavo albo, tubulis breviſſimis in mandibula ſuperiore, diſtinguitur.

Semper ſub aqua in limo hæret, piſciculis, cancris & inſectis veſcitur, ad trium pedum longitudinem aſcendit, in vivariis culta vel decem libras pondere exceſſiſſe eſt obſervata, Majo menſe ſemen emittit; piſcis viviparus.

Exquiſitiſſimi ſaporis eſt, ſed digeſtu difficilis & humores viſcidos gignit, hinc menſis imponendus ſive aromatibus ſive ſinapi conditur.

* *Hepate Anguillæ* nyctalopiam curatum fuiſſe, quis credet Paullini obſervationi? & mulier, quam exuviis intus aſſumtis iſchuria liberatam refert Cruger, aliis medicamentis potius ſuam debuit ſalutem.

* *Axungia* abſtergendi ſcopo commendatur.

* Centriscus Barb. *Stichling*. Branchias apertas & corpus aculeatum habet; *Gaſteroſteus acu-*

leatus L. aculeis tribus in dorſo; duobus in ventre, uno ad anum diſtinguitur.

Aquas ſtagnantes inhabitat; Aprili ſemen emittit, vilioribus piſcibus a noſtratibus annumeratur.

COBITIS, *Goujon*, *Gründling*, *Grundel*. *ENCHELIOPIS* a KLEINIO adſcribitur, *Cobitis Barbatula* L. cirrhos ſex, maculas fuſcas, corpus flaveſcens, pinnam dorſalem brevem habet; in fundo fluviorum occurrit, Martio menſe optimus habetur, Aprili ſemen emittit, exquiſitioribus piſcibus annumeratur, digeſtu difficilior eſt: * *Cobitis tænia* L. *Perée*, *Steinbeiſſer* cirrhis ſex, pinna dorſali brevi, maculis rotundis, nigricantibus, lineas longas efformantibus agnoſcitur & aculeo utrimque retro oculos diſtinguitur.

Sub finem Junii ſperma emittit, optimus Aprili, aquas ſtagnantes inhabitat, carne tenaciore gaudet, inter viliores piſces numeratur.

CYPRINUS, κυπρῖνος, *Carpe*, *Carpſe*. Branchias apertas, pinnam dorſalem unicam longam, æqualem & os edentulum nobis ſiſtit: *Cyprinus Carpio* L ore quatuor cirrhis inſtructo, dorſo fuſco, ſquammis majoribus diſtinguitur.

In fluviis & lacubus copioſus, multi etiam ex Lotharingiæ lacubus nobis advehuntur, qui autem æque ac illi qui in piſcinis coluntur, illis quos ex fluviis piſcantur, gratia multum cedunt, quam vero, ſi fluviis per aliquot menſes immittuntur, aſſequuntur; Aprili optimi, Majo & Junio ſperma ejaculant, ad quadraginta libras interdum aſcendunt, ultra centum annos vitam extendunt.

Digeſtu non adeo difficiles ſunt, paroxyſmos podagricorum inde excitari dicitur in *Suite de la Matiere Medicale de* GEOFFROI.

* *Lapides Carpionum* ſunt cartilagines inter palatum & primam vertebram ſitæ, cornu conſiſtentiam

& colorem habent, facies eorum altera linea longitudinali diviſa eſt, & duabus facieculis gaudet, cum acidis non efferveſcunt, $\frac{3}{4}$ gelatinæ vehunt. CARTHEUSER. $\frac{1}{48}$ Extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{8}$ aquoſi, $\frac{1}{4}$ ſpiritus ac $\frac{1}{3}$ olei empyreumatici, $\frac{1}{4}$ ſalis volatilis fere. NEUMANN. Quas ipſis adſcribunt vires antepilepticæ & diureticæ, experientia non confirmat.

GOBIO. *Loche*, *Kreſſe*, *Cyprinus Gobio* L. a reliquis *ENCHELYOPIS* KL. cirrhis duobus, ventre albo, pinna dorſali brievi, dorſo nigris maculis conſperſo diſtat.

Ad fundum fluviorum occurrit, Aprili & Majo optimus, Junio ſemen emittit, primus AUSONIUS ejus mentionem fecit; annumeratur piſcibus mediocribus, frixus maxime comedi ſolet.

* LAMPETRA, γαλεξία, *Lamproie*, *Lampret*, *Neunauge*. *PETROMYZON* KL. branchias occultas, pinnas laterales & ventrales nullas, ſpiracula ſeptem, habet: *Petromyzon fluviatilis* L. ore nudo, unico ordine dentium minorum, præter inferiores majores, duabus pinnis cutaneis dorſalibus, una ad caudam gaudet. Martio menſe nos adit & tunc optimus eſt, Aprili ſemen emittit, carne gaudet tenaci & quæ limum ſapit, digeſtu difficilis eſt & minus boni alimenti; qui conditi ad nos adducuntur adhuc minus ſalubres ſunt. * Varietas corpore minore & lineis tranſverſalibus nigris diſtincta, *Brüke* Februario & Martio menſe nos copioſe adit, Aprili ſemen emittit, priore digeſtu facilior eſſe reputatur. * *Petromyzon branchialis* L. *Neunhacken* ore edentulo, appendicibus in margine oris agnoſcitur, Martio & Aprili ſemen dimittit, a Januario ad Martium optimus; vilis valde piſcis.

MUSTELA FLUVIATILIS, *Lotte*, *Ruffolck*. *ENCHELYOPIS* a KLEINIO annumeratur, qui branchias apertas habent & corpus anguillæ-forme. *Gadus*

Lota L. pinnam dorſalem longam habet, mentum barbatum & caudam flabellatam.

Junio & Julio menſe optimi habentur, a noſtris piſcatoribus culti, ad ſex librarum pondus uſque aſcendunt, ſaporis exquiſiti ſunt, alimentum bonum largiuntur, digeſtu non multum difficiles.

TINCA Barb. *Teinte*, *Tanche*, *Schley.* BRAMÆ a KLEINIO adſcribitur. *Cyprinus Tinca* L. cauda atra, integra, pinnis circinatis nigris, corpore ex atro viridi & flavicante diſtinguitur.

Occurrit in aquis ſtagnantibus & turbidis, Majo optimus eſſe cenſetur, Junio ſemen emittit, ad quinque librarum pondus non raro aſcendit. Digeſtu difficilis & minus boni alimenti eſt.

γ. MARINI.

ASELLUS, ὄνος, *Callarias* KL. branchiis apertis & tribus pinnis dorſalibus gaudet; *Gadus Morhua* L. ore cirrhato, cauda æquali, corpore ſordide olivaceo, maculis flavis notato, agnoſcitur. Recens *Cabeliau*, exſiccatus *Merluche*, *Stockfiſch*, ſalitus exſiccatus *Morue* dicitur.

Occurrit in Oceano ſeptentrionali, maxime ad Terram novam, nec non in mari Baltico, interdum etiam ad Galliam ſeptentrionalem, piſcibus & cancris veſcitur. Piſcatura ejus quæ anno 1500 cœpit, a Martio ad Octobrim uſque inſtituitur.

Piſcis recens exquiſitiſſimi ſaporis eſt, inter nos nonniſi exſiccatus proſtat, digeſtu difficilis & omnem gratiam a condimentis accipit.

Gadus Ægelfinus L. *Callarias* PLIN. *Merlan*, *Labberdan*, *Bolchen* ore cirrhato, cauda diviſa, corpore albicante diſtinguitur: copioſe in mari Baltico & ad littora Galliæ ſeptentrionalis occurrit, veſcitur ut antecedens animalibus; recens reputatur ſaluberri-

mus, ad nos ſale conditus adducitur, hinc digeſtu facilior eſt, ſapidior & magis ſalubris.

ENCRASICOLUS Barb. ἐγκρασίχολος, *Anchois. Clupea Encraſicolus* L. Maxilla ſuperiore longiore & ſquammis exiguis, facile decidentibus diſtinguitur. Hi piſces ex mari Mediterraneo ad nos adducuntur, muria conditi, condimenti loco apud nos aliis cibis, in modum gari Veterum adjiciuntur; appetitus inde excitatur, & viſcidum ciborum corrigitur.

HARENGUS Barb. *Clupea* PLIN.? *Harang*, *Hæring. Clupea Harengus* L. corpore toto argenteo, cum interlucente cæruleo, diſtinguitur.

Inſignes turmæ mare Germanicum ex ulteriore Septentrione, lacubus Kamtſchatkæ maxime, adeunt, eorum piſcatura, cujus initia ad annum 1565 referuntur, a feſto Johannis Baptiſtæ ad Decembrem uſque inſtituitur; variæ ejus varietates a mercatoribus Belgis recenſentur: *Virgineos* illos appellant in quibus genitura nondum poteſt diſtingui, reliquis pinguiores, *plenos* dicunt, qui eandem integerrimam habent, *clauſos* denique, qui venerem exercuerunt, hi viliores eſſe reputantur; illi qui ad Magnam Britanniam capiuntur, reliquis præferri ſolent. Adducuntur ad nos haleces ſive ſale conditi ſive infumati; rationem illos condiendi BEUKELSEN circa initium Seculi XV. reperiſſe dicitur, illi, præ reliquis, ſal marinus & quidem Hiſpanicus & Luſitanicus conducit, infumati *Bücking*, *Pickling* parantur dum muria macerati, capitibus ex verubus ſuſpenduntur, & ſub eis per quatuor & viginti horas ligna, quæ multum fumum emittunt, comburuntur.

Haleces recentes & digeſtu faciliimi eſſe & exquiſiti ſaporis dicuntur, ſaliti digeſtu difficiles ſunt & alimentum ſubminiſtrant & tenue & ad gignendam acrimoniam pronum, deteriores etiam ſunt fumo indurati (§. 17.)

Sardina, τριχίας, *Sardine*, *Sardelle.* Encrasicoli varietas, minus longa & lata, sex maculas nigras ad latera habet; cum encrasicolo piscatur, salita nobis adducitur & eodem modo ac iste in cibum recipitur.

IV. AMPHIBIA.

Ad naturam piscium propius accedunt, carnem habent digestu minus facilem, & unde minus laudabile alimentum surgit, cum hæc animalia ut plurimum ad loca paludosa degant, nec corpus multum moveant.

Rana, βάτραχος, *Grenouille*, *Frosch*: corpore quadrupede, cauda & alis carente, gaudet: *Esculenta* L. Capite producto & antice acuminato, dorso viridescente, maculis nigris consperso, tæniis tribus flavis longitudinalibus distincto, agnoscitur: ad aquas & paludes copiosa occurrit, ultra sedecim annos vitam producit, juniores sub finem Martii, annosiores ad finem Aprilis ex limo, quo se per hyemem recipiunt, prodeunt; æstate & autumno optima pro cibo est; insectis & junioribus aviculis vescitur, tertio demum ætatis anno puber evadit: cum hæc rana serius ex limo prodeat, hinc evidens est, quod femora, quæ primo vere comedere solent, sive a *bufonibus* sive a *rana temporaria* desumantur.

Digestu difficilem esse & humores viscosos gignere, observatur; scopo medicato jura ex femoribus cocta, demulcendi & relaxandi ergo, cum successu assumuntur; hinc, præeunte Hippocrate, hecticis & phtisicis laudantur, nec non illis, qui affectibus cutaneis laborant; hoc scopo sex ad octo paria femorum, cum carne vitulina & vegetabilibus indicationi inservientibus, cum tribus libris aquæ ad remanentiam libræ unius decoquuntur.

* *Sperma Ranarum* ſubſtantia alba, viſcida, albumen ovorum referens, germina novorum animalium, ſub forma corpuſculorum rotundorum & nigrorum gerens, recipitur, tempore verno aquis innatans, a *Rana Bufone* L. ſive a *Rana temporaria* L. emiſſa. A PARACELSO in uſus medicatos receptum, extus modo adhibetur, demulcendi & refrigerandi ſcopo laudatur.

* *Oleum Ranarum* coctum, quod Arabibus in uſu fuit, eviluit, ejus in locum hodie adhibemus *Emplaſtrum de Ranis* VIGONIS, cujus deſcriptiones in Diſpenſatoria receptæ variant, nullæ non reprehendendæ; reſolvendi ergo adhibetur, quam virtutem id cui Mercurium addunt, eminentem poſſidet, & cum ſucceſſu ad glandulas induratas adhibetur, ſi ejus uncia drachmam Hydrargyri ſuſcepit, cum ſimplo Mercurii dicitur præparatum eſſe. *Emplaſtrum de ſpermate Ranarum* ZWŒLFFER, correctum hodie proſtat, ad inflammationes diſſipandas, levia vulnera & ulcera curanda conducit; gangrænam unquam inde fuiſſe curatam multum dubito, egregias ejus vires ad diſſipandum lac in mammis ſtagnans expertus eſt FISCHER. * *Oleum de ſpermate Ranarum* Wurtemb. vix præ ſimplici oleo olivarum, aliquid proprii videtur habere: * *Aqua ſpermatis Ranarum*, quam PARACELSUS ſub nomine *Sperniolæ* deſcripſit, plane iners eſt: * *Sperniola* CROLLII, abſurdum medicamentum, peſſime ad ſiſtendas hæmorrhagias commendatur.

Bufo L. *Rubeta*, φρῦνος, *Crapaud*, *Krott*, *Kröte*. Pedibus poſticis minoribus & duplici tuberum genere retro oculos, quorum poſticum foraminibus pertuſum eſt, diſtinguitur.

Vitam ultra quindecim annos extendit, tempore verno venerem exercet, Junio menſe ejus pulli apparent.

Bufonem venenatum esse, post NICANDRUM omnium temporum scholæ Medicæ asseruerunt, non pauci id idem lepidis fabulis confirmare allaborarunt; postquam Medici curatius observationes instituere, & res naturales propriis, non alienis, oculis considerare, nec cuilibet historiolæ fidem adhibere, sed ipsi in veritatem eorum, quæ facta fuisse dicebantur inquirere, cœperunt, numerus observationum de effectibus venenatis animalis vulgatissimi, multum est imminutus: BORELLUS, CLAUDER, VALISNERIUS bufones sine noxa comestos viderunt, id ipsum testantur innumera exempla eorum, qui ipsorum crura, loco crurum Ranæ esculentæ, primo vere, assumunt; BLAU vidit liquorem e bufonibus lacessitis in oculos jaculatum, nonnisi pruritum excitasse, urina eorum manibus æque ac vultu excepta SAUVAGES nulla noxa affecit, ROESEL se creberrime pulmones bufonum impune inflasse testatur. Minus recte itaque effectus venenati a bufonibus metuuntur, licet omnino concedendum sit, animal quod vulgo horrere solent, apud homines sensiles præternaturales affectus producere posse.

* *Bufones exsiccati* a MARCELLO primum laudati, si unquam hæmorrhagiam narium stiterunt, illud horori inde excitato erit adscribendum.

* *Cineres Bufonum.* Illorum, sub forma amuleti adhibitorum, laudes apud prudentiores recte ridentur, si vera est SOLENANDRI de hydrope, eorum usu interno curato observatio, id ipsum a virtute cineribus communi erit deducendum.

* TESTUDO, χελώνη, *Tortue*, *Schildkröte.* Est amphibium quadrupes, carne molli gaudens, caput & pedes verrucis, in modum squammarum obsidentur, testa dura, ex duabus laminis constante, variis maculis picta tegitur. *Orbicularis* L. pedibus palmatis, testa orbiculata, planiuscula distinguitur.

Occur-

Occurrit in Gallia meridionali & Italia.

Seculo decimo quinto ad ulcera interna uſurpari cœpit, ejus uſus in Gallia & Italia maxime obtinet: una teſtudo, rejectis capite & pedibus, ex aquæ libris duabus ad remanentiam unius coquitur & pro una doſi exhibetur. Mihi nulla exacta obſervatio nota eſt, quod hoc jus, a BIANCHI maxime laudatum, præ aliis gelatinoſis proprias vires ediderit.

* *Syrupus de Teſtudinibus reſumtivus* RENOD. Syrupus egregie demulcens eſt, maxime ſi melius ad artis regulas, quam præſcriptio jubet, præparatur.

V. INSECTA.

CANCER, καρκίνος, *Ecreviſſe*, *Krebs.* Animal exſangue, pedibus ſex pluribus, duobus prioribus chelatis, oculis duobus, cauda articulata, inermi gaudet: *Aſtacus* L. corpore cylindraceo, cauda ſquammata & longa, thorace levi, baſi utrinque dente ſimplici aucta diſtinguitur: duplex ejus inter nos varietas proſtat, una cujus chelarum baſis rufeſcit *Edelkrebs*, illa in altera albeſcit, nec coctione colorem mutat *Steinkrebs*, hæc nonniſi ab infima plebe in cibum recipitur.

Veſcitur inſectis, amphibiis, interdum in propriam gentem furit, menſe Auguſto totam, qua tegitur loricam deponit, una cum interna ventriculi tunica, & tunc cuticula modo tectus eſt, hoc tempore ad ventriculum lapides, quos oculos dicere ſolent, occurrunt, ſubſtantiæ pro firmando & indurando novo thorace collectæ, hinc eodem confirmato diſparent.

Caro digeſtu difficilior eſt, & aliquid acris fovet, quod non raro fauces ſub deglutitione incommodat; exanthemata, cardialgias, affectus arthriticos excitaſſe eſt obſervatum, gelatina quæ inde ſanguinem ſubit, & valde nutriens eſt, & demulcentes vires exerit; hinc jura cancrorum debilibus, hecticis, vitiis cutaneis laborantibus laudantur, humectare & ventrem refri-

gerare ab HIPPOCRATE dicuntur, a FRANCO & BRUNNER tam ore hausta, quam ano injecta, multum ad gangrænam intestinorum commendantur; alcalina esse, nec in gelatinam consistentem cogi posse, observarunt BONONIENSES; RIVINUS esu cancrorum melancholiam vidit curatam, & SCHULZ scorbutum.

Oculi Cancrorum Barb. *Yeux d'écrevisse*, *Krebsaugen*. Substantiæ rotundæ, convexo-concavæ, recentes cærulescunt, dein albi evadunt, proprio odore gaudent, ex lamellis arcte sibi invicem incumbentibus, ad faciem concavam laxioribus conflati, hærent inter utramque ventriculi tunicam, unus in utroque latere; maxima eorum copia ex Russia, ubi ad confinia Tartariæ leguntur, ad nos solet adduci, ibi cancros sive pistillis ligneis contundunt, sive in acervos collectos putredini relinquunt, carnem aqua eluunt, & hac ratione lapides colligunt, observante BAKER. Sed factitii quoque interdum prostant ex qualicunque terra alba alcalina parati, hos CRUGER a veris differre monuit absentia impressionis venularum, levitate, friabilitate, fortiore ad linguam adhæsione, minori, si calcinantur, salsedine & spuma cum in acidis dissolvuntur, citius subsidente. Exhibent $\frac{7}{32}$ spiritus urinosi, NEUMANN. Hujus medicamenti usus seculo superiore non videtur antiquior esse, quæ ipsi præter absorbentes adscribuntur vires, Auctorum luxurianti ingenio & hypothesi de acido communi febrium causa, debentur. Lapides cancrorum ad semunciam de die sumtos, specifice fluori albo mederi annotatur in *Comment. by a Society of Physicians in Edinburg* I. Vol. 3.

* *Sal* vel *Solutio* & *Magisterium Oculorum Cancrorum* SCHROED. rectissime exsoleverunt. *Oculi Cancr. citrati Act. Med. Berol.* cum sint terra ope acidi, vel absorbendi virtute privata, mihi saltem inertes esse

videntur. * *Tabellæ de Oculis Cancrorum* Parif. ad acrimoniam acidam non ineptæ funt.

* *Cancri Paguri* qui cauda parva, thorace utrinque obtufo plicato, & chelarum apice nigro gaudent, Oceani civis, chelæ recipiuntur ad * *Pulverem e chelis cancrorum* HAMILTON, eidem viperas Parifini adjiciunt, nullas alias nifi abforbentes vires edit; ingredientia pretiofa omittendo, Brandeburgenfes eum *incompletum*, nequaquam virtute minorem reddunt.

VI. VERMES TESTACEI.

COCHLEA, κοχλίας, *Limaçon*, *Schneck.* Ex numerofa gente recipitur *HELIX*, tefta fpirali, cujus apertura coarctata eft, femilunata, fegmento circuli deficiente gaudet: *Pomatia* L. eo quod fubovata fit, decolor, umbilicata & anfractus in figuram coni fibi invicem impofitos habeat, agnofcitur.

In Europa temperata vel nimis vulgaris, hortorum noftrorum peftis.

Animal oviparum, cujus ova crufta quadam obducta funt & conglutinata; copiofiffimo femper muco turget; hyeme fub terram defcendit & teftæ orificium muco claudit, qui in operculum prædurum cogitur. Vefcitur vegetabilibus. Hodie etiam, more apud Romanos multum ufitato, cochleæ propriis receptaculis five vivariis affervantur, ut femper hyeme præfto fint.

Multum in cibum recipiuntur & gratum omnino edulii genus conftituunt, fi probe a muco, qui ipfis extus adhæret, mundantur; mollem carnem digeftu non difficilem fore prævideo, fed ab animali, adeo infigniter a noftra natura diverfo, non auderem multum alimenti promittere, plane aliter vifum fuit GALENO, cui plures Medici fubfcribunt. Cum hæc animalia plures partes vifcidas aquæ, cum qua coquuntur, largiantur, hinc jura inde parata ad acres humores

M 2

demulcendos maxime laudantur, multo hinc in uſu contra tuſſim ſunt, nec hecticis dantur ſine ſucceſſu: ſcopo medicato earum octo ad decem cum una aquæ libra decoquuntur.

* *Aqua deſtillata* LEMERY hecticis laudatur.

OSTREA, *Huitre*, *Auſter*. Animal quod foramina lateralia ſiniſtra gemina habet, & in teſta bivalvi, cujus valvæ inæquales ſunt & cardine edentulo, foſſulam ovatam intercipiente, uniuntur, habitans: *Edulis* L. ſemi orbiculata eſt, valva ſuperiore undulata, inferiore plana, integerrima, gaudet.

Oceani civis.

Magnitudine & colore variat; quæ ad Angliam piſcantur, & illæ quæ in foſſis, ubi aqua marina ſtagnat, reperiuntur, virides evaſerunt, reliquis ſolent præferri. Digeſtu facilis eſt, alvum laxat, pauciſſimum alimentum nobis ſubminiſtrat. GALENUS.

Teſtæ vires abſorbentes habent; quæ circa illa obſervatæ fuiſſe leguntur vires antilyſſæ, jure ſuſpectæ ſunt.

§. 21.

Foſſilium ordo multa quidem condimenta, unicum modo alimentum nobis ſubminiſtrat, cum enim quotidie multam aquæ jacturam faciamus & hæc omnino, ſi ſanitas ſtare debet, ſit reſtituenda, hinc hujus loci omnino eſt.

AQUA, ὕδωρ, *Eau*, *Waſſer*. Liquor qui certo frigoris gradu in ſubſtantiam ſolidam, pellucentem, decolorem, quam Glaciem dicunt, abit.

Aquæ elementi conſiderationem Chemia ſuſcipit, eam, quæ vulgo in uſum trahitur, pro noſtro ſcopo, diſtinguimus in inſipidam, quam *dulcem* appellant, & ſapidam, quam Recentiores *Mineralem* dicunt, de illa intelligendi ſunt Auctores, quando ſimpliciter de aqua loquuntur.

Aquam dulcem ſive deſumimus ex terra, ſive meteora illam nobis ſubminiſtrant.

Fontana, *Eau de Roche*, *Quellwaſſer*; ſemper ex ſtrato ſiliceo, creberrime media inter ſaxa, ſcaturit, ex aqua marina, calore ſubterraneo in vapores reſoluta, ſurgens, qui per fiſſuras montium in cavernas aſcenderunt, ad eorum lacunaria in guttas denſati, inter ſilicea decurrentes, in propria gazophylacia collecti, per canales inde deſcendentes, vi quæ a lapſu ſurgere ſolet, ex terra erumpunt; vehit quidem hæc aqua principia quæ aquæ marinæ propria ſunt, ſed ea vehit in parca adeo ratione, ut nullos plane effectus edere queant, hinc hæc aqua omnem reliquam, ratione levitatis & puritatis, vincit.

Putealis quam labente ævo etiam *Aquam fundi* nec non *vivam* appellare conſueverunt, *Eau des Sources* vel *des Puits*; *Brunn-* vel *Grundwaſſer* occurrit, quando terra corticalis ad uſque ſtratum ſiliceum foditur, & ſub hoc argilla obtinet; eſt ipſa aqua fontana, quæ ex receptaculo in ſtratum argilloſum deſcendit, & ibi collecta, in conſpectum noſtrum prodit, ſive quando ipſi incumbens terra fodiendo removetur, ſive quando hujus adeo exigua ratio eſt, ut propria vi inde erumpere poſſit, ſive fluvius quidam ad ipſam uſque ſtratum, quod ſcaturiginem emittit, penetravit; interdum etiam efformatur a pluvia ad ſtratum argilloſum uſque deſcendente, creberrime utraque ratione ſurgit: ea ſi nulla ſtrata percurrit, unde aliquid peregrini diſſolvere potuit, æque pura eſt ac antecedens, imo ſi heterogeneis etiam inquinata fuerit, dummodo antequam ſe hauriendam præbeat, per ſtratum ſiliceum fuerit filtrata, priori omnino erit æquiparanda: variam itaque hanc aquam eſſe perſpicitur, mox puriſſimam, mox variis alienis inquinatam, ſalia ſi vehit, ea affuſione Mercurii in acido Nitri ſoluti deteguntur, terras & ſapor & quod legumina non emolliat, declarat, in gru-

mos inde coiens ſapo acidi index eſt; juſta evaporatio & reliqua ad principia Chemiæ accommodata analyſis, cum plena demum certitudine quas ſovet ſubſtantias determinat.

Fluviatilis, *Eau de Rivieres*, *Bach-* ſive *Fluſswaſſer*, ex fontana ſurrexit, non raro putealem quoque recipit, meteorica eam etiam ſubit. Dum per ſylvas, vicos, urbes fluit, plures ſordes accipit, inquinatur præterea a ſtratis alveum fluvii efformantibus, nec non a piſcibus, amphibiis, vegetabilibus, quæ vehit, tam integris quam putredine reſolutis, unde ejus limus, & hinc a motu impedita adeo facile putreſcit; cum autem fluvius celeri curſu ſupra arenam aut ſilices fertur, ſuas ſordes deponit & hinc hæc etiam aqua pro vario fluvii alveo, variis locis quibus vicinus decurrit &c. variæ puritatis ſolet eſſe.

Aqua Lacuum, *Eau de Lac*, *Seewaſſer*, non multum a genio fluviatilis recedit, minus hæc mota, etiam minus bona eſſe reputatur.

Paluſtris, *ſtagnans*, *Eau de Marais*, *Sumpfwaſſer*, ob inſecta, quibus ſcatet, vegetabilia putreſcentia, inter quæ ſtagnat, innumeras ſordes, quæ in ipſam illabuntur, & ob ſoli laxitatem inde non ſecedunt, omnium deterrima eſt, ita ut vel ejus exhalationes graviſſimos morbos excitare conſtet.

Ad aquas meteoricas pertinet

Pluvialis, *Eau de Pluie*, *Regenwaſſer*. Ab Alchemicis multum celebrata, recte a Boerhaave athmoſphæræ lixivium dicitur, continet quicquid ex terra in aërem aſcendit, ſed quantis ſordibus hinc inquinetur nemo non videt, diverſiſſima præterea pro vario unde aſcendit ſolo, pro varia qua decidit tempeſtate, pro vario quo adducitur vento; Cl. Rutty in eadem alcali foſſile, ſalem mirabilem, ſalem communem, nitrum, petroleum, & terram calcaream detexit; Ill. Marggraff nitrum, ſalem communem

& terram calcaream, ſed vehit præterea innumera inſecta, ovula, ſemina vegetabilium &c. unde mox ſulphur, mox ſanguinem habere credita fuit, hinc ex eadem, vegetabilia ſurrexiſſe mirati ſunt Alchemici, & ideo jure impuriſſima habetur.

Nivalis, *Eau de Neige*, *Schneewaſſer*: cum aqua frigore conſtricta omnes ſordes deponat, hinc ſi pura nix fuerit liquata, aqua ſurgit, ſi quæ alia pura, formata quippe a vaporibus in altum elevatis, & hinc ab omni heterogeneo liberis, per frigus autem ab omni heterogeneo, quod ipſis accreverat, depuratis; eadem ac antecedens principia habet, præter nitrum, terra quoque in ipſa in minori ad reliqua ratione eſt, RUTTY & MARGGRAFF; cum autem laxæ nivi facile aliquid heterogenei, ſive dum ex aëre deſcendit, ſive dum terram tegit, accreſcat, hinc ea omnino purior eſſe videtur.

Aqua Grandinis, *Eau de Grêle*, *Hagelwaſſer*, quippe quæ in altioribus athmoſphæræ locis efformata, quæ vix ſordes habent, in glaciem concreta quicquid heterogenei habuerat depoſuit, & ſub hac forma per inferiorem aërem deſcendens, etiam nihil peregrini potuit recipere.

Aqua Roris, *Eau de Roſée*, *Thauwaſſer*: formatur ab exhalationibus, calore in non magnam altitudinem elevatis, hinc impuriſſima eſt, pro variis unde ſurgit locis & vario anni tempore, varia omnino; hinc patet iteratas quoque analyſes, nihil certi circa ejus naturam poſſe determinare.

Depuratur aqua dulcis quiete, coctione, filtratione per ſabulum, putrefactione, optime deſtillatione, ſed nec hæc omne heterogeneum inde valet auferre, in aqua deſtillata ELLER & acidi & olei veſtigia deprehendit, BOYLE & Ill. MARGGRAFF ex aqua iteratis deſtillationibus non mediocrem terræ quantitatem obtinuerunt, ita ut aquam in terram mutari, non pauci crediderint, & phænomenon ab aqua calore agi-

tata, ſemper aliquid terræ ſecum elevante, pro metamorphoſi aquæ in terram habuerint.

Aquæ Minerales quæ calore gaudent illo, quem temperata athmoſphæra habet, majore, *Thermæ* dicuntur, ſurgit ille ſive a calore, quo viſcera terræ ſemper calent, ſive a ſtratis, in quibus pyritæ reſolvuntur, & quas tales aquæ, brevi antequam ex terra ſcaturiverint, perfluxerunt Thermæ æque ac aquæ minerales frigidæ a ſapore vulgo ſolent diſtingui, in terreſtres, *tophaceas* W. duras vulgo, ſalinas & ſulphureas. Salis ſapore inſtructæ, ſive vinoſi quid linguæ imprimunt *Acidulæ*, *Eaux aigres*, *Sauerwaſſer*, ſive ſalem communem ſapiunt *Salinæ*, ſive amaritiem junctam habent, quæ nauſeoſiſſima eſt in *Aqua Marina*, *Eau de Mer*, *Seewaſſer*, multo mitior in *Amaris*, *Eaux Ameres*, *Bitterwaſſer*. Sulphureæ hepar ſulphuris & olent & ſapiunt.

Multa ratione in principia aquarum mineralium inquirere ſolebant, illa quæ per reagentia fit, multum ambigui habet, optima eſt cum largam aquæ quantitatem rite evaporant, prudenter ſingula, quæ ita obtinentur, examini ſubjiciuntur, probe obſervando id quod creberrima experimenta evicerunt, nimirum eandem aquam, vario tempore tentatam, variam principiorum rationem exhibere.

Aquæ tophaceæ vel ipſo ſapore ſeſe produnt, terram quam habent calcaream, ſeleniticam, argillaceam, corporibus, ſupra quæ decurrunt, aut quæ illis immittuntur, appendent, varias incruſtationes, varia lapidum genera, quæ *Tophi* vel *Stalactites* dicuntur, efformant, legumina non emolliunt, terram, qua ſcatent, cum ipſis alcali adjicitur, dimittunt; eaſdem pro elixandis piſcibus, candefaciendis linteis, paranda cereviſia, conficiendo cæmento, ſcopis tinctoriis &c. reliquis præſtare Cl. Rutty annotavit, innoxie bibi Borrichius & Scheuchzer obſerva-

tionibus probant, ſed videtur hic aliquid conſuetudini dandum eſſe, terra enim harum aquarum vix non primis viis poteſt non oneri eſſe, & ad viſcera delata & obſtructiones & varia concrementa cauſari. Illuſtris DE LUC, ubicumque ſcrophuloſos & amentes vidit, aquas tophaceas obtinere obſervavit. *Lettres ſur les Montagnes* I. p. 17.

Acidulæ ſive martiales ſunt, ſive alcali foſſili ſcatent: ochra, quam tales aquæ ad fundum dimittunt, violaceus inſuper vel niger color, quem cum vegetabilibus adſtringentibus induunt, martiales ex tempore detegunt; hæ aquæ vix non ſemper etiam alcali foſſile vehunt, quod, dum ſive jam ſub terra ſive illæ ſupra terram erumpunt, vitriolum, ſub cujus forma ferrum receperunt, aggreditur & effervefcentiam excitat, ſub qua aër fixus, qui his aquis copioſior, per experimenta jam annotata a Cl. VENEL inhæret, vi quadam erumpit, aquam in bullas agit, ut ea propria ratione linguam afficiat, efficit & vitra, quibus includitur, disrumpat, hic aër, ita per effervefcentiam agitatus, conſtituit illum ſpiritum æthereum, circa cujus naturam explicandam & vires prædicandas adeo multi ſunt Auctores. Vitriolo omni reſoluto, ferrum, quod in aqua hærebat, inde dijicitur, & perit omnis ejus qualitas, quæ ab effervefcentia ſive a ferro pendebat; ſed dantur etiam aquæ martiales, quæ ſive nullum ſive pauciſſimum modo alcali vehunt, ex his ope evaporationis verum vitriolum martis obtinetur, nec in illis ſpiritus æthereus hæret, teſtibus SHORT, Cl. RUTTY, Cel. CADET; interdum etiam vitriolum ſub terra jam fuit deſtructum, tunc aquæ neutiquam vinoſum ſaporem habent, nihil ſpirituoſi exhibent & ſalem mirabilem, dum evaporantur, ſiſtunt, obſervante Cl. BROUZET: *Acidulæ alcali foſſili* ſcatentes etiam aëre fixo copioſiore gaudent & acidum vehunt, quod, quando ſupra terram erumpunt cum alcali coit & effer-

M 5

veſcentiam excitat, hinc ipſis quoque ſpiritum æthereum ſolent adſcribere; hoc genus aquarum, antequam acidum cum alcali coiit, alcalium effectus ſolet edere.

Aquæ Amaræ: A ſale mirabili Glauberi, quo ſcatent, & ſaporem & vires habent, huic ſali cum terra quædam alcalina in varia ratione juncta ſit, hinc ſalia amara cryſtalliſationis ope ex his aquis obtinenda, tam a ſincero ſale mirabili, quam ſingula a ſe invicem differunt.

Aquæ Sulphureæ: Odore, qualitatibus alcalinis, colore nigro, quem metallis, quæ ex eorum menſtruis dejiciunt, affricant, aut argento ipſarum vaporibus expoſito, non raro etiam ſulphure ſolidis ſcaturigini vicinis accreſcente, agnoſcuntur.

Quando ad ea quæ de ortu aquæ fontanæ monui, applicantur obſervationes apud Auctores occurrentes de pyritis reſolutis, alcali foſſili, ſulphure, ſale communi & vaporibus acidi vitriolici creberrime ſub terra occurrentibus, harum omnium aquarum origo facile perſpicitur & ratio patet, cur in illis crebro præter reliqua principia, ſelenites, ſal ammoniacus fixus & ſal communis occurrant.

Immenſus eſt numerus aquarum mineralium, quæ hactenus innotuerunt, copioſiſſimæ earum deſcriptiones proſtant, præcipuas collegit Cl. RUTTY, de Germanicis multum meruit Cl. ZUCKERT. En illas quæ apud nos uſitatæ ſunt.

MARTIALES.

Petrinæ ſalis mirabilis $\frac{1}{960}$, terræ calcareæ & vitreſcentis $\frac{1}{1920}$, ſalis ammoniaci fixi, acidi ſalis, petrolei, ferri veſtigium. BOECLER.

Pyrmontanæ ferri $\frac{1}{2880}$, ſalis mirabilis $\frac{1}{288}$, ſelenitiæ $\frac{1}{1440}$, terræ calcareæ $\frac{1}{720}$, alcali foſſilis veſtigium. SEIP.

Rippelſavienſes ſalis mirabilis $\frac{1}{570}$, terræ calcareæ

& vitreſcentis $\frac{1}{640}$ ſalis communis, ammoniaci fixi, ferri, petrolei, veſtigium. BOECLER

Schwalbacenſes ſalis mirabilis & alcali foſſilis $\frac{1}{443}$, ochræ $\frac{1}{823}$. HOFFMANN.

Spadanæ ſalis mirabilis $\frac{1}{1152}$, totidem terræ martialis, terræ calcareæ $\frac{1}{823}$. SPRINGSFELD.

Sulzbacenſes alcali foſſilis $\frac{1}{135}$, terræ ſeleniticæ, calcareæ, vitreſcentis $\frac{1}{1440}$, ſalis mirabilis, ferri, petrolei; veſtigium. HAUSMANN.

Wadwilenſes $\frac{1}{1920}$ ſalis mirabilis cum ochra mixti. MOREL.

SALINÆ.

Caſtonacenſes ſalis mirabilis $\frac{1}{198}$, ſalis communis $\frac{1}{380}$, terræ vitreſcentis & calcareæ $\frac{1}{115}$, petrolei veſtigium. KÜRSCHNER.

Plumbariæ ſaponaceæ ſubſtantiæ ex petroleo, argilla, calce, ſale communi & alcali foſſili compoſitæ $\frac{1}{2880}$. MALOUIN.

Selteranæ ſalis communis & alcali foſſilis $\frac{1}{120}$, terræ $\frac{1}{180}$. VENEL.

AMARÆ.

Sedlizenſis ſalis mirabilis $\frac{1}{36}$, terræ $\frac{1}{576}$. WALTH.

THERMÆ.

Aquiſgranenſes calore gaudent ad illum aquæ ebullientis proxime accedente, $\frac{1}{215}$ alcali foſſilis, $\frac{1}{960}$ terræ calcareæ, totidem ſalis polychreſti, nec non ſulphur continent. SPRINGSFELD.

Badenſes in Marchionatu, præcalidæ ſcaturiunt, $\frac{3}{320}$ ſalis communis, ochram quoque & ſelenitem vehunt. *Abhandl, von dem im Marggraftum Baaden gelegenen warmen Baad.* 756.

Bourbonenſes multum quidem calent, ſed albumen ovorum inde non induratur, ſubſtantiæ ex ſale mirabili, petroleo, ſale communi, ſelenite, terra calcarea, alcali foſſili & ſulphure conſtantis $\frac{1}{192}$, continent. BAUDRY.

Carolinæ Sprudel calore ad 165 gradus Farenheit, aſcendente calent, ſalis mirabilis $\frac{1}{192}$, alcali foſſilis $\frac{1}{660}$, ſalis communis $\frac{1}{1440}$, totidem fere terræ fovent; *ſcaturigo Molendinæ* thermometrum ad 123° aſcendere facit, continet ſalis mirabilis $\frac{1}{288}$, alcali foſſilis $\frac{1}{576}$, ſalis communis $\frac{1}{1440}$, terræ ultra $\frac{1}{1920}$. BECHER.

Ferinarum Wurtembergenſium calor 100° æquat, exhibent $\frac{1}{2880}$ fere ſubſtantiæ ex ſale communi, petroleo & ſelenite conſtantis. GESNER.

Niederbronnenſes calorem 63° habent, ſalis communis $\frac{1}{240}$, ſalis mirabilis $\frac{1}{3840}$, ſalis ammoniaci fixi, terræ vitreſcentis, petrolei, ferri veſtigium. LEUCHSENRING.

Piperinæ ad 93° calent, terræ pinguis $\frac{1}{1920}$ fere, ſalis communis veſtigium habent. RAHN.

Wisbadenſes ſalis communis $\frac{1}{384}$ & veſtigium ferri vehunt. HOFFMANN.

Aqua Marina nauſeoſo ſapore gaudet, ſi deſtillatur prima aqua inſipida eſt, poſterior autem nauſeoſa, acido ſalis fœta, eandem ab alcali fixo abſtrahendo, optime depurari, & potui aptari, viderunt Recentiores; in eadem præter ſalem communem, alcali fixum quoque, ſal Glauberi & petroleum hæret. RUTTY.

Dum rimamur maximam humorum noſtrorum quantitatem ex aqua efformari, ejuſdem autem non mediocrem quantitatem nunquam non per varium excretionis genus e corpore eliminari, nullam præterea non lædi functionem, ſi humores juſta aquæ ratione non attenuantur, nulli omnino dubitabimus aquæ dulcis maximam eſſe ad ſuſtentandam vitam neceſſitatem. Sed eadem non modo præcipuum eſt alimentum, optimis etiam omnino medicamentis adſcribenda eſt, ſi quod aliud polychreſti nomine celebranda: glutinis dum in ſolidis auget rationem, emollientes edit effectus, medetur præterea ex ſua natura *Inſtitut. Chemiæ.* Omni morbo a ſpiſſitudine oriundo, ea-

dem, cum omnis acrimonia genium ſalinum habeat, ipſam & mitigat, & ut e corpore eliminetur, efficit, excretiones aquoſas præterea promovet, & quicquid commodi inde nobis ſurgit; ab indicatione vitali itaque ſemper, a reliquis creberrime indicatur, vix non omnes Obſervatores ab HIPPOCRATE ad recentiſſimum quemque, eſſent adducendi, ſi morbos, ubi aquæ potus profuiſſe obſervatus eſt, vellem colligere.

Sed inſignis quoque eſt aquæ uſus; quando externe adhibetur, ſive ea partes modo abluantur, & ita a ſordibus liberentur, ſive eadem partibus extus patentibus injecta, eluantur in ipſis quæ hærent heterogenea, ipſa relaxentur, ſive eadem dum ſibi partes corporis immittuntur, *Balnei* vice fungatur; hujus & antiquiſſimus & ampliſſimus omnino uſus eſt, inde non modo auferuntur ſordes, & tranſpiratio reſtituitur, ſed pars eidem commiſſa relaxatur evidenter, hunc effectum moderatus balnei calor etiam multum juvat, hic ſi excedit, omnia mala ab aucto præter naturam calore oriunda, debent timeri omnino: Illuſtris TISSOT *Traité des Nerfs* T. II p. 2. egregie obſervat ob conſenſum cutis cum nervis balnea ſummum contra ſpaſmos remedium eſſe. Cum humores ſemper eo ruant, quo ipſis minus reſiſtitur, hinc balneorum ope ab interioribus ad exteriora, a ramis aortæ ſuperioris in inferioris, vel vice verſa, evocantur, hinc pro varia Medici intentione, variæ partes balneo ſolent committi; ſed nec negligenda eſt aquæ a vaſis cutaneis reſorptio, quam balneantes experiuntur, id quod experimentis ad ſtateram captis MARTYN; & alii a Cl. SPRINGSFELD, & Illuſtr. HALLERO, citati auctores evincunt, inde cur balnea excretiones aquoſas promoveant, in ſcabie aut aliis exanthematibus retropulſis adeo egregie conducant, ad viſcera indurata vel ſtricta, laxandam alvum faciant &c. fit evidens; preſſio denique, quam experiuntur partes bal-

neo merſæ omnino quoque debet attendi, ejus effectus eo ſunt majores, quo altior eſt aquæ columna corpori imminens, eam, ſi ad duos pedes mergimur, vel 2280 libris æqualem eſſe, WAINEWRIGHT evicit, inde roborantur vaſa, acceleratur refluxus ſanguinis venoſi, retardatur arterioſi ſanguinis motus, novum de vi balneorum aperiente argumentum ſurgit. Commoda & pericula, quæ ab excedente balnei calore vel frigore oriuntur; ex eis quæ circa effectus caloris & frigoris Pathologia præcipit, ſunt dijudicanda, quicquid etiam in laudem talium balneorum adducatur, illa mihi ſaltem, cum omnem mutationem ſubitaneam periculoſam eſſe nemo ignoret, ſemper ſunt ſuſpecta. Aquam ex alto in partes induratas cadentem eas quoque efficacius emollire, Auctores medii ſeculi primi perſpexerunt, hanc rationem a Græcorum ἐμβροχὴ, *Embrocationem* dicunt, *Ducia* quoque, *la Douche*, *Tropfbad* ſolet appellari, & vel hodie cum ſucceſſu in uſum trahitur, ſi aliquam partem inſignior durities occupat, aut ſi ſuſpicio eſt, quod a nervo preſſo morbus originem habeat, hoc in caſu, ſive vertici capitis, ſive medullæ ſpinali, ſive loco, ſub quo non multum ab integumentis remotus nervus decurrit, aqua ex alto inſtillatur: maxime autem vires aquæ emollientes intenduntur, ſi ea ſub forma vaporis applicatur, hic mos crebro olim apud Lacedæmones obtinuit, hinc talia balnea *Laconica* ſolent dici, βαλάνεα ξηρὰ, *Balnea ſicca*, *Sudatoria*, *Vaporaria*, *Etuves*, *Schwitzbæder* &c. ea aut per artem parantur, dum in conclavi detinentur vaſa aqua plena, ex quibus ſuppoſitus ipſis ignis, continuo vapores aſcendere facit, ſive ſub conclavi excitati vapores per varia ſpiracula in illud admittuntur, ſive inſtituuntur in propriis domunculis, quas æque ac modo dicta conclavia medii ævi Auctores *Stuphas* appellarunt; aut nativa occurrunt ad metalli fodinas, montes ignivomos, ſcaturigines fontium,

ubi vaporibus copiose ex terra ascendentibus fornices superstruuntur, tales plures in Italia occurrunt, Pyrmonti quoque obtinent, teste SEIP. Cubiti articulationem, ob indurata ligamenta immobilem, pristinam flexilitatem per talia balnea recuperasse, VAN SWIETEN vidit & CAPPEL contracturam a Mercurio in corpore retento, curatam. Ex his quæ de effectibus balneorum hactenus monui, sequuntur regulæ, quæ sub eorum usu observandæ sunt; earum præcipuæ sunt, monente HIPPOCRATE, corpus a sordibus prius liberandum; plethora venæsectionibus imminuenda; frigus & omnes mentis perturbationes sedulo vitanda; æstate maxime usus balneorum suscipiendus, debiles præcipue, nonnisi sensim sensimque in balneum descendant, in universum regulis diæteticis accuratissime sit obtemperandum.

Aquæ minerales, quas etiam Veteres adhibuisse, FALLOPIUS probat, præter effectus, quos ratione aquæ edunt, propriis quoque a reliquis quibus scatent principiis, pollent, omnes cum salia media vehant, hinc omnes vires aperientes edunt, spissos humores attenuant, excretionem urinæ & transpirationis intendunt. Aquam marinam in morbis Glandularum maxime, & omnibus cutis vitiis ad libram unam pro dosi haustam, balnei autem sub forma adhibitam roborare in Epilepsia, Scorbuto, Morbis cutaneis egregie conferre Cl. RUSSEL observationes evincunt. Illæ quæ Ferrum fovent, evidenter etiam roborant ad morbos, qui ab humoribus difficilius per systema venæ portarum movendis surgunt, cum magno successu adhibentur, & si quæ aliæ ad ulcera interna etiam cum successu possunt adhiberi, cum ichorem diluant & temperent, viscus debilitatum roborent, vires bonum sanguinem præparantes restaurent, id idem MORTON & SEIP multa experientia suffulti confirmant, mirandum omnino quod AVICENNÆ commentum de his aquis

ad morbos pectoris noxiis, adhuc dum etiam nimis frequenter obtineat: aquæ, quæ *Alcali fossile* vehunt, cum mucum pulmonum attenuent, & aliquid roboris pulmonibus dare videntur, hinc ad pulmones debiles aut tophis obsessos laudantur; illæ quæ *salis mirabilis* eam vehunt rationem, ut etiam amaræ inde evadant & incidentes effectus edunt, & alvum movent; *sulphure* scatentes ad promovendam diaphoresin, roboranda solida, ulcera interna solidanda, præprimis faciunt. Spiritus, quem præeunte HOFFMANN, vulgo mire extollere solent, ad virtutem harum aquarum plane nihil facit, cum Physiologi uberrime evincant, aerem elasticum sanguinem subire non posse, & si eum subiret perniciosissimos editurum effectus; ex eis præterea, quæ in Pathologicis circa elasticorum in primas vias effectus docentur, sequitur elasticum aquarum mineralium ventriculo & intestinis adeo non conducere, ut eis etiam noxium esse jure reputetur, eodem sane res redibit, aer sive per fermentationem sive per effervescentiam extricatus & calore primarum viarum rarefactus, tragœdiam ludat. Circa potum harum aquarum, præter ea quæ sanitatis leges in universum suadent, cavendum ne a non assuetis nimis frigidæ assumantur, ne major quantitas, intervallis nimis brevibus, ingurgitetur, ne ventriculo cibis repleto ingerantur; purgantium dosin limitat numerus secessuum, inde excitatus, reliquæ non per dies sed per septimanas sunt usurpandæ, usque dum effectus, quem inde expectamus, obtineatur; earum quantitatem de die hauriendam, determinat ventriculus inde non gravatus; tandem & id adhuc est observandum, quod aquis soteriis, quarum ope demulcendi nobis animus est, aut a quarum stimulo noxiam quandam irritationem metuimus, optimo consilio lac adjiciatur.

Aquæ minerales, si sub forma balnei adhibentur, se ratione aquæ gerunt, ut supra dictum est, cum autem

autem & ferrum & ſalia & ſulphur & terræ, quibus ſcatent, fibras roborent, hinc effectus quidem balneorum aquæ dulcis edunt, quamdiu corpus ipſis immerſum eſt, cum autem cuti applicatas relinquant partes, quæ illam firmiorem reddunt, alios quoque, qui ipſis proprii ſunt, edunt effectus, hinc eædem quoque & vario alio fine præſcribuntur & multis caſibus vel aquæ dulci præferuntur. Cum ſalia reſolvant, terræ & inter has maxime ſelenites, nec non ſulphur & ferrum evidenter adſtringant, alcalia inſigniter abſtergant, maxime ſi petroleo unita ſunt, argillæ ſaponis effectus edant, hinc patet quomodo pro varia Medentis indicatione varium balneum debeat ſeligi, imo quomodo balnea naturalia per artem etiam efficaciora poſſint reddi.

Cum ex hactenus dictis liqueat, aquas ſoterias ratione principiorum quæ fovent agere, hæc principia autem juſta analyſi quam accuratiſſime poſſint determinari, hinc evidens eſt, easdem, monente jam GALENO, ubivis poſſe imitari, nec opus eſſe ex longinquo accerſere aquas, aut longo itinere adire, quas domi æque efficaces poſſumus parare: cum autem mutationi aëris, remotioni ab objectis domeſticis, vitæ, toti proſpiciendæ ſanitati accommodatæ, non paucæ omnino vires ſint ad mitigandos & curandos, chronicos maxime, morbos, ratio quoque fiduciæ in medicamentum a multis laudatum habenda ſit, hinc nollem in totum morem ægrotos ad fontes ſoterios mittendi improbare.

De ſedimento thermarum, quod vulgo *Lutum* dicere ſolent, non eſt quod multa verba faciam, ſequitur illud naturam ſubſtantiarum unde efformatur, has Chemia inde eruit, earum autem facultates ſuis quæque locis dicentur.

Aqua deſtillata tanquam puriſſima ad ſcopos medicatos adhibetur.

Cap. II.

ROBORANTIA.

§. 22.

Alimenta robur nativum conſervant, id ſi per morbum fuerit imminutum, *Medicamentis Roborantibus* reſtituitur; imminuitur autem robur nativum ſive vitio fluidorum, & tunc his proſpiciendum vel per Chirurgiam, vel per medicamenta ſuis locis indicanda, ſive vitio ſolidorum, horum robur, cum tam a ſoliditate pendeat, quam a propriis, quibus in corpore vivo gaudent, viribus, irritabilitate nimirum & vi nervea, hinc Roborantia quintuplici maxime modo videntur agere 1) fibras mechanice condenſando, 2) glutinis rationem imminuendo, 3) partes terreſtres augendo, 4) irritabilitatem intendendo, 5) vim nerveam excitando, primum Gymnaſtica, frictiones, frigus ligaturæ efficiunt, duo ſequentia *Amara*, *Adſtringentia & Reſinæ* præſtant, poſteriora *Reſinæ* & *Aromata*, ultimum, præprimis *Fragrantia.*

§. 23.

Placuit Auctoribus Roborantia pro variis, quæ ex eorum actione fluunt, effectibus variis nominibus appellare: *Viſceralia* Barb. dicuntur, dum viſcerum robori medentur, & cum Recentioribus receptum ſit juſtum viſcerum robur tonum appellare, hinc eadem etiam *Tonica* ſolent dici, imo ipſis ſequior ætas pro vario viſcere, quod roborare putabantur adhuc propria nomina indidit *Cephalica*, *Cardiaca*, *Stomachica*, *Uterina* &c. aut pro varia quæ inde intenditur actione *Carminativa*, *Aphrodiſiaca*, *Emmenagoga*, *Nervina* &c. eadem quia efficiunt, ut vaſa minorum ordinum, craſſiores quos acceperunt humores, majoribus reddant, *Diſcutientia* ſolent appellari. Indicari Roborantia quoties nativum robur deficit, aut id ipſum ex intentione Medici intendendum eſt, facile liquet: eorum abuſus,

in universum morbos a rigiditate, ab angustia, ab errore impactorum, a retentione excernendorum post se ducit; de indicantibus & contra indicantibus singularum Classium, singulis titulis dicetur.

§. 24.

I. AMARA.

Prae reliquis roborantibus indicantur *Amara*, 1) cum debilitati lentor quoque junctus est, hinc maxime conducunt in obstructione viscerum abdominalium, 2) si bilis sive iners est, sive non rite in canalem intestinalem effunditur, 3) si acrimonia alcalina primas vias obsidet, 4) si vermes obtinent, hinc *Anthelminticis* sequioris aevi adscribuntur, 5) Extus, ad humores frigidos resolvendos 6) Ad sphacelum exteriora occupantem.

Eorundem abusus, systema Venae Portarum praecipue offendit, intestina exsiccat & inflammat, alvum obstruit, haemorrhoides, febres & turbas in utero excitat.

α. VEGETABILIA.

ABROTANUM vid. *Aromata*.

ABSYNTHIUM, ἀψίνθιον, *Absinthe*, *Wermuth.* Ejus duplex genus hodie in officinis prostat; unum quod *Vulgare*, alterum quod *Ponticum* dicunt; valde probabile videtur, nostrum vulgare Veterum ponticum fuisse.

Vulgaris Folia laciniata sunt, laciniis latiusculis, utrinque alba, proprio odore, minus grato & sapore amarissimo instructa.

* *Pontici* Folia tenera sunt, tenuissime laciniata, odorem non fortem spirant, saporem habent levissime amarum, evidenter aromaticum.

Artemisia Absynthium L. BLACWELL 17. Receptaculo villoso, foliis multifidis, floribus cernuis, caule tomentoso distinguitur: *Pontica* L. BLACWELL 527. receptaculo nudo, foliorum laciniis linearibus, floribus cernuis & caule herbaceo agnoscitur; prior in omni Eu-

ropa; posterior in Helvetia & Germania Orientali occurrit, in hortis nostris colitur.

Folia Vulgaris $\frac{1}{3}$ fere Extracti aquosi largiuntur, quod amarissimum est, sed nauseoso odore caret, alcohol inde ex viridi flavicante colore tingitur, & omnem ejus odorem, æque ac saporem retinet; aqua inde destillata & odorata & sapida est, spiritus vini parum sub destillatione inde recipit. LEWIS. Olei flavi & amari $\frac{1}{256}$ fundit.

Sanguinem dissolvit SCHWENCKE.

Absynthium vulgare, insigni qua gaudet amaritie, & oleo æthereo quod fovet, potens medicamentum est ad roborandas primas vias, attenuandum mucum, & corrigendam bilis inertiam, hinc ab omni tempore tanquam medicamentum polychrestum ad vitia digestionis fuit commendatum. HIPPOCRATES illud ad icterum, GALENUS hypochondriacis laudat, febres inde curatas ALBRECHT, ascitem VOLCKAMER vidit, & ad arcendum calculum, præeunte AETIO, Illustr. LINNÆUS laudat; longo usu podagram avertisse expertus est Illustr. HALLER qui & ejus vires ad icterum & hydropem vidit, EUGALENUS autem antiscorbuticas; idem cum egregie ad cavendam putredinem faciat, hinc celebratur ad omnes morbos malignos, & vel nimis frequenter præservationis ergo vino infusum, more a PALLADIO jam laudato, adhibetur; nec inefficax est ad necandos vermes & nidum eorum destruendum. Sed probe semper sub ejus usu retinendum, motum humorum inde augeri. Ejus Drachmæ duæ cum libra aquæ aut vini infunditur. Externe scopo stomachico & anthelminthico adhibetur, nec non discutiendi & contra sphacelum defendendi ergo.

* *Aqua destillata* NIC. PRÆP. vix efficax, * *Spiritus* parum proprii habet. *Conserva* VAL. CORD. *Syrupus simpl.* LEMERY: * *Syrupus compositus* MESUE non ingratum medicamentum: *Sal* VAL. CORD. præ

aliis ſalibus alcalinis, nullas proprias vires habet: *Eſſentia ſimpl.* Zwoelffer. * *Eſſentia compoſita* Jungken, ſimplicior eſt illa quam Pariſienſes habent: * *Oleum deſtillatum* Val. Cord. ob acrimoniam, qua gaudet, vix intus datur, extus ſcopo carminativo & anthelmintico præſcribitur: *Oleum coctum* Val. Cord. ad unguenta & clyſmata carminativa, anthelmintica, ſtomachica recipitur: *Extractum* Val. Cord. * *Vinum* tam per fermentationem paratum Columellæ, quam id quod infuſione fit, olim magni fiebat, Pariſienſibus officinale. *Species pro Vino Abſynthii* Noſtrat. non male ad infuſa ſtomachica adhibentur.

Ponticum ab aromate potius, quam ab amaritie dijudicandum eſt.

Agaricus vid. *Purgant. ſpecific.*

Aloes vid. *Purgant. ſpecific.*

Ammeos Semen vid. *Aromata.*

Ammoniacum Gummi. Succus concretus mediocri calore lenteſcens, qui ſub forma magnorum fruſtorum ad nos adducitur, conſtat ex grumis flaveſcentibus, quibus copioſe grana lactei coloris, quæ ſequior ætas *Ungues*, *Lachrymas*, *Amygdalas* dixit, immixta ſunt, odorem habet fragrantem, ſaporem amarum, acriuſculum, nauſeoſum.

Quo pluribus unguibus gaudet, eo melius.

Noſtrum non videtur θυμίαμα ἀμμωνιακὸν Veterum eſſe: ignoramus plantam unde deſumitur, ſemina, quæ ipſi interdum commixta reperiuntur, illud ex umbellifera quadam planta deſumi, videntur ſuadere.

Ex deſerto Africæ Barca, ubi olim Jovis Ammonis templum celebrabatur, Alexandriam & inde ad nos ducitur.

Totum ſe ex aqua ſuſpendi patitur & ipſi lacteum colorem affricat, inde autem elapſo aliquo tempore denuo recedit, alcohol ejus dimidium diſſolvit; nec oleum odoratum fundit, nec aqua inde abſtracta eva-

dit odorata, ſpiritus inde deſtillatus levem odorem contrahit. Extracti aquoſi, debiliore ſapore inſtructi $\frac{9}{10}$ circiter & $\frac{3}{4}$ circiter extracti ſpirituoſi ſapidioris inde obtinuit CARTHEUSER. Extracti aquoſi $\frac{5}{6}$ circiter, ſpirituoſi $\frac{3}{4}$ NEUMANN.

Validas vires reſolventes poſſidet, laudatur maxime ad mucum pulmonum attenuandum, nec non ad obſtructa viſcera abdominalia. Datur ad drachmam dimidiam, ſub forma ſive emulſionis ſive pilularum. Extus quoque cum magno ſucceſſu adhibetur ad reſolvendos tumores ſcirrhodeos, ſcrophulas, tophos &c. Applicatur ſub forma cataplaſmatis, emplaſtri, unguenti &c.

* *Spiritus & Oleum* VAL. CORD. præ aliis ſpiritibus & oleis empyreumaticis vegetabilibus nihil proprii videntur habere: *Pilulæ de Ammoniaco* QUERCETANI. Rationem G. Ammoniaci auxerunt Noſtrates, & adhuc magis Wurtembergenſes, qui minus extracti Aloës & Myrrhæ quoque recipiunt; medicamentum variam adhuc correctionem admittens, vi reſolvente inſigni gaudet, & cum ſucceſſu ad attenuandum mucum pulmonalem, & reſeranda viſcera abdominalia adhibetur, ſcopo reſolvendi ad ſcrupulum unum, purgandi ergo ad drachmam dimidiam datur; magis placent * *Pilulæ Tartareæ* BONTII, cum ſimpliciores ſint, in his Tartarus Vitriolatus expungendus. * *Syrupus* Wurtemberg. egregium ad affectus pectoris mucoſos videtur medicamentum eſſe. *Emplaſtrum ſive Ceratum de Ammoniaco* FOREST. Recentior noſtri Diſpenſatorii editio præſcriptionem Wurtembergenſium ſequitur, magis placet illa FORESTI, laudatur hoc medicamentum ob vires reſolventes, quas & ad ipſa viſcera extendere dicitur.

* ANAGALLIS, *Muron*, *Gauchheil.* Recipimus Cauliculos cum foliis, quæ ovato oblonga ſunt, acumine terminata, integerrima, ſapore acri & amaro linguam feriunt.

Anagallis. Corollam habet quinquefidam, rotatam, regularem, ifantheram, monogynam, calice quinquefido fuftentatam & capfulam horizontaliter dehifcentem: *Arvenfis* L. Blacwell 43. & 274. foliis ovatis & feffilibus agnofcitur, vulgo illa quæ florem phœniceum habet, folet in ufum trahi.

Crefcit in omni Europa, præter maxime feptentrionalem.

Dat extracti aquofi & amari $\frac{3}{8}$, refinæ magis amaræ & acris $\frac{1}{4}$. Buch. Schrader inde $\frac{1}{3}$ extracti aquofi, ultra $\frac{1}{5}$ refinofi obtinuit.

Refolvendi ergo jam a Galeno laudatur, hinc feminæ Weftphalæ illam ad pellendos menfes adhibent, tefte Hoffmann; fub feculi fuperioris initia, Quercetani & Hartmann maxime auctoritate ejus contra melancholiam vires cœperunt extolli, unde quoque Germanica denominatio furrexit, Boennncken eas etiam propriis obfervationibus confirmare nititur; maxime autem ejus vis antilyffa folet laudari, quam poft Rufum plures Auctores adducunt, Maroldus & Bruch propriis obfervationibus evincere cupiunt, inefficacem Ill. Haller vidit; fed & fateor me femper plus Chirurgiæ, quam cuicunque etiam fpecifico, cum homo ab animali rabido morfus fuerit, fidere. Datur fingulis diebus demorfis ad fcrupulos quatuor, fub forma pulveris, quem quoque quotidie vulneri, ufque dum confolidatum fuerit, jubent infpergi. Externe abftergendi ergo ab Hippocrate commendatur.

* *Aqua deftillata* Val. Cord. iners æque ac * *Oleum coctum* Auguft. quod nefcio cur ad dolores colicos laudant.

* Aristolochia. Potius a viribus fecundum Plinium & Dioscoridem, quam a proprio alicujus Viri nomine, ut Cicero autumat, denominata effe videtur. Sub hoc nomine varium radicum genus officinæ recipiunt.

Ariſtolochia longa, mas ἀριστολόχια μακρὰ, ἄῤῥην, *Ariſtoloche longue, lange Oſterluceywurzel*, pollicis circiter craſſitiem, dimidii pedis longitudinem habet, leviter rugoſa, extus dilute fuſca, intus ex luteo-albens, leviter ſpongioſa, odore nullo, ſapore aromatico, quem acriuſcule amarus excipit, inſtructa.

ARISTOLOCHIA. Corolla nuda gaudet, ex baſi ventricoſa in limbum producta, hexanthera, monogyna, capſula ſexangulari: *Longa* BLACWELL 257. foliis cordatis, integerrimis, petiolatis & floribus ſolitariis diſtinguitur.

Creſcit in Europa meridionali.

Tam aquæ quam alcoholi ſuas vires transmittit, ſpiritus vini inde ſi deſtillatur, fere iners, aqua odorata & ſapida, cum ipſi oleum odoratum ſit immixtum, Extractum ſpirituoſum ſaporem radicis retinet, aquoſum nauſeoſum eſt. LEWIS. Extracti aquoſi rob ſambuci redolentis, ſubſalſo amaricantis $\frac{1}{3}$, ſpirituoſi aloen ſpirantis, valde amari, auſteriuſculi $\frac{1}{4}$ obtinuit inde CARTHEUSER.

Ob vires abſtergentes, quarum ſuſpicionem ejus ſapor præbet (§. 7.) in morbis pectoris frigidis, obſtructione viſcerum abdominalium aut vaſorum uterinorum, præeunte HIPPOCRATE, laudatur. Externe ab ejus pulvere egregios in ulcere cacœtheo tibiæ effectus vidit SIMON PAULI.

Ariſtolochia rotunda, femina DIOSC. *Malum terræ,* ἀριστολόχια στρογγύλη, θήλεια, *Ariſtoloche ronde, runde Oſterlucey.* Radices nobis ſubminiſtrat ex pluribus tuberibus concretas, rugoſas, priore pallidiores, intus rufas, antecedente acriores & magis amaras.

Ariſtolochia rotunda L. BLACWELL 256 folia cordiformia, parum petiolata & flores ſolitarios habet.

In iiſdem cum priori locis creſcit; ſimili quoque ratione ſe ad menſtrua habet. LEWIS.

Præ longa magis abſtergere; GALENUS monuit &

ſapor ſuadet, tincturæ ſpirituoſæ inde extractæ vires antarthriticas celebrat KLAUNIG.

* *Extractum* Wurtemb.

Ariſtolochia Clematitis, *Cretica*, ἀριστολόχια κληματῖτις, *Ariſtoloche de Vigne*, *Oſterlucey*. Radices & Folia officinæ recipiunt.

Radices longæ ſunt, fibroſæ, digito minimo anguſtiores, extus rufeſcunt, intus pallidæ, antecedentibus minus acres & minus amaræ, inodoræ.

Folia cordiformia; firmula, viridia, ſapore acriuſculo prædita ſunt.

Ariſtolochia Clematitis L. BLACWELL 255 foliis cordatis & floribus confertis axillaribus diſtinguitur.

Etiam in Europam temperatam aſcendit, creberrimum ad vites noſtras vitium.

Radices ad eoſdem ac antecedentes adhibentur uſus, iis evidenter debiliores, ab HELDIO multum ad arthritidem celebrantur. Folia noſtrates vino macerant & tanquam vulnerarium polychreſtum adhibent.

* *Extractum* Wurtemb.

Ariſtolochiæ Piſtolochiæ, *Maris* DIOSC. *Polyrrhizæ*, *Ariſtoloche menue*, *petite Ariſtoloche*, Radices ex communi capite plures fibras longas & tenues emittunt, ſubluteæ, odore non ingrato, ſapore acri & amaro gaudent.

Ariſtolochia Piſtolochia L. foliis cordatis crenulatis & floribus ſolitariis gaudet.

Creſcit in Europa meridionali.

Proxime antecedentis vires habet.

Ariſtolochiæ fabaceæ Barb. *Holwurzel*, Radices ſunt bulboſæ mox ſolidæ, mox cavæ, cute fuſca tectæ, ſub qua caro alba & amara hæret.

FUMARIA. Corolla irregulari, in calcar educta, calice nullo aut diphyllo ſuſtentata, hexanthera, monogyna, ſilicula uniloculari gaudet: *Bulboſa* L. BLACWELL 534. caule ſimplici & bracteis longitudine florum diſtinguitur.

Copiose in Europa calida & temperata crescit, in Borussiam usque ascendit.

Extracti aquosi valde amari ultra $\frac{3}{8}$, resinosi amari, acris $\frac{3}{16}$ circiter sistit. CARTHEUSER.

Inter primos TRAGUS has radices Aristolochiis annumeravit, nulla propria vi, præ aliis amaris, instructas.

AURANTIA AMARA v. *Fr. Horræi.*

* BDELLIUM GUMMI, βδέλλιον. Sub hoc nomine hodie asservamus massas majusculas ex rubro fuscas, quarum portiones a sordibus liberæ pellucent, inter dentes friabiles, & eis leviter adhærentes, earum fumus suavem odorem spirat, sapor evidenter amarus est.

Ex Arabia, India & Africa ad nos adducitur, nondum constat ex quo vegetabili.

Et alcohol & aqua largam ejus portionem dissolvunt, aqua inde abstracta ejus odore imbuitur, spiritus vini levissime. LEWIS. Extracti aquosi amaricantis & aromatici ultra $\frac{3}{8}$ & totidem spirituosi largitur. CARTHEUSER. Extracti aquosi $\frac{5}{6}$, spirituosi $\frac{1}{4}$. NEUMANN.

Valide resolvit, hinc jam a GALENO ad mucum viarum primarum & urinariarum nec non pectoris, externe quoque ad tumores aquosos & mucosos commendatur; multi quoque illud, præeunte FORESTO, sive intus sumtum, sive accensi fumum, ano recipiendum, ad hæmorrhoides laudant.

BEHEN NUCES vid. *Emollientia.*

BERBERIS RADIX vid. *Fr. Horræi.*

BRYONIA vid. *Emetica*

* BUCULA Barb. *Consolida media* Barb. *Bugle*, *Goldengunsel.* Folia recipimus ovato oblonga longis petiolis sustentata, margine dentato notata, sapore amaro instructa.

AJUGA. Corolla labiata, cujus labium superius bifidum & minimum est, inferius trifidum, calice

quinquefido ſuſtentata & ſeminibus nudis gaudet: *Reptans* L. ſtolones reptantes habet.

In Boruſſiam uſque aſcendit.

A vi adſtringente laudata, hodie evileſcere cœpit.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. plane iners.

CALAMUS vid. *Aromata.*

* CALENDULA Barb. *Soucy*, *Ringelblume.* Flores læte luteos exhibet, ligulatos, ſuperne inciſos, qui exſiccati omni odore & ſapore carent, aquam autem, cum qua infunduntur, amaram reddunt.

CALENDULA. Flore mixto gaudet, calice ſimplici multipartito, receptaculo nudo, ſeminibus triangularibus, incurvis: *Officinalis* L. BLACWELL 106 ſeminibus craſſis, muricatis & foliis ſpatulatis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, apud nos copioſe in hortis colitur.

Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$ fere, $\frac{1}{4}$ circiter ſpirituoſi inde obtinuit CARTHEUSER

Cum hi flores exſiccatione omnem odorem, quem recentes ſpirabant, exuant, hinc ab illis minus bene ſive aromaticæ ſive balſamicæ vires expectantur.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. omnino iners, * *Acetum* & * *Conſerva* Seculo XVI in officinas intrarunt, cum flores Calendulæ multum ſeculo antecedente contra peſtem fuerint laudati.

CAPPARIS CORTICES vid. *Olera.*

* CARDIACA Barb. *Agripeaume*, *Herzgeſpann.* Siſtit Folia quæ ex anguſtiore fine dilatantur & tribus dentibus inæqualibus terminantur, odorem nullum, ſaporem intenſius amarum habent.

LEONURUS. Corollam exhibet labiatam, calice pentagono & quinquefido ſuſtentatam, labium ſuperius integerrimum, villoſum, inferius tripartitum, parum inæquale, reflexum, ſemina nuda: *Cardiaca* L. foliis trifidis, laciniis vix inciſis diſtinguitur. BLACW. 171.

Ubique in Europa occurrit.

Ob amaritiem viſcidos primarum viarum humores attenuare, eaſque roborare videtur, hinc ad diſtenta hypochondria & cardiogmum infantum multum olim laudabatur.

Unguentum Cardiacum SCHROED. Cardiacam non pro baſi habet, medicamentum reſolvens, multo in uſu eſt ad cardiogmum.

CARDUUS BENEDICTUS Barb. *Chardon Benit*, *Cardenbenedicten.* Et Folia & Semina adhibemus: illa ſunt oblonga magnis ſinubus dentata, hiſpida, inodora, intenſe amara; hæc majuſcula, ventricoſa, ſtriata, flava, margine rotundo coronata, qui in ſetas rigidas educitur, medulla alba & dulci farta.

CENTAUREA flores compoſitos tubuloſos, calice imbricato comprehenſos habet, receptaculum ſetoſum, ſemina papposa: *Benedicta* L. BLACWELL 476. calice per maturitatem clauſo, duplicato ſpinoſo, floribus parum difformibus, foliis ſemidecurrentibus, denticulato-ſpinoſis diſtinguitur.

Europæ Meridionali & Orienti propria planta, FRIDERICO Imperatori ex India, ſub initium Seculi XVI allata, teſte TRAGO, apud nos in agris colitur.

Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{7}$ circiter, aquoſi autem $\frac{3}{4}$ circiter largiuntur folia. NEUMANN.

Primæ viæ a foliis roborantur, hinc eadem ad febres intermittentes & alios morbos a læſis digeſtionis viribus commendantur: laudari quoque ſolent a vi propria ſudorifera, non video quo jure? & ſi quidem ad morbos malignos proſunt, de quo mihi ſaltem nulla juſta obſervatio innotuit, proderunt virtute omnibus amaris communi. (§. VII.)

* Semina unice ratione nuclei oleoſi agunt, hic cum parvam ad involucrum, quo cingitur, rationem habeat, & illa ſæpe carie exeſa in officinis occurrant, hinc rarius in uſum trahuntur.

Aqua deſtillata VAL. CORD. iners: * *Extractum*

EJUSD. *Essentia* Noric. * *Syrupus* QUERCET. * *Sal per incinerationem paratus* nihil proprii habet.

CARLINA vel CARDOPATIUM Barb. *Ebertswurzel* num χαμαίλεον Veter. ? Desumitur inde Radix quæ fibrosa est, digitum crassa, aliquot pollices longa, rugosa, superne in aliquot ramos divisa, extus fusca, intus ex albo flava, odore proprio nauseoso, sapore acri & multum amaro instructa.

CARLINA. Florem compositum habet tubulosum, calice imbricato & cujus squammæ externæ siccæ sunt cinctum, receptaculum paleacum & semina papposa: *Acaulis* L. BLACWELL 532 caule unifloro distinguitur.

Non ascendit ultra Germaniam septentrionalem, nec in Anglia occurrit.

Aqua parum inde recipit, $\frac{1}{220}$ olei odorati spissi largitur. LEWIS. Olei spissi $\frac{1}{108}$, Extracti resinosi ultra $\frac{1}{11}$ & ultra $\frac{1}{2}$ aquosi inertioris NEUMANN inde obtinuit. Extracti aquosi ultra $\frac{3}{8}$, resinosi $\frac{1}{4}$ circiter. CARTHEUSER.

A viribus contra pestem maxime laudatur, quas cum in exercitu CAROLI M. probasse dicitur, inde nomen suum accepisse volunt, hodie rarissime hominibus exhibetur, multus autem ejus usus est in Mulomedicina.

CASCARILLA vid. *Aromata*.

CENTAUREUM MINUS, κενταύριον μικρὸν, λιμναῖον, *Centaureum Lepton*, *Fel terræ*, *petite Centaurée*, *tausend Gulden-Blumen*. Ejus flores adhibentur cum summis caulibus, quos aggregatim terminant, rubri inodori, intense amari, cum sensu acrimoniæ.

GENTIANA. Corollam monopetalam, cujus laciniarum numerus varius est, calice sustentatam, pentantheram, digynam, capsulam unilocularem habet: *Centaurium* L. BLACWELL 452 corollis quinquefidis, infundibuli formibus, stylo unico, & caule dichotomo distinguitur.

Crescit ubique per Europam.

Tam aquosa quam spirituosa menstrua vires inde extrahunt. LEWIS. Extracti spirituosi $\frac{1}{2}$ fere, aquosi $\frac{2}{3}$ exhibet. NEUMANN.

Multum laudatur ad roborandas primas vias & aperiendas obstructiones viscerum abdominalium, monente jam GALENO, hinc ad fugandas febres multum commendatur, ad podagram ab AETIO; a MAUR. HOFFMANN hydropicis auxilium attulisse fuit observatum. Extus ad ulcera maligna laudatur.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. & odore & sapore satis evidentibus, sed minus gratis gaudet, evidenti acrimonia linguam ferit, hinc nollem inertem dicere: * *Extractum* EJUSD. ad scrupulum dimidium pro dosi datur: * *Essentia* Wurtemberg a collectoribus Dispensatorii ad drachmas duas data, alvum ducere est observata: * *Syrupus* ZWŒLFFER. *Conserva* Hafniens. *Sal per incinerationem* SCHROED.

CHAMÆDRIS, χαμαίδρυς, χαμαίδρωψ, λινόδρυς, *Germandrée*, *Gamænderlein.* Inde prostant Folia parva, oblongo-ovata, crenata, inodora, amara.

TEUCRIUM. Corolla labiata, labio superiore deficiente, inferiore quinquefida, lacinia media maxima, calice quinquefido sustentata, gymnosperma gaudet: *Chamædris* L. BLACWELL 180 foliis ovatis petiolatis & floribus pedunculatis, crenatis distinguitur.

Crescit in Europa minus septentrionali, in Saxonia adhuc occurrit.

Tam aquæ quam alcoholi suas vires largitur, Extractum aquosum magis amarum est quam spirituosum. LEWIS. Utrumque in pari ratione vehit. CARTHEUS.

A vi resolvente & aperiente maxime commendatur, præeunte GALENO. VESALIUS ad podagram commendatam recenset, RAJUS polychrestam ad referandas mensium obstructiones & curandas scrophulas, RIVERIUS & CHOMEL ad febres intermittentes.

* *Extractum* VAL. CORD.

CHAMÆMELUM, *Chamomilla* Barbar. χαμαίμηλον, ἄνθεμις, *Camomille*, *Camillen.* Aſſervamus ejus Flores, qui parvi ſunt, compoſiti, mixti, radio albo & diſco flavo inſtructi, odorem proprium fortem ſpirant, ſapore gaudeat amaro, cui quædam acrimonia juncta eſt. Triplex florum Chamæmeli genus recenſetur inter plantas officinales, quorum uni *Vulgaris* nomen relinquunt, alterum a *Roma*, tertium a *fætore* denominant.

Primum deſumitur a *MATRICARIA* floribus mixtis, calice hemiſphærico, cujus ſquammæ fere æquales ſunt, ſuſtentatis, receptaculo & ſeminibus nudis inſtructa: *Chamomilla* L. BLACWELL 298 receptaculis conicis, ligulis non deflexis & foliis ſetaceis, parum tomentoſis diſtinguenda.

In omni Europa vulgaris.

Secundum eſt *ANTHEMIS* floribus mixtis, calice hemiſphærico, ſeminibus nudis, receptaculo-paleaceo inſtructa: *Nobilis* L. BLACWELL 526 foliis ſetaceis & caneſcentibus diſtincta.

In Europa temperata, inter nos quoque occurrit & in Anglia.

Officinæ Germanicæ nonniſi varietatem floribus plenis recipiunt, quæ minus adorata eſt, & minorem ſaporem habet; in hortis apud nos colitur.

* Tertium ſubminiſtrat *Anthemis Cotula* L. receptaculo conico, ligulis anguſtiſſimis & foliis viridibus agnoſcenda: in iiſdem cum prima locis creſcit.

Florum Chamomillæ Vulgaris libra, olei quod per plures annos cæruleum colorem ſervat, Cl. LEWIS drachmas tres, NEUMANN ſcrupulum unum, mihi drachmam unam ſubminiſtravit, flores Chamomillæ Romanæ LEWIS olei flavi drachmas quinque exhibuerunt, ego ex triginta libris florum Chamomillæ fœtidæ plane nihil olei recepi. NEUMANN porro

expertus eſt Vulgares æque ac Romanos $\frac{1}{2}$ extracti aquoſi & $\frac{3}{8}$ extracti ſpirituoſi vehere, quod utrumque inertius eſt. Ex floribus Chamomillæ Romanæ CARTHEUSER $\frac{1}{2}$ fere extracti aquoſi, $\frac{1}{3}$ ſpirituoſi, ex Vulgaribus ſimiles fere rationes obtinuit.

Poſſidet Chamæmelum vires inſignes ad reſerandas obſtructiones viſcerum abdominalium, obſervante GALENO, & ab HOFFMANN inſigniter ad malum hypochondriacum laudatur, principio, quo ſcatet, odorato evidenter in nervos agit, hinc jam ab Ægyptiis, ad febres intermittentes fuit commendatum, id quod quoque plurimi ex poſterioribus Medicis obſervarunt, inter quos GASER, ZACUTUM, DIEMERBROECK, BAGLIV, MORTON, WERLHOFF, HOFFMANN, SCHULZ, BOERHAAVE nominaſſe ſufficiat, ejus vires ſopientes etiam, in omni ſpaſmorum genere inſignes fuerunt obſervatæ, ad dolores ventriculi & inteſtinorum multum a FORESTO laudatur, ad nephritidem a S. PAULI & HAGENDORN, ad dolores poſt partum a FORESTO, ad reſeranda lochia a TREW, & intus & extus applicatum ſe egregie gerere ad tormina dyſenterica vidit Illuſtris PRINGLE & eximias vires antiſepticas habere.

Extus cum magno ſucceſſu ad epithemata & cataplaſmata diſcutientia & reſolventia adhibetur.

Aqua deſtillata VAL. CORD. efficax omnino. *Aqua Carminativa* DORNCRELLII præter flores Chamomillæ, etiam varia alia carminativa recipit, concinnior omnino poſſet parari, ad duo cochlearia pro doſi datur in colica flatulenta. * *Aqua Carminativa* SCHROED. vinoſa eſt, calidiora quoque quam antecedens ingredientia habet, hinc nonniſi in caſibus frigidis adhibenda. * *Aqua Carminativa* Wurtemb. eſt *Dorncrelliana* correcta: * *Aqua Carminativa ſpirituoſa* Wurtemberg. Calidum medicamentum, quod

-ad

ad aliquot drachmas, poſt uſum flatulentorum, aſſumitur: * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. ad guttas octo intus datur, egregium antiſpaſmodicum: *Oleum per Infuſionem* AETII, male per coctionem parari jubetur, diſcutiendi & ſopiendi ergo præſcribitur, cynanchen graviſſimam ejus uſu externo ſopitam vidit SARTORIUS: *Syrupus* Auguſt. * *Tinctura Spirituoſa* Pariſ.

CHAMÆPITYS, χαμαιπίτυς, ὁλόκυρον, ἰωνιὰ, σιδηρῖτις, *Ivette*, *Schlagkräutlein.* Folia exhibet officinis hirſuta, trifida, odore nullo, ſapore amaro, qui aliquid aromatici habet, inſtructa.

Teucrium Chamæpitys L. BLACWELL 528. folia trifida habet & flores ſeſſiles, ſolitarios.

In Marchiam uſque aſcendit.

Aqua æque ac alcohol vires inde extrahunt, Oleum odoratum fundit, Extractum aquoſum amarum eſt & ſalinum, ſpirituoſum dulciuſculum & acre. LEWIS; Extracti aquoſi $\frac{1}{4}$ & totidem ſpirituoſi largitur. CARTHEUSER.

Ad eoſdem ac Chamædrys, præeunte GALENO, morbos adhibetur; ob evidentius principium balſamicum vel præferenda eſſe videtur.

CICHORIUM vid. *Olera.*

CHINÆ CORTEX vid. *Aromata.*

CINÆ SEMEN Barb. an σαντόνιον Veterum? hanc vocem in *Sanctum* inflexerunt, prouti Italorum *Zina* in *Cina*, *Semen Contra*, *Wurmſaamen.* Proſtant his nominibus Semina oblonga, flava, ſtipitibus inquinata, ſapore amaro cui aliquid acris junctum eſt, odore forti, nauſeoſo inſtructa. Id quod ab *Aleppo* denominatur reliquis præſtat, hoc excipit *Orientale*, *Indicum* ab exiguis floſculis, *Barbarum* ſeu *Africanum*, a cauliculis maxime conſtituitur.

Artemiſia Judaica L. foliis caulinis obovatis, obtuſis, lobatis, floribus paniculatis & pedicellatis diſtinguitur. Creſcit in Syria, Perſia &c.

Tam aqua quam alcohol ejus ſaporem & odorem recipiunt, infuſum ſpirituoſum majorem, præ aquoſo, gratiam habet, Extractum aquoſum inodorum eſt LEWIS: NEUMANN $\frac{7}{17}$ Extracti ſpirituoſi $\frac{13}{24}$ aquoſi, fere inertis obtinuit: CARTHEUSER autem hujus ultra $\frac{3}{8}$, illius $\frac{5}{8}$.

Inter Latino-Barbaros hoc medicamentum cœpit in uſum trahi, nec male remedium, quod acrimoniam habet, fœtet & amarum eſt, ad hunc ſcopum recipitur. Datur ad ſcrupulum unum. Cum multi nauſeoſum medicamentum horreant, hinc a MATTHIOLI ætate proſtat, ſaccharo incruſtatum ſive

Confectio: * *Pulvis contra Vermes* Noſtrat. præter ſemen Cinæ etiam alia anthelmintica & cathartica recipit; inde parantur *Tabulæ* Noſtrat. * *Morſuli contra Vermes* Wurtemb. $\frac{1}{24}$ Æthiopis mineralis & totidem radicis Jalappæ vehunt.

COLOCYNTHIS vid. *Purgantia Specifica.*

* COLUBRINUM LIGNUM Barb. *Bois Couleuvrée*, *Schlangenholz.* Adducitur ad nos ſub forma fruſtorum, quæ dimidii pedis circiter craſſitiem habent, ſolida ſunt, ponderoſa, colore albo, cui luteſcens accedit inſtructa; cortex, quo teguntur, caſtaneus eſt, rugoſus, & tuberculis concoloribus, ſparſis gaudet, odor nullus, ſapor valde amarus.

STRYCHNOS. Corollam quinquéfidam, ſimili calice ſuſtentatam habet, iſantheram, monogynam, baccam unilocularem, ſeminibus villoſis fartam: *Colubrina* L. BLACWELL 403 foliis trinerviis diſtinguitur. Creſcit in India.

CARTHEUSER inde $\frac{1}{7}$ circiter Extracti aquoſi amariſſimi, $\frac{1}{4}$ fere ſpirituoſi æque amari obtinuit, & obſervavit aquam inde abſtractam, balſamicum odorem ſpirare.

Ab Indis commendatur ad morſus ſerpentum; Seculo XVI in Europa innotuit, ad curandas febres &

enecandos vermes a quibuſdam laudatur: HEYDE inde ſtuporem, tremorem, fatuitatem, ſurrexiſſe obſervavit. A medicamento ſuſpecto, & quod præ aliis ſecurioribus nihil proprii habet, jure abſtinemus. Commendatur ad ſeſqui drachmam, aqua infuſum.

* CONSOLIDA REGALIS Barb. *Calcatrippa* Barb. δελφίνιον? *Pied d'Alouette, Ritterſpörlein.* Inde recipimus Flores qui cærulei ſunt, amari, inodori, & qui cum aqua infuſi tincturam rufam ſiſtunt.

DELPHINIUM Corollam quinquepetalam irregularem, nectario caudato inſtructam, polyantheram, mono-ſeu triginam, capſulam unam ſeu tres habet: *Conſolida* L. BLACWELL 29. nectariis monophyllis, caule ſubdiviſo gaudet

Creſcit ubique in Europa.

Extracti ſpirituoſi $\frac{5}{24}$, aquoſi ultra $\frac{3}{8}$ largitur, utrumque Extractum odorem ſuavem ſpirat. CARTHEUSER.

Præter vires, quas cum omnibus amaris communes habet, ego ſaltem nullas proprias inde expecto, nec video quo jure ipſi olim traumaticas adſcripſerint.

Aqua deſtillata VAL. CORD. Cur ad morbos oculorum laudetur, non perſpicio.

* COSTUS, κόστος. Noſter ab illo Veterum evidenter diverſus eſt; primus AVICENNA amari mentionem fecit, Græci recentiores demum dulcem addiderunt; inter Recentiores de hoc non conſtat, hodie pro eo Canellam albam exhibere ſolent; tam dulcis quam Arabicus, quos POMET habet, ex mente potius ficti eſſe, quam vere obtinere videntur; unicus igitur modo proſtat Coſtus nimirum *Amarus*, qui conſtituitur a Radicibus aliquot pollices longis, unum craſſis, extus flavis, intus profundius tinctis, medulla laxa fartis, violas olentibus, ſapore evidenter amaro & acri inſtructis.

COSTUS L. Corolla a quatuor petalis efformatur,

quorum unum labiatum eſt, labio ſuperiore ſimplici, inferius ſexpartitum, calice tridentato ſupero ſuſtentata, monanthera, monogyna; fructus eſt capſula trilocularis, polypyrena.

Creſcit in India.

Extractum aquoſum vix odorum, non multum amarum $\frac{2}{3}$, ſpirituoſum magis amarum, vix $\frac{1}{9}$ radicis æquat. LEWIS.

Amaritie, qua gaudet, & principio acri humores attenuat & ſolida roborat, expectorantibus, diureticis & diaphoreticis adſcribitur.

Doſis ad drachmas duas in Infuſo.

* *Caryocoſtinum* BAYRI eſt medicamentum purgans quod $\frac{1}{16}$ Diagrydii vehit, * *Extractum Maracoſtinum* MINDERERI, abſurda formula in qua Aloes primas, Coſtus autem & Marum exiguas valde rationes habent, Wurtembergenſes aliquatenus correctum præſcribunt: * *Oleum Coſtinum*, MESUE nec hujus compoſitio placet.

CROCUS vid. *Aromata.*

CUPRESSI NUCES vid. *Adſtringentia.*

* CYANUS Barb. *Bluet*, *Kornblumen*. Recipimus Flores ex calice evulſos, tubuloſos, in plures lacinias diſſectos, pulchre cæruleos, inodoros, qui, ſi ſicci guſtantur, inſipidi ſunt, aquam autem, cum qua infunduntur, evidenter amaram reddunt.

Centaurea Cyanus L. BLACWELL 270 calicis ſquammis ſerratis & foliis linearibus diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam, æſtate floret.

Vires reſolventes, aperientes, diureticas inde ſe expertos eſſe, HOFFMANN & ALBRECHT teſtantur.

Aqua deſtillata SRHROED. quid ad curandos oculorum morbos debeat facere, ego ſaltem non perſpicio.

DICTAMNUS ALBUS vid. *Aromata.*

ELATERIUM vid. *Vomitoria.*

ENDIVIA vid. *Olera.*

* Eupatorium, εὐπατώριον, illud Græcorum eſt omnino Agrimonia, quos quoque Avicenna ſequitur, id autem cujus Mesue mentionem facit, ita vage deſcriptum reperio, ut nihil de eo audeam decidere; quod hodie *Cannabini*, *Kunnigundskraut*, *Eupatoire* nomine proſtat, ſub Latino-Barbaris demum cœpit in uſu eſſe. Ejus recipimus Folia cum floribus, illa ſunt digitata, oblonga, acuminata, ſerrata, amara, hi parvi, rufeſcentes, tubuloſi, ſemini papposo inſident.

Eupatorium. Floribus compoſitis tubuloſis, calice imbricato, inæquali ſuſtentatis; thalamo nudo inſiſtentibus & ſeminibus papposis inſtruitur. *Cannabinum* L. Blacwell 110 foliis digitatis gaudet.

Creſcit ad aquas, rarius in Septentrione occurrit.

Ad aperienda viſcera abdominalia olim laudabatur & ad reſerandos menſes, & ad curandum hydropem commendabatur; extus contra œdemata & hydrocelen in uſum trahitur.

Euphrasia potius *Eufragia* Barb. *Euphraiſe*, *Augentroſt*. Caules officinis exhibet teneros, foliis viridibus, rugoſis, dentatis, levius amaris, adſtringentibus, ſalinis veſtitos, nec non floribus albis, qui ſive luteis ſive purpureis lineis picti ſunt.

Euphrasia. Calice quadrifido ſuſtentat florem labiatum, cujus labium ſuperius concavum, inferius tripartitum eſt, laciniis æqualibus, capſula gaudet biloculari. *Officinalis* L. Blacwell. 427. foliis ovatis, argute dentatis diſtinguitur.

Frequentiſſime per omnem Europam occurrit.

Ad vitia oculorum a Latino-Barbaris commendata, Hildanus ejus ope ſeptuagenariis videndi facultatem reſtituit: Lanzonius eandem ad caliginem curandam cum ſucceſſu adhibuit, inter nos Vir vixit qui vino cum Euphraſia, ad monitum Villanovani, confermentato utens, octogenarius optima viſus acie pollebat; num hi effectus vere Euphraſiæ adſcribendi

ſunt? vix id mihi perſuadere poſſum, & nullus dubito, noxas, quas commilito LOBELII a vino, quod Euphraſiam habuit, expertus eſt, potius vino in nimis magna quantitate hauſto, quam innocenti omnino herbæ, adſcribendas eſſe. Scopo oculos roborandi, ſive cum muſto conſermentatur, ſive pani incoquitur & per annos ejus uſus continuatur; vires quas ab hac herba in reſerandis obſtructis viis biliaribus HOFFMANN eſt expertus, ex ejus indole amara & ſubſalſa fluunt. Extus quoque ad affectus oculorum adhibetur.

Aqua deſtillata NICOL. PRÆPOS. iners omnino eſt. * *Conſerva* VAL. CORD. * *Tragea Ophthalmica* Wurtemberg. in morbis oculorum a ſpiſſitudine humorum conducere videtur.

* FABÆ ST. IGNATII Recent. ſunt Nuces oblongæ, avellana majores, angulares, ſubſtantia duriore, intus ſplendente, ad cornu accedente, efformatæ, extus gryſeæ, ſapore amariſſimo inſtructæ.

CAMELLUS ad inſulas Philippinas Miſſionarius primus harum fabarum meminit ſub finem ſeculi ſuperioris, arborem unde deſumuntur adeo imperfecte deſcribit, ut ejus character definiri non poſſit; ipſas fabas, venenis reſiſtere & incantationibus afferit, antifebriles præterea, diureticas, emenagogas, ariſtolochicas, anthelminticas, ſtomachicas vires poſſidere, vomitum, catharſin, tremores & convulſiones inde excitari quoque vidit. Medicamento, de cujus viribus nonniſi per tumultuaria experimenta conſtat, rectiſſime hodie abſtinemus. In *Société Royale de Médecine* pro doſi exhibitum, efficax contra febres cortice Chinæ non fugiendas fuit obſervatum.

Continent $\frac{1}{2}$ Extracti aquoſi, $\frac{5}{24}$ ſpirituoſi. NEUMANN.

FOENUGRÆCUM vid. *Emollientia.*

FRAXINUS, *μελία*, *Freſne*, *Eſchenbaum*. Inde Cortex

& Semen ad usus medicatos adhibentur, ille gryseus est cum admixto fusco, sapore evidenter amaro gaudet; hoc oblongum, compressum, fuscum, tenax, sapore adstringente præditum est cum quadam acrimonia, cui aliquid oleosi & levissime acris accedit, obvolvitur involucro sicco, dilutius fusco, quod ipsum multum excedit, progrediendo dilatatur & obtuse terminatur, unde a Latino-Barbaris *Lingua Avis* dicitur.

Fraxinus. Corolla mox bifida, mox quadrifida gaudet, interdum calice sustentata, flores mox hermaphroditi, mox relativi sunt, & hi in quibusdam monophyti, in aliis diphyti, mares diandri, feminæ monogynæ; semen crusta membranacea compressa & producta, tectum, characterem essentialem constituit: *Excelsior* L. Blacwell 328 foliis serratis, oblongis, floribus apetalis, androgynis agnoscitur.

Crescit in omni Europa.

Semen Hippocrates ad dolores uteri & pellendam urinam adhibuit, Floyer quartanum inde vidit curatam, vis aphrodisiaca, quam ipsi Arabes adscribunt, fabuloso de signaturis commento nititur.

Corticem a longo jam retro tempore multum ad aperienda viscera abdominalia commendant, sunt qui eundem ligno quajaco omnino substitui posse contendunt.

Fumaria Barb. *κάπνος*, *Fumeterre*, *Taubenkropf.* Ejus prostant cauliculi teneri, ramosi, quadrangulares, quibus longis petiolis insident folia tenuiter secta, una cum floribus parvis & rubentibus; tota planta evidenti amaritie gaudet.

Fumaria officinalis L. Blacwell 237 pericarpiis monospermis & foliis nudis distinguitur.

Per omnem æstatem in omni Europa obtinet.

Extractum aquosum amarum est & salinum, spirituosum parum amarum est, neutiquam salinum. Lewis.

Ab omni tempore ad referanda viscera abdominalia

laudata fuit, icterum & vomitum inde curatos vidit RIVERIUS, efficax præterea ad ſcorbutum eſt & ad dyſcraſiam, unde varium ſcabiei genus ſurgit, ut S. PAULI obſervationibus probat, DE LINDERN illam cum egregio ſucceſſu tæniæ latæ oppoſuit. Datur ſive ſuccus ad uncias quatuor, ſive ejus manipulus cum appropriato, ad Medici intentionem, menſtruo, infunditur.

Aquæ Fumariæ VAL. CORD. iners omnino aqua, quam, JUNCKERI auctoritate ſeducti non pauci medici, ſanguinem acrius commovere & impellere ſibi perſuaſerunt: * *Conſerva* VAL. CORD. * *Extractum* VAL. CORD. ad ſcrupulum unum exhibetur: * *Syrupus* Auguſt. * *Eſſentia* Wurtembergenſ.

GALBANUM vid. *Reſolventia.*

GENISTA vid. *Diuretica.*

GENTIANA, γεντιάνη, *Enzian.* Radix ejus exſiccata, aliquot pollices craſſa eſt, rugoſa, fungoſa, ſecedit in plures fibras digitum craſſas, extus fuſca, intus flava, odore nullo, ſapore amariſſimo inſtructa.

Gentiana lutea L. Corollis quinquefidis, rotatis, verticillatis diſtinguitur.

Ad Lapponiam & Norwegiam uſque aſcendit, non occurrit in Floris Saxoniæ.

Spiritus vini inde majorem, quam aqua amaritiem extrahit. LEWIS.

Extracti aquoſi $\frac{9}{16}$, ſpirituoſi $\frac{7}{16}$ fere obtinuit NEUMANN. CARTHEUSER autem illius fere $\frac{3}{8}$, hujus ultra $\frac{1}{4}$.

A GENTIO Illyriæ Rege, qui XXXVIII ab orbe condito ſeculo floruit, primum in uſum tracta radix primas vias roborat, obſtructiones abdominales reſerat, monente jam GALENO, ad curandas febres intermittentes & necandos vermes adhibetur, laudatur quoque podagricis, nec non ad curandum calculum. Ill. PRINGLE ejus vim antiſepticam confirmavit; Cl. PLENCK efficaciam extracti ad ſcrophulas.

Extus inde turundæ efformantur ad dilatanda orificia vulnerum & ulcerum, adhibetur quoque ad mundificanda ulcera.

Extractum DIOSCORIDIS ad drachmam dimidiam præſcribitur: * *Eſſentia* Brandeburg.

Paſſim, in Germania maxime, Radices *Gentianæ rubræ* L. recipiunt; non crediderim illam, quæ a *Gentiana cruciata* deſumitur, ratione virium a priori differre, hinc miror utraſque in quibuſdam Indicibus publicis proſtare juberi.

GRATIOLA vid. *Emetica.*

HELENIUM vid. *Incidentia.*

JAPONICA TERRA, *Cachou.* Eſt ſubſtantia, ſicca, dura, extus rufa, nigricans, intus e rubro fuſca, ſapore adſtringente primum dulci, deinde amaro inſtructa.

Rejicimus, quæ in ore detenta non tota deliqueſcit, nec non illam quæ arena, aut aliis ſordibus inquinata eſt.

Neutiquam ex Japponia, ſed ex India ad nos adducitur, peſſime quoque terra appellatur, cum ſuccus ſit, qui ex variis MIMOSÆ L. ſpeciebus, & diverſis aliis plantis, cortice adſtringente & rubro præditis, paratur, referente de JÆGER; cum hoc ſucco tanquam maſticatorio utantur, ex nucibus autem *Areccæ Catechu* L. Indi quoque maſticatorium parent hinc fama obtinuit, terram Japonicam eſſe hunc ipſum ſuccum, cum autem Auctores autoptæ de Arecca loquentes noſtri præparati non meminerint, Arecca Catechu teſte GARÇIN in variis locis, unde tamen noſtrum medicamentum adducitur, non creſcat, hinc potius narrationi teſtis autoptæ credo adhærendum eſſe, quam hypotheſi in Europa effictæ.

Vix non tota, ſi pura fuerit, in aqua poteſt diſſolvi, non parum ejus etiam ſpiritus vini recipit.

LEWIS: ejus $\frac{15}{16}$ aquam $\frac{3}{4}$ Alcohol ſolvere, NEUMANN vidit.

Hujus medicamenti uſus, medio ſuperioris ſeculi inter nos obtinuit, ſcopo adſtringente maxime adhibetur, in vomitu, fluxibus alvi, hæmorrhagiis, gonorrhœa, fluore albo HAGENDORN & WEDEL non ſpernendos inde viderunt effectus, medicina roborans & reſolvens etiam bene ſe gerit in affectibus muci, hinc ad morbos catarrhales multum laudatur, ulcus ſordidum narium, & pertinaciores tuſſes eodem HAGENDORN curavit, idem non male ad reſtituendas vires digeſtionis adhibetur. Datur ſub forma pulveris ad ſcrupulum unum; extus ad dentifricia adhibetur.

Eſſentiam Noſtrates ſpiritu vini, Wurtembergenſes ſpiritu Cydoniorum parant, multum adſtringit; *Trochiſci* præter ſaccharum etiam varia ſuaveolentia recipiunt, Wurtembergenſes majorem ſacchari rationem admittunt quam Noſtrates & Pariſini, Ambram & Moſchum quoque adjiciunt, efformantur ad figuram muſcerdarum, ut commode poſſint ſub lingua teneri, cum præcipuus eorum uſus ſit ad oris fœtorem corrigendum. * Alios adhuc Wurtembergenſes habent, qui ſuccum Liquiritiæ & ſpecies Diatragacanthæ recipiunt, & quos multum hæmoptycis commendant: * *Tabellæ* Pariſ.

Proſtant interdum in tabernis * Placentulæ variæ magnitudinis, aliquot pollices latæ, lineam circiter craſſæ, extus ſaturatius flavæ, intus pallidiores, albeſcentes, ſapore aromatico, amariuſculo, ſubadſtringente præditæ, quas *Catagamber* appellant, earum jam JÆGER anno 1684 meminit, SEBA refert eas parari ex Cachou cum argilla mixto, affuſa aqua & calore ſolis in fermentationem acto, ſpuma liquori fermentanti ſupernatante collecta, & in modulis orbicularibus exſiccata, harum placentularum drachmæ duæ, cum aqua per aliquot horæ minuta in-

fundunt, & in morbis pectoris, oris &c. adhibent, DU BUISSON easdem cum successu in anginosis & aphtosis faucium affectibus, nec non in diarrhoeis, dysenteriis &c. adhibuit. GEOFFROI meminit * pastillorum, qui nucis vomicae magnitudinem & figuram habent, ex terra Catechu, variis aromatibus mixta, parantur & a Belgis nomine *Siri Gata Gamber* in Europam advehuntur.

IMPERATORIA vid. *Incidentia.*

LAURUS vid. *Aromata.*

LILIUM CONVALLIUM vid. *Aromata.*

LUPINI SEMEN vid. *Legumina.*

LUPULI FLORES vid. *Olera.*

* MARRUBIUM, πράσιον, *Andorn.* Folia nobis largitur quae subrotunda sunt, margine crenata, rugosa, inferne maxime tomento obsessa, inodora, sapore amaro, cui aliquid salini accedit, instructa.

MARRUBIUM. Corolla labiata, quae calice mox quinquefido, mox decemfido sustentatur, & cujus labium superius bifidum, inferioris trifidi lacinia media latior & emarginata est, gaudet, gymno-sperma: *Vulgare* L. BLACWELL 479 foliis crenatis, superne viridibus distinguitur & calice decemfido.

Crescit in omni Europa, praeter maxime Septentrionalem.

Extracti aquosi inertioris $\frac{9}{16}$, spirituosi viridis, odorati, amari $\frac{5}{16}$ inde obtinuit NEUMANN. Extracti spirituosi ultra $\frac{1}{6}$, aquosi $\frac{5}{16}$ CARTHEUSER.

Ejus decoctum sanguini e vena fluenti affusum eum rubicundiorem & fluidiorem reddit. SCHWENCKE.

Humores spissos resolvit, hinc a GALENO ad obstructiones pulmonum, viscerum abdominalium & uteri laudatur, nec non extus detergendi scopo ad vitia oculorum & aurium. Arabibus maxime ad morbos pectoris pituitosos in usu fuit, BORELLUS asserit se innumeris comprobavisse exemplis marrubium mire

ad menſtrua promovenda, ſtomachum roborandum; appetitum reſtituendum, cachexiam & fœdos virginum colores curandos feciſſe; vermem inde expulſum LENTILIUS vidit; ſalivationem, quæ ultra annum juvenem, cui curandæ luis ergo Mercurius exhibitus fuerat, excruciaverat, brevi ſe ope noſtræ herbæ ſuſtuliſſe, teſtatur Illuſtris LINNÆUS. Eximii HALLER & DE HAEN in abſceſſibus pulmonum bonos inde viderunt effectus, ſed non conſtanter; LOESECKE & HALLER in difficili ſcreatu.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. quam & ſapidam & odoram CARTHEUSER dicit, prouti vulgo proſtat, plane iners eſt. * *Syrupus de Praſio* DIOSCORID.

MENTHA vid. *Aromata.*

* MATRICARIA Barb. παρθένιον, *Matricaire*, *Metram:* inde proſtant Folia pinnata, pinnis ovatis & crenatis, albicantia, nullo, ſi exſiccata fuerint, odore, ſapore leviter amaro inſtructa.

Matricaria Parthenium L. BLACWELL 192 pinnis ovatis, inciſis diſtinguitur.

Vulgaris per Europam minus Septentrionalem, in Boruſſiam uſque aſcendit.

Oleum deſtillatum fundit obſervante jam SCHROEDER: Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{8}$, aquoſi ultra $\frac{1}{2}$ inde ſeparavit NEUMANN.

Variæ ipſi adſcribuntur vires, quæ omnes ab ejus principio odorato pendere videntur, quod cum a planta exſiccata abſit, non multum virtutis inde audeo polliceri.

* *Aqua deſtillata* NIC. PRÆP. ſi ex herba paratur, plane iners. * *Spiritus* Pariſ. etiam vix aliquid proprii videtur habere.

MYRRHA, σμύρνα, Æolibus μύῤῥα, ſub variæ magnitudinis fruſtis, quæ mox avellanas, mox juglandes æquant, ad nos adducitur; pellucida, rufa, diffracta maculas albas, quas *ungues* dicunt, exhibet, gaudet ſapore ſubacri, aromatico, inſigniter amaro

& odore proprio gravi; hanc ſpeciem Veteres ϛάκτην, dixerunt, cum ſponte ex arbore effluxerit, nec non τρωγλοδυτικὴν, a tractu in quo provenire dicebatur, magis tincta πλαςὴ illis audiebat, inciſione arboris obtenta, hodie ambæ ſub communi *Electæ* nomine proſtant; fruſta ad nigredinem vergentia, arida, ſordibus inquinata apud ſeplaſiarios *in Sorten* appellantur, rejicienda omnino.

Planta, unde obtinetur, nos adhucdum latet.

Adducitur ex Arabia & Æthiopia, inde magni ſacci ex corio confecti quatuor aut quinque centenarios ponderantes apportantur, in quibus variæ bonitatis grana hærent, pro varia forſan patria, ubi colliguntur, differentia; Veteres ſane Myrrham, pro vario ejus loco natali, diſtinxerunt.

Exhibet $\frac{2}{3}\frac{5}{2}$ Extracti aquoſi, $\frac{5}{16}$ ſpirituoſi, & cum deſtillatur $\frac{3}{8}$ ſpiritus acidi, $\frac{1}{9}$ circiter olei empyreumatici fundit, aquæ ab ejus una libra abſtractæ, tres drachmæ olei innatant NEUMANN. Eandem olei odorati quantitatem inde obtinuit HOFFMANN, ego ſolummodo aliquot guttas olei butyracei accepi. Ultra $\frac{7}{8}$ Extracti aquoſi, $\frac{1}{2}$ ſpirituoſi refert CARTHEUSER.

Valide reſolventes & abſtergentes vires poſſidet, jam a GALENO ad aſthma & tuſſim laudata, ob eaſdem virtutes, quibus etiam roborantes accedunt, ad læſam digeſtionem & aperienda viſcera abdominalia cum ſucceſſu adhibetur, ad febrem ſingultuoſam & dolores uteri ab HIPPOCRATE commendabatur, Cl. CARTHEUSER hypochondriacum ejus ope vidit curatum, præterea ab omni tempore vis ejus putredinem arcendi fuit celebrata, hinc ad ulcera interna quoque cum ſucceſſu fuit applicata, Cl. CARTHEUSER in hæmoptyſi ad phtiſin tendente, in ipſa phtiſi LOESECKE egregios inde viderunt effectus, nec non in ulcere renali, & multi illam in febribus malignis præſcribunt,

contra vermes quoque facere facile perſpicitur, ſed probe notent quæſo Medici, motum humorum etiam inſigniter ſub uſu Myrrhæ incitari, abortum inde excitari monet GALENUS, & mictum cruentum ab eadem excitatum a LEBENWALD obſervavit. Cum experientia evicerit hanc Myrrhæ vim æſtuantem, a reſinoſo præcipue ejus principio pendere, hinc prudenter nonniſi ejus extractum aqua frigida paratum, ad uſus internos recipitur:

Datur ad ſcrupulum unum pro doſi, HIPPOCRATES eam ultra drachmam dimidiam extendit.

Extus abſtergendi, contra putredinem defendendi & conſolidandi ergo adhibetur, ab HIPPOCRATE medicamentis ocularibus adſcripta, & ad ulcera capitis, morbos aurium a muco, ſcirrhum uteri, reſeranda catamenia &c. præſcripta, ad cariem oſſium etiam & ulcera cacoethea, probante CARTHEUSER, cum ſucceſſu adhibetur, nec male medicamentis dentifriciis adjicitur, Coſmeticis Veteres annumerabant,

* *Aqua deſtillata* Wurtemberg. non inefficax medicamentum, roborans & analepticum videtur eſſe: * *Spiritus* & * *Oleum* Pariſ. præ aliis empyreumaticis nihil proprii habent: *Tinctura* ſive *Eſſentia* Hamburg. pro vario Diſpenſatorio variam Myrrhæ rationem recipit, Wurtembergenſes & Noſtrates etiam *alcaliſatam* pro uſibus internis præſcribunt, commovens valde medicamentum doſi viginti guttas non excedente propinandum. * *Oleum per deliquium* vid. *Inſt. Chem.* * *Trochiſcorum de Myrrha* RHAZES prolixam jam deſcriptionem, adhuc ampliorem reddiderunt Pariſini. Medicamento inſigniter commovente jure abſtinemus.

* OPOPANAX, ὀποπάναξ. Eſt ſuccus ſpiſſus, qui ſub forma granorum, quorum maxima, vix ad juglandem accedunt, ad nos adducitur, extus hæc grana luteſcunt, intus albida, ſaporem habent amarum

cum pingui & proprio nauſeoſo mixtum, odor ipſis eſt balſamicus non ingratus; eodem autem etiam nomine ad nos adducuntur maſſæ majores, in quibus grana, ſubſtantia quadam granuloſa variis ſordibus inquinata, conglutinata ſunt.

Ex Oriente ad nos adducitur.

Paſtinaca Opopanax L. foliis bipinnatis diſtinguitur & in Europa Meridionali creſcit.

Ex aqua ſe patitur ſuſpendi, ea inde abſtracta odorata evadit. LEWIS. Ultra $\frac{1}{3}$ Extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{2}$ aquoſi inde NEUMANN obtinuit.

Cum Gummi reſina ſit, hinc humores valide attenuat & ad morbos a viſcerum abdominalium obſtructione oriundos, aut a pulmonibus muco obſeſſis, cum ſucceſſu exhibetur.

Datur ad drachmam dimidiam pro doſi.

Externe quoque ad qualeſcunque indurationes, reſolvendi ergo exhibetur.

PAREIRA BRAVA Recent. Eſt Radix ſive Sarmentum lignoſum, cujus fruſta variæ craſſitiei, quæ interdum ad brachium uſque accedit, ſub cortice rugoſo, fuſco, ſubſtantiam lignoſam, obſcure flaveſcentem, inodoram & amaram condunt. Denominatio Luſitanis debetur, qui Parra vitem & brava ſylveſtrem appellant.

CISSAMPELOS. Relativa dyphyta, mares monopetali indiviſi, calice quadrifolio ſuſtentati, tetrandri, feminæ ſuperæ monopetalæ, trigynæ, bacca monopyrena: *Pareira* L. folia peltata habet.

Creſcit in America meridionali.

Anno 1688 ex Luſitania per Dominum AMELOT Galliæ Oratorem, Pariſios fuit allata, & cum ibi fuerit tentata, in officinas recepta.

Extracti ſpirituoſi ultra $\frac{1}{4}$, aquoſi autem priore debilioris $\frac{7}{24}$ inde obtinuit NEUMANN, qui præterea vidit,

nec aquam nec ſpiritum vini, ſi inde abſtrahuntur, ejus aliquid recipere.

Eximia gaudet vi reſolvente & ad renes depurandos & urinam pellendam jam a PISONE laudatur, id quod etiam Medici Pariſini apud POMET, HELVETIUS, LOCHNER & GEOFFROI confirmarunt, duo poſteriores etiam propriis obſervationibus ejus vires ad obſtructiones viſcerum abdominalium & aſthma evicerunt. Drachmæ duæ cum ſeſquilibra aquæ ad remanentiam libræ unius coquuntur.

* *Eſſentia* Wurtemb.

PERSICÆ NUCLEI & FLORES vid. *Fructus Horæi.*

* PETASITES, πεταςίτης, *Peſtilenzwurzel.* Radices habet fibroſas, digitum craſſas, extus fuſcas, intus albas, ſapore acriuſculo & amaro præditas.

TUSSILAGO. Flore compoſito mox tubuloſo, mox mixto, calice imbricato cylindraceo ſuſtentato, receptaculo nudo, ſeminibus papposis gaudet: *Petaſites* L. BLACWELL 222 thyrſum ovatum habet & flores tubuloſos.

Creſcit in omni Europa.

Aqua inde abſtracta odora eſt, & aliquid olei odorati ſiſtit; Extracti aquoſi $\frac{1}{4}$ circa, ſpirituoſi autem $\frac{1}{8}$ exhibet. CARTHEUSER.

Radix a GALENO ad curanda ulcera laudata, putredini opem ferre creditur, FORESTUS in peſte utilem fuiſſe teſtatur, nondum certis obſervationibus, quod aliquas virtutes proprias habeat, eſt evictum. Folium membro podagrico applicatum eidem magno ſolatio eſſe, obſervavit RAJUS.

PIX vid. *Reſinas.*

POPULI OCULI vid. *Reſinas.*

* QUASSIÆ LIGNUM Recent. Hoc nomine afferuntur fruſta, varia longitudine & craſſitie inſtructa, cortice ex gryſeo albo tecta, nonnunquam fiſſo,

fiſſo, tenui, intus albeſcente, lignum flavicat & in tenues lamellas ſecedit, odor nullus, ſapor intenſe amarus.

QUASSIA L. Corollam habet pentaphyllam, ſimili calice ſuſtentatam, quinque nectariis, decem antheris, uno ſtylo inſtructam, fructus a quinque capſulis, receptaculo carnoſo innatis, monopyrenis, efformatur.

Creſcit in Americæ Meridionalis Surinam.

Extracti aquoſi $\frac{1}{6}$ inde Cl. SCHLEGER obtinuit, Cl. PAARMANN vix $\frac{1}{8}$ Extracti aquoſi amariſſimi, $\frac{1}{24}$ ſpirituoſi ſeparavit.

Medicamentum, quod Surinami ad putridas febres multo in uſu eſſe dicunt, ſervus nigrita QUASSI Illuſtri DAHLBERG recentiſſimis temporibus detexit, qui illud Celeberrimo LINNÆO miſit, a quo tentatum & laudatum fuit, ab aliis poſtmodum Medicis in uſum tractum. Ejus vires adſtringentes in ſudoribus nocturnis hecticorum, ſalivatione nimia, diabete & diarrhœa colliquativa expertus eſt Cl. SCHLEGER, ad roborandum ventriculum etiam ipſo cortice chinæ præſtare, obſervationibus niſus, contendit Eximius TISSOT. Evincunt Cl. SCHRADER Exper. GESNER & Cl. SCHLEGER, nec non Illuſtr. HALLER obſervata, ejus virtutem reſolventem in podagra retropulſa, Ill. LINNÆUS in doloribus podagricis cum ſucceſſu adhiberi nec non Cel. VALMONT DE BOMAR & SCHLEGER probant, qui etiam ejus ſucceſſus in lue venerea, apoplexia & hydrope vidit, vermes inde curatos TISSOT adducit; de ejus virtute antiſeptica, etiam SCHLEGER teſtatur, quam tamen cortici chinæ multum cedere, experimenta Cl. PAARMANN evincunt, a quo etiam reſpectu virtutis febrifugæ vinci, & Ill. TISSOT & inter nos inſtituta experimenta evincunt.

Datur optime ſub forma Infuſi aquoſi, unam ejus drachmam cum libra aquæ infundendo & aliquoties de die aliquot cochlearia exhibendo.

Rhabarbarum vid. *Purgantia Specifica.*

Ruta vid. *Aromata.*

Sabina vid. *Aromata.*

Salvia vid. *Aromata.*

Schoenanthum vid. *Aromata.*

Scordium, σκόρδιον, *le Chamaras*, *Lachen-Knoblauch.* Exhibet folia ex ovatis oblonga, crenata, hirſuta, odore proprio ad allium accedente, ſapore amaro, acriuſculo inſtructa.

Teucrium Scordium L. Blacwell 485 foliis ex ovato oblongis & floribus geminis pedunculatis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Extracti aquoſi $\frac{9}{16}$, ſpirituoſi magis amari & efficacioris $\frac{3}{8}$ ſiſtit. Neumann. Illius ultra $\frac{3}{8}$, hujus vix $\frac{1}{16}$ obtinuit Cartheuser.

Duobus demum retro ſeculis in Germania innotuit.

Ejus vires, qua putredini reſiſtit, Galenus obſervatione probat, Idem illud ad recludenda viſcera & promovendas excretiones laudat, Kleinknecht anaſarcam inde curatam & catamenia reſerata vidit, ob vires anthelminticas multum a Riverio laudatur; noſtram herbam ad morbos malignos adhibituri probe meminerint, obſervante jam Galeno, corpus rude calefieri. Extus ad ulcera adhibetur & gangrænam.

* *Aqua deſtillata* Val. Cord. licet recens aliquid odorati habeat, tamen prouti vulgo in officinis proſtat, omnino iners eſt. * *Extractum* Val. Cord. minus omnino quam herba efficax. * *Syrupus* Auguſt. non contemnendus: * *Eſſentia* vel *Tinctura* Stahl integerrimas plantæ vires habet, multum calefacit: * *Eſſentia de Scordio compoſita* ſeu *Diaſcordium liquidum* Hoffmann præter ſcordium multa inſuper calefacientia & opium recipit, Wurtembergenſes Camphoram omiſerunt: * *Eſſentia Alexipharmaca* Stahl

præter ſcordium plura ingredientia calida habet, in compoſitione Noſtratium ſcordium omiſſum eſt: * *Eſſentia Alexipharmaca temperata* STAHL minus quam antecedens calefacit; omnes hæ eſſentiæ, cum hodie evictum ſit, quam pernicioſa ſit therapia calida, rariſſime adhibentur: *Diaſcordium* FRACASTORII prolixæ & inconcinnæ compoſitioni Pariſini & Noſtrates roſas adjiciunt; cum vini & mellis ratio, tempore labente, imminuatur, hinc non accurate, quantum opii certum ejus pondus vehat, poteſt determinari, in præſcriptione Noſtratium drachma una tertiam circiter grani partem opii habet. Medicamentum evidenter adſtringens, hodie unice adhibetur ad ſiſtendos alvi fluxus, & minus bene ad febres commendatur.

SERPENTARIA vid. *Aromata.*

SIMAROUBA Recent. Hoc nomine ad nos adducitur Cortex in fruſtis teneris, pede etiam longioribus; aliquot pollices latis, in lacinias diviſis, fractu contumacibus, tenacibus, extus leviſſime rugoſis, intus magis albis, odore nullo, ſapore valde amaro inſtructis: * *Ligni* fruſta, quæ nobis mittunt, craſſa ſunt, levia, alba, inſipida.

A proprio arborum genere deſumitur quod *Quaſſiam Dioicam* Pharmacopœa Suecica appellat, ſed deſcriptio Cl. AUBLET ad monœciam pertinere evincit.

Largitur $\frac{1}{4}$ fere extracti aquoſi amariſſimi, nauſeoſum odorem ſpirantis, $\frac{1}{40}$ Extracti ſpirituoſi. CARTHEUSER. CRELLIUS inde $\frac{1}{6}$ Extracti aquoſi obtinuit.

Jeſuitæ fratri SOLEIL collegio Pariſino adſcripto anno 1713 quædam hujus corticis ſpecimina miſerunt, ille in dyſenteria gravi, quæ anno 1718 Pariſiis furebat, juſſu Regio, fuit tentatus, bonos inde obſervatos effectus, anno 1723 reiterata experimenta uberius confirmarunt, variis itaque in locis in uſum tractus efficaciam ſuam in ſiſtenda dyſenteria ubivis

probavit DEGNER, SCHWENCK, TISSOT, GRASHUIS, BOENNICKEN, WERLHOFF teſtibus, efficacem quoque in alvi fluxu chronico & lienteria SCHWENCK, TISSOT, BOENNICKEN, JUSSIEU ſunt experti, in hæmorrhagia uteri DU BUISSON & JUSSIEU: has ejus virtutes non modo a vi adſtringente, qua pollet, pendere, ſed illum ipſam materiem quoque horum morborum corrigere & e corpore educere, SCHWENK & JUSSIEU ex eo probant, quod ſub ejus uſu excretiones aquoſæ promoveri obſerventur.

Datur ſive ſub forma pulveris ad ſcrupulum unum, ſive & quidem melius, cum a pulvere ventriculum gravari DEGNER obſervarit, corticis tenuiter inciſi drachmæ duæ cum duabus libris aquæ, ad tertiæ partis conſumtionem coquuntur, & decocti quatuor unciæ tertia quaque hora exhibentur.

SQUILLA, *Scilla*, σκίλλα, *Meerzwiebel*. Eſt Radix bulboſa, quæ non raro ad aliquot pugnorum magnitudinem accedit, ex baſi anguſtiore rotunda, fibrillas emittit, mox in corpus amplum & ventricoſum distenditur, quod in formam conoideam contrahitur, & ex apice primum flores, deinde folia emittit, aliquot ſtrata cuticulæ ſiccæ, aridæ, rubræ tegunt bulbi ſquammas albas, levi rubore ſuffuſas, ſapore exquiſite amaro inſtructas, cui propriam adhuc acrimoniam accedere non potui detegere, meditullium, τὸ μυξῶδες HIPPOCRATIS multo minorem amaritiem habet.

SCILLA. Corollam habet hexapetalam, nauſeam, iſantheram, monogynam, capſulam triſulcam, trilocularem: *Maritima* L. ſcapo ſpicato ante folia erumpeute & bracteis flexis diſtinguitur.

Creſcit ad littora maris Europæ Meridionalis, Aſiæ Occidentalis & Africæ.

* Varietatem radice alba inſtructam *Marem* PLIN.

etiam quædam officinæ, qua ex ratione non perſpicio, aſſervant.

Aquæ & ſpiritui vini ſuas vires communicat, ejus amaritiem alcalina infringunt, largitur Extracti reſinoſi, evidenter acris $\frac{1}{20}$ circiter, aquoſi $\frac{15}{16}$ fere. Schulz.

Ad vetuſtiſſima, quæ habemus, medicamenta pertinet, ab Epimenide primum in uſum tracta, de ejus viribus volumen condidiſſe Pythagoram, teſtatur Plinius. Ejus amaritiei propriam ineſſe acrimoniam uno ore omnes contendunt Auctores, catos & cuniculum inde periiſſe, vidit Cl. Hillefeld, ut acrimonia temperetur, radicem paſta farinacea, ad præceptum Dioscoridis, obduci jubent & clibano coqui, hunc morem, rationibus, quæ minus placent, impugnat Zwoelffer. Ab omni tempore a vi reſolvente laudabatur, & a Veteribus ac Recentioribus æque ad urinam pellendam, & hydropem curandum commendata fuit. Dioscoridem, Scribonium Largum, Hoffmann, Wagner, van Swieten, Cohausen, Koehler, Jœrdens, Schuster, d'Apples, hic allegaſſe ſufficiat, in aſthmate egregias ejus vires viderunt Hesse, Albrecht, Baumlin, Schulz, in nephritide calculoſa & pituitoſa Wagner; ipſis empyicis ab Hippocrate præſcribitur, qui eandem quoque extus tanquam peſſarium in uſum traxit: ad verrucas & perniones in oleo ferveſcentem, aut cum reſina liquefactam efficaciter illini, monet Cl. Vogel.

Doſis eſt ad ſcrupulum dimidium, etiam minor ejus quantitas apud delicatiores cardialgiam & nauſeam ſolet excitare.

Acetum ex ſchola Pythagoræ ad nos deſcendit, infuſio viginti quatuor horarum omnino ſufficit, eximium medicamentum reſolvens, quod etiam in pituitoſis faucium morbis, prudenter ſub forma gargariſmatis adhibetur. *Oxymel Scilliticum* Noſtrates ra-

tionem NICOLAI PRÆPOSITI ſequuntur, & gratia & viribus priore præſtat; ab eo vix differt * *Syrupus* Wurtembergenſium, *Oxyſaccharum* Londin. his omnino inferius eſt * *Mel ſcilliticum* BAUDERON. * *Vinum* quod COLUMELLA per confermentationem parat, Pariſini per infuſionem jubent conficere: * *Loch ad Aſthma* NESUE non male reſolvendi ergo in morbis pectoris adhibetur: * *Eſſentia* Wurtemb. nunquam placent ſpirituoſa, cum reſolvendi animus eſt: * *Pulvis compoſitus* STAHL, præeunte HELMONTIO, ſcillæ radix vincetoxici adjicitur, non video cur? * *Pilulæ* Edimburgenſ. ſcopo aperiendi ad pectoris æque ac abdominis morbos cum ſucceſſu adhibebuntur: *Trochiſci* ANDROMACHI differunt præſcriptiones Diſpenſatoriorum, inconcinna compoſitio nonniſi ad præparandam Theriacam adhibetur.

SENNÆ FOLIA vid. *Purgantia.*

SPICA NARDI vid. *Aromata.*

* TAMARISCUS, *Tamarix*, μυρίκη, *Tamaris*, *Tamarisken.* Ejus caulium recipimus Cortices, qui ſunt tenues, anguſti, extus rufi, intus albi, ſapore amaricante, qui evidenter adſtringit, inſtructi.

TAMARIX. Corollam habet pentapetalam calice quinquefido ſuſtentatam, quinque vel decantheram, trigynam, fructu unilocularem, ſeminibus pappoſis fartum. *Germanica* L. BLACWELL 381. corolla diplоſanthera agnoſcitur.

In Auſtria, Pannonia, Helvetia & apud nos creſcit.

Præeunte GALENO ad obſtructiones lienis & omnes morbos inde oriundos commendatur; datur ad drachmas duas in Infuſo.

* *Sal per incinerationem paratus*, ſi ex Tamarice Gallica paratur, eſt ſal mirabilis Glauberi obſervante MONTET, qui autem ex plantis apud nos creſcentibus non obtinetur.

TANACETUM Barb. *Tanais*, *Rheinfarn* ſiſtit.

* Folia quæ longa ſunt; viridia, pinnata, pinnis dentatis, odore proprio minus grato, ſapore amaricante inſtructa

* Flores tubuloſi ſunt, flavi, odore & ſapore foliis ſimiles. Tanacetum Corollis tubuloſis compoſitis calice hemiſphærico comprehenſis ſeminibus & receptaculis nudis gaudet: *Vulgare* L. BLACWELL 464 folia bipinnata & habitum lævem habet.

Creſcit in omni Europa.

Spiritus vini, ſaporem & odorem inde, magis quam aqua extrahit. LEWIS. Flores ultra $\frac{1}{4}$ Extracti aquoſi, $\frac{1}{6}$ fere ſpirituoſi, linguam evidentius ferientis, largiuntur. CARTHEUSER.

Oleum odoratum quod fundit flavum eſt, acre & amarum.

Ad vermes maxime laudatur, nec non ad morbos uteri, ſcopo aperiendi etiam, a quibuſdam adhibetur, nauſeoſum medicamentum eviluit.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. * *Oleum deſtillatum* Wurtemberg. ad aliquod guttas pulveribus anthelminticis adjicitur: *Extractum* Wurtemb.

TRIFOLIUM FIBRINUM, TABERNÆMONT. *Menyanthe*, *Biberklee*. Recipiuntur folia quorum tria uni petiolo inſident, ovata ſunt, firmula, odore nullo, ſapore intenſe amaro prædita.

MENYANTHES. Corollam habet monopetalam, quinquefidam, hirſutam, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, monogynam, capſulam polypyrenam; *Trifoliata* L. BLACWELL 474. foliis ternatis diſtinguitur.

Occurrit per omnem Europam.

Extracti aquoſi $\frac{1}{3}$ & Oleum odoratum largitur. SCHROER.

CORDUS inter primos, hujus plantæ meminit, ejus vires antiſcorbuticas PAULI, DOLÆUS, WILLIUS & SCHROER ſunt experti, in roborandis primis viis per

obſervata VAUGHAN, & attenuando muco, aperiendis obſtructionibus viſcerum abdominalium conducit egregie, œdemata inde curata SCHROER, hydropem DOLÆUS, febres intermittentes WILLIUS, arthritidem SCHULZ & DOLÆUS, paralyſim WILLIUS, videre.

Optime datur ſub forma infuſi aquoſi, ejus pugillus dimidius pro doſi, cum aquæ unciis quatuor aut ſex infunditur.

* *Aqua deſtillata* Pariſ. iners. * *Extractum* quod Pariſini habent, eſt ſuccus inſpiſſatus: * *Eſſentia* Auguſtan. * *Spiritus abſtractitius* Wurtemb.

* VERBENA, *Verveine*, *Eiſenkraut* non eſt *Verbena* Romanorum, quibus omnes herbæ ſacræ hoc nomine venerunt, nec eſt περιςερεὼν Veterum; Folia, quæ hodie ita appellantur, ſunt longiuſcula, laciniata, laciniis denuo diviſis, viridia, ſapore amaro inſtructa.

VERBENA. Corolla inſtruitur monopetala, quinquefida, irregulari, di- vel tetranthera, monogyna, fructu capſula: *Officinalis* L. BLACWELL 41 corollam tetrantheram, caulem ſolitarium, folia multifido laciniata habet.

Creſcit in omni Europa.

Quæ apud Veteres de virtutibus verbenæ legimus, & ſuperſtitioni debentur & non ad noſtram plantam ſpectant, quæ præ reliquis amaris omnino nihil proprii præſtabit.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. plane iners.

VINCETOXICUM vid. *Reſolventia.*

VOMICÆ NUCES Barb. *Noix Vomiques*, *Krælenaugen.* Sunt Nuclei rotundi, utrinque plani, ſive leviſſime convexo-concavi, villoſi, gryſeo albidi, intus cornei, amariſſimi.

Strychnos Nux Vomica L. BLACWELL 395 foliis ovatis & caule inermi diſtinguitur.

Creſcit in India.

Extracti aquoſi circiter $\frac{1}{2}$, reſinoſi ultra $\frac{3}{16}$ vehit. NEUMANN.

Primi Arabes harum nucum mentionem faciunt, easdem contra ictus serpentum homines immunes reddere, si una aut duæ per duos continuos annos quotidie assumuntur, testatur VAN RHEDE, FALLOPIUS se a Germanis audivisse memorat, eas ad drachmam unam in peste assumi cum successu, febres intermittentes inde curatas WEDEL adducit, & confirmant Collectores *Dispensatorii Brandeburgici*, nec non MURALTUS & Medici Scaphusienses apud KOENIG, qui quoque eas in gonorrhœa virulenta præsens remedium esse, asserunt, THEBESIUS earum vires ad hydrophobiam, & ad delirium hypochondriacum est expertus, MONTINUS Lappones contra colicam, dimidiam nucem vomicam cum spiritu vini non sine successu assumere, testatur. Cum interim GESNER, WEPFER, LOSSII, DE HERDE, SEUTTER, Cl. HILLEFELD &c. experimentis pateat canes, feles, cuniculos &c. inde convulsos perire, MATTHIOLUS quoque, HOFFMANN, DE SORBAIT & SEUTTER exempla adducant homines inde convulsos imo necatos fuisse, prudentis Medici esse duco, cum securiora prostent medicamenta, ab usu suspecti desistere, & licet, præter quas adduxi observationes, etiam MELICHIUS, GEBAUER & omnes, qui olim famosum *Electuarium de Ovo* laudarunt Auctores, nuces vomicas impune assumi posse fidem faciant, ego saltem eas unice pro necandis animalibus, gliribus &c. ad quem scopum etiam in frequenti usu sunt, duco esse adhibendas.

ZEDOARIA vid. *Aromata*.

β. ANIMALIA.

FEL TAURI vid. *Bos*.

*LAPIS PORCINUS Recent. *Lapis Hystricis*, *Pedro del Porco* Lusitanis. Ejus duæ species in commercio prostant, quæ secundum patriam distinguuntur, *Malaccensis* multo majori pretio quam *Zeilanicus* venit, illius unum vidi, qui unciam dimidiam circiter pon-

dere æquabat, cui pretium ſeptingentorum florenorum mercator Amſtelodamenſis ſtatuerat. Uterque lapis evidenti amaritie gaudet, quam etiam aquæ, cui immittitur, communicat. *Malaccenſis* mox ovatam, mox rotundam figuram habet, utrinque compreſſam. colorem corneum cum rufo mixtum, ſuperficiem lævigatam, ſplendentem, aqua, ſi ipſi affricatur, aliquid viſcidi, in modum ſaponis ſiſtit. *Zeylanicus* quem poſſideo, coloris nigricantis eſt, conſiſtentiam habet, qualem ſolent habere ſucci inſpiſſati, quorum quoque in modum ſuperficies extima in ſquammas dehiſcit, quas Auctores tunicas ſolent appellare, ſapore gaudet amariſſimo, quem etiam aquæ communicat, unam circiter unciam pondere æquat, pro eo trecentos florenos ſolvi.

Dicitur reperiri in veſicula fellea ERINACEI, qui duobus dentibus inciſivis in utraque maxilla gaudet, quibus etiam canini accedunt: *Malaccenſis* L. auriculis pendulis diſtincti. Aſiæ civis.

Luxurians gentium Orientalium ingenium, huic lapidi maximas ad vincenda venena adſcribit vires, illum deinde Europæi ad omnes febres malignas & exanthematicas multum facere aſſerebant, accedebat his auctoritas ab enormi ejus pretio ſurgens, & molimina eorum, qui eos poſſidebant, ut ſibi de quæſtu bene proſpicerent: fateor me non poſſe perſpicere, quod calculus felleus Erinacei præ aliis debeat aliquid proprii habere, & quod bili inſpiſſatæ, cui particulæ terreſtres accreverunt, adeo inſignes inſint vires, quales ab hoc calculo in febribus malignis DECKER, RAYGER, BEHRENS &c. obſervationibus probare ſunt anniſi, morbus a Natura victus non raro remedio creditur ceſſiſſe, quod eo tempore dabatur, quando ejus cauſa a Natura fuit ſuperata.

Dantur aliquot grana pro doſi, aut integer lapis alicui aquæ deſtillatæ per horæ quadrantem immittitur & infuſum exhibetur.

Ægagropilarum quoddam genus rotundum, fuſcum, valde leve, cujus diameter ſeſqui pollicem circiter æquat, in animalis ventriculo reperiri dicitur, & ſub nomine *Lapidis hyſtricis ſpurii* a curioſis aſſervatur.

§. 25.

II. AROMATA.

Vegetabilium partes ſolidæ, quæ linguam acri & calefaciente ſapore afficiunt, & evidenti ſapore nares ſtringunt, dicuntur *Aromata*, roborant iſta fibras irritando & fragrantia, qua pollent, vim nerveam intendendo. Cum eorum uſu cor & arteriæ ſtimulentur, hinc *Calefacientibus* adſcribuntur, dum ſanguinem ſolvunt & ejus motum intendunt, ſudorem movent, ab hac earum vi, & a virtute, qua gaudent, antiſeptica *Alexipharmacis* ſolent annumerari. Abuſus aromatum circulationem augendo febres acutas gignit, primas vias rigidas & torpidas reddit, proprio acrimoniæ genere humores inficit. Cum eorum vis ab oleo odorato, quo ſcatent, pendeat, hinc patet, quomodo ſub forma concentrata poſſint dari, & quod vinum & ſpiritus vini ſint optima menſtrua, quando eadem ſub ſpecie Infuſorum exhibendi animus eſt. Ob gratiam, qua gaudent, & vires ſtomachicas æque ac carminativas quas habent, creberrime tanquam condimenta cibis adduntur. Indicantur præcipue 1) cum ſpiſſitudo frigida obtinet, 2) quando debilitas a vi muſculari imminuta originem ducit, 3) in debilitate viſcerum, 4) in evacuationibus nimiis primarum viarum. Extus in uſum trahuntur, ad diſſipandos humores, in inflammatis, contuſis, ſugillatis, œdematoſis, rheumaticis, arthriticis, contuſionibus capitis &c. nec non ad membra reſoluta.

* Abrotanum, ἀβρότανον ἄῤῥεν, *Aurone*, *Stabwurzel.* Ejus aſſervamus cauliculos herbaceos, foliis ſetaceis, albis obſeſſos, forti & grato odore, nec

non ſapore aromatico proprio inſtructos, cui aliquid amari accedit.

Artemiſia Abrotanum L. BLACWELL 555. Caule fruteſcente erecto & foliis ſetaceis diſtinguitur.

Sponte in Europa Meridionali creſcit, apud nos in hortis colitur & optime noſtras hyemes fert.

Extracti aquoſi $\frac{1}{3}$ fere, $\frac{3}{8}$ ſpirituoſi efficacis largitur. CARTHEUSER. Valde exiguam quantitatem Olei odorati. LEWIS.

Ad peripneumoniam ab HIPPOCRATE laudatur, calefacere, vermes necare, incidere, digerere, diſcutere jam a GALENO eſt obſervatum, qui autem minus bene monet, ſtomacho inimicum eſſe, & ejus cinerem cum oleo ſubactum ad alopæciam, & promovendum crinium incrementum conducere; raro hodie in uſum trahitur, non quod iners ſit, ſed quod per ſeculi mores, alia, quibus ſimiles vires ſunt, medicamenta uſurpantur. Laudatur ad fugandos cimices.

* *Oleum coctum* SCHROED. melius per infuſionem paratur.

* *Montanum* ἀβρότανον θῆλυ, *la Garde robe*: inde recipiuntur cauliculi teneri, cum foliis anguſtis, dentatis & albentes, odore grato, ſapore levi, aromatico & amaricante inſtructis.

SANTOLINA. Flores compoſitos tubuloſos, calice imbricato, hemiſphærico ſuſtentatos, receptaculum paleaceum, ſemina nuda habet: *Chamæcypariſſus* L. foliis dentatis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, noſtras hyemes non fert.

Priore vires remiſſiores habet.

ABSYNTHIUM PONTICUM vid. *Amara*.

AGNUS CASTUS vid. *Adſtringentia*.

* AMMI, ἄμμι, κύμινον αἰθιόπικον? proſtant hoc nomine ſemina exigua, ovata, gryſea, ſulcata, inodora,

ſapore aromatico & amaricante inſtructa; hæc ſemina, præeunte LOBELIO, a Creta denominantur. * *Ammi Vulgaris* ſemina, exigua ſunt, fuſca, ſtriata, ſapore leviſſime aromatico, odore nullo inſtructa.

Prius nobis exhibet *SISON*, quod flores umbellatos habet, involucrum utrumque pauci folium, ſemina ovata ſtriata: *Ammi* L. foliis decompoſitis, illis quæ vaginam petiolarem terminant, reliquis longioribus diſtinguitur.

Creſcit in Italia, ubi Seculo XVI innotuit.

Alterum deſumitur ab *AMMI* quod floribus umbellatis, involucro utroque polyphyllo, univerſali pinnatifido & ſeminibus ſtriatis gaudet: *Majore* L. cujus foliorum inferiorum pinnæ laciniatæ ſunt, ſuperiorum lineares.

Creſcit in Europa Meridionali, eadem, cum priori æra annotata.

Prius modicam Olei odorati quantitatem fundit, $\frac{1}{5}$ fere Extracti ſpirituoſi, totidem aquoſi. CARTHEUSER. Non parvam quantitatem Olei, Extractum aquoſum amarum, ſpirituoſum aromatico ſapore gaudens. LEWIS.

Creticum vulgari efficacius eſſe, monent Auctores, ad movendam urinam a GALENO laudatur, ad morbos ventriculi ab aliis.

AMOMUM, ἄμωμον, illud Veterum nos latet omnino, Pariſini ejus in locum Cardamomum ſubſtituunt, vulgo, præeunte CLUSIO, ſub nomine Amomi recipiuntur Fructus, variæ magnitudinis, piſis crebro majores, badii, rotundi, umbilico notati, rugoſi, biloculares, in utroque loculo ſemen utrinque depreſſum, uniforme, fuſcum, rotundum includentes, ſapore acri caryophyllos & cinamomum referente, ſimilique odore inſtructos.

MYRTUS. Corolla pentapetala regulari, calice quinquefido ſuſtentata, polyanthera, monogyna,

bacca triloculari, calyce umbilicato gaudet: *Pimenta* L. BLACWELL 355. Calyce duplici, corolla tetrapetala, fructu biloculari distinguitur. Non male a BROWN ad *Caryophyllum* videtur referri.

Jamaicæ indigena planta.

Baccæ, antequam plenariam maturitatem induerint, colliguntur & in sole exsiccantur.

Largiuntur Oleum in aqua subsidens, ad oleum Caryophyllorum accedens, Extractum aquosum iners, spirituosum aromaticum. LEWIS; Olei proxime ad oleum Caryophyllorum accedentis $\frac{1}{16}$, Extracti aquosi fere inertis ultra $\frac{1}{4}$, spirituosi viridis ultra $\frac{1}{8}$. NEUMANN. Olei $\frac{1}{256}$ CARTHEUSER.

In Anglia crebro, loco aliorum aromatum ad condiendos cibos adhibetur.

Ratione virium, medium inter anthophyllos & caryophyllos locum videtur tenere.

ANETHUM, ἄνηθον, *Anet*, *Dyll.* Prostant ejus Semina, ovata, fusca, flavo margine marginata, una facie levissime convexa & evidentius striata, altera plana & obscurius striis notata, odore leviore, sapore aromatico instructa.

* *Herba* constituitur a foliis glaucis, tenuissime dissectis, odore gravi, sapore aromatico instructis.

ANETHUM. Flores umbellatos habet, involucrum neutrum, semen ovatum, striatum: *Graveolens* L. BLACWELL 545 seminibus planiusculis, marginatis distinguitur.

Sponte in Lusitania & Hispania crescit, inter nos colitur.

$\frac{1}{16}$ Olei odorati inde obtinui, ad ejus infusionem melius spiritus vini quam aqua recipitur. LEWIS.

Herbam olim ad condiendos cibos recipiebant. Semen HIPPOCRATES ad morbos pectoris maxime adhibuit, ad usus carminativos laudatur, in cohibendo singultu a DIOSCORIDE commendatur, & egregias inde

vires vidit FORESTUS. Non raro illius carboni injecti fumum, odontalgia laborantes ore hauriunt.

* *Oleum coctum* ex herba GALENUS, ad conciliandum somnum, & digerendi ergo præscribit: * *Oleum destillatum* VAL. CORD. * *Oleum ex seminibus expressum* habent Parisini.

ANISUM, ἄνισον, *Anis.* Semen quod hoc nomine inter nos asservatur ab illo Veterum differt omnino. Est illud rotundum, & cum ut plumbum duo grana cohærentia occurrant, hinc ventricosum solet prostare, striatum præterea est, cinereum, odore proprio suavi instructum, sapore evidenter dulci cum levissima acrimonia.

PIMPINELLA. Flores sistit umbellatos, petalis cordatis efformatos, involucro neutro sustentatos & semina striata: *Anisum* L. BLACWELL 374 foliis radicalibus trifidis distinguitur.

Sponte provenit in Ægypto & Syria, apud nos large in agris colitur, largissime in Thuringia, nec non apud Turonenses Galliæ & in Hispania, quod ultimum ab Alona denominatur, reliquis minus & magis aromaticum.

Omnem odorem & saporem spiritus vini inde recipit, Olei destillati $\frac{1}{18}$, expressi $\frac{1}{16}$. LEWIS. Olei destillati $\frac{1}{32}$ circiter NEUMANN. Ego olei destillati $\frac{3}{85}$, expressi, viridis $\frac{1}{16}$ obtinui. CARTHEUSER Extracti aquosi inertis $\frac{1}{3}$, spirituosi efficacis $\frac{1}{10}$ fere.

Multum extollitur ob vires, quibus pollet, humores spissos attenuandi, ventriculum roborandi, & flatus discutiendi, non raro cibis tanquam condimentum adjicitur, sæpe quoque scopo carminativo catharticis validioribus admiscetur. HEURNIUS observavit ejus scrupulo uno, recens natos egregie purgari.

Aqua destillata VAL. CORD. efficax omnino: *Oleum destillatum* VAL. CORD. thermometro ad gradum temperatum descendente, substantiam albam

cryſtalli in modum pellucentem ſiſtit, magna quantitate in Thuringia paratur, & inde late per Europam devehitur; minor illi quam aliis odoratis, acrimonia ineſt, non modo intus datur, ſed etiam extus; ſcopo carminativo uſurpatur cum ſucceſſu, tumoribus a contuſione ortis inunctum citam opem ferre, obſervavit FORESTUS. * *Oleum expreſſum* CHARAS vix in uſum trahitur: *Spiritum abſtractitium* pro remedio polychreſto ad diſcutienda tormina adhibent, multum ejus Manhemio ad nos adducitur, & ſub titulo *Mannheimer-Waſſer* proſtat: * *Confectio Aniſi ſimplex* SCHROED. * *Confectio Aniſi laxativi* Auguſt. variæ ejus compoſitiones in variis Diſpenſatoriis proſtant. omnes reſinoſa recipiunt, medicamentum incertum omnino. *Elæoſaccharum* Auguſt. frequentiſſimo in uſu eſt ad tormina infantum. * *Balſamum ſulphuris Aniſatum* MYNSICHT. differunt præſcriptiones ratione ſulphuris ad oleum, nauſeoſum medicamentum prudentiores negligunt: *Spiritus ſalis Ammoniaci Aniſatus* Hamburg. ad affectus pectoris & inteſtinorum, cum reſolventia & roborantia indicantur, præſcribitur: * *Species Dianiſi* MYNSICHT. congeries plurium aromatum, quæ ad reſtituendas vires primarum viarum a mucoſis humoribus dejectas facit.

ANISUM STELLATUM Recent. *Anis de la Chine*, *Stern-Anis*. Hoc nomine proſtant fructus ex pluribus, ad octo uſque, capſulis efformati, fuſcis, oblongis, inferne convexis, ſuperne apertis, in figuram ſtellæ horizontaliter connatis, non raro inæqualibus, compreſſis, quælibet capſula continet ſemen rotundum, quod ſub cortice ſplendido, ſpadiceo, fragili, nucleum album condit, proprio odore & ſapore aromatico dulci inſtructum.

ILLICIUM. Corolla polypetala irregularis, calice quinquefido ſuſtentata, polyanthera, polygyna; fructus,

ctus, capſulæ ad duodecim uſque, in formam ſtellæ concretæ. *Aniſatum* L. floribus flaveſcentibus diſtinguitur.

Hæc arbor in Japonia & Florida creſcit.

Primus CLUSIUS ſeminis Aniſi ſtellati mentionem facit, & refert illud ſub finem Seculi XVI in Europam ex Inſulis Philippinis fuiſſe allatum. ELSHOLZ illud multo in uſu apud Ruſſos eſſe tradit, & ab eis *Badiani* appellari monet.

Oleum odoratum fundit, Extracti aquoſi $\frac{1}{2}$ circiter inertioris, ſpirituoſi aromatici $\frac{1}{4}$. CARTHEUSER.

Laudatur a vi aromatica, carminativa, fœtorem oris corrigente. Proſtant interdum * Cortices convoluti, qui digiti craſſitiem & dimidii pedis longitudinem habent, rugoſi, gryſei, ſapore aromatico, cui dulcedo jungitur, ſimilique ſapore, inſtructi, quos *Cortices Lavola*, vel *Seminis Aniſi* appellant.

ANTOPHYLLI vid. *Caryophilli.*

ARISTOLOCHIA LONGA vid. *Amara.*

ARTEMISIA, *Armoiſe*, *Beifus.* Ejus folia ſunt pinnata, pinnis latiuſculis, dentatis, inferne tomentoſa, ſapore aromatico inſtructa.

Artemiſia Vulgaris L. BLACWELL 131. caule herbaceo, foliis pinnatifidis inciſis & floribus erectis diſtinguitur.

Copioſe creſcit per omnem Europam, nec non in Aſia.

Oleum odoratum inde BAYER obtinuit: Extractum aquoſum amarum, leviſſime ſapidum, ſpirituoſum aromaticum inde educi teſtatur LEWIS, utrumque iners eſſe, aſſeverat CARTHEUSER.

Artemiſiam ad pellenda ea quæ utero continentur, facere contendit HIPPOCRATES, unquam autem abortum inde excitatum fuiſſe, ut AMMANN contendit, dubito, ZACUTUS ejus infuſi ope, menſes per decennium obſtructos curatos fuiſſe teſtatur.

* *Moxa* qua gentes Orientales membra eorum, qui morbo articulari laborant, curare ſolent, eſt tomentum ab Artemiſia probe exſiccata & trita remanens, quod digitorum ope in turundam formant; hoc medicamentum non tam ratione Artemiſiæ, quam quia cauterium eſt, operatur.

* *Aqua deſtillata* NIC. PRÆPOS. * *Extractum* Wurtemb. Utrumque medicamentum iners, * *Syrupus ſimplex* Pariſienſium. * *Syrupus compoſitus* FERNELII, etiam auctus apud Pariſinos occurrit, Wurtembergenſes ſequuntur Auguſtanos: * *Oleum deſtillatum* SCHROED.

* CALAMINTHA, *καλαμίνθη*, *Calament*, *Bergmünze.* Recipimus inde Folia petiolata, ex ovatis-oblonga, hirſuta, evidentius crenata, quæ exſiccata parum odoris & ſaporis aromatici habent.

MELISSA. Calice bilabiato quinquefido ſuſtentat corollam labiatam, cujus labium ſuperius fornicatum eſt, inferius trifidum, lacinia media majore: *Calamintha* L. BLACWELL 166 flore parvo, foliis minoribus, minus acutis differt. Creſcit in Europa Meridionali, Helvetia & Anglia.

Proſtant interdum folia *Meliſſæ Nepetæ* L. pedunculis axillaribus, dichotomis, folia excedentibus, diſtinctæ, quæ minora ſunt, magis ovata, magis odorata & ſapidiora.

In iiſdem cum priori locis creſcit.

Oleum odoratum fundit, Extractum aquoſum iners eſt, ſpirituoſum aromaticum. LEWIS.

Vires reliquarum plantarum aromaticarum habet, a meliſſa & mentha depreſſa, exſolere cœpit, cum Ill. HALLER a Meliſſa Nepeta veſicas excitari viderit, hinc ea præ reliquis propius ad Calamintham Veterum accedere videtur.

CALAMUS AROMATICUS Barb. Ἄκορος Veterum, *Calmus.* Proſtant hoc nomine Radices longæ, com-

pressæ, lineis longitudinalibus & transversis, nec non tuberculis notatæ, quæ exsiccatæ, extus ex flavo rubent, intus albæ & fungosæ sunt, fractu faciles, odore gaudent grato & aromatico, sapore amaro, linguam feriente.

Acorus L. BLACWELL 466. Spadice amentaceo, flores hexapetalos, isantheros, monogynos, in capsulas triangulares abeuntes gerit.

In Europa, præter maxime Septentrionalem multum occurrit, ultra Alsatiam in Galliam non ascendit.

* Radices tenuiores interdum prostant rufescentes, odore jucundiore, sapore leviter amaro, aromatico, minus acri instructæ, ex varietate Acori in India Orientali & China Septentrionali crescente desumtæ, & has *Radices Acori veri* solent appellare.

Olei odorati vix $\frac{1}{128}$, ultra $\frac{3}{16}$ Extracti spirituosi multum aromatici, $\frac{1}{2}$ fere aquosi inertis largitur NEUMANN. Extracti aquosi $\frac{3}{8}$ fere, $\frac{1}{4}$ circiter spirituosi CARTHEUSER. Spiritus vini a radice Calami abstractus parum sapidus & odoratus inde evadit. LEWIS.

Vi multum resolvente & primas vias roborante gaudet, hinc in affectibus ventriculi maxime, in obstructionibus mensium cachecticarum, morbis pectoris pituitosis, multum laudatur, lotii suppressione laborantes eodem FALLOPIUS curavit; ad drachmam dimidiam in hæmorrhagiis internis exhibitum, egregios effectus edidisse LE BEAU observavit.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. * *Oleum destillatum* VAL. CORD. * *Electuarium de Acoro* SCHROED. minus bene Pseudacorum recipit, ex magna farragine medicamentorum aromaticorum concinnatum, & ad roborandas primas vias laudatum: * *Extractum* spirituosum & aquosum commixta, Wurtembergenses asservant: * *Conditum* SYLVII *Confectio* SCHROED.

* CARDAMOMUM, καρδάμωμον, hoc nomine occurrunt Folliculi sicci, ventricosi, trifido septo

intus diſtincti, ſeminibus angulatis, aromaticis fœti.

Majus L. BLACWELL 385 & 584 appellantur folliculi oblongi, aliquot pollices longi, turbinati, ſuperne apertura lacera hiantes, cinereo-rufi, ſtriati, tenaces, quæ ſemina includunt coriandro non minora, ſub cute ex cinereo-ferruginea medullam albam vehentia, ſapore acri, ad camphoram accedente, linguam ferientia, ſingula ſepti productionibus involuta.

Ex Syria, Malabaria, Ægypto & littore Orientali Africæ ad nos adducitur, creberrime cum folliculo Granorum Paradiſi confuſum.

Olei eſſentialis ex albo virideſcentis, $\frac{1}{43}$ circiter, Extracti aquoſi ad caryophyllorum ſaporem accedentis $\frac{1}{5}$, Extracti ſpirituoſi parum aromatici $\frac{1}{12}$ largitur.

Rotundum, *Javanicum*, *Medium* LOBEL. Figura & magnitudine avellanas refert, in tres angulos obtuſos diſtinguitur, extremitas ſuperior parum eminet, neutiquam hiat, folliculus fragilis eſt, color plus minus flavus, ſemina angulata, cinerea, fuſca, intus alba, ſuavem odorem ſpirant, ſapor aliquid amari habet, evidenter ad Camphoram accedit.

Ex Java & Malacca nobis mittitur.

Extracti aquoſi, ſpiculis ſalinis diſtincti, butyrum Cacao ſapientis $\frac{1}{4}$, ſpirituoſi inertioris $\frac{1}{32}$, olei odorati pellucidi $\frac{1}{16}$ fere fundit.

Zeylanicum, *Majus* CLUS. *Medium* MATTHIOL. ſiſtunt folliculi triquetri, unciales, apice acuto, fuſco inſtructi & ſeminibus badiis, rugoſis, anguloſis, odore ſuavi, ſapore amariuſculo, minus quam antecedentium acri, gaudentibus.

Ex Ægypto, Perſia, India & Java, in Europam fertur.

Olei odorati, ſpiſſiuſculi, dulciuſculi $\frac{1}{192}$, Extracti aquoſi, inodori, ſpiculis ſalinis diſtincti $\frac{1}{12}$, ſpirituoſi acris & aromatici $\frac{1}{20}$ exhibuit.

In Germania præcipue uſurpatur.

Minus, *Malabaricum*, *Majus* C. B. Folliculos semiunciales circiter habet, subflavos, levissime striatos, in tres angulos distinctos, papilla in apice coronatos; semina angulosa sunt, rugosa, subrufa, sapore & odore Camphoræ propiora. Desumitur ab

Amomo. Corolla quadrifida irregulari, calice trifido sustentata, monanthera, monogyna, capsula triloculari gaudente: *Cardamomo* L. BLACWELL 584 & 585 scapo simplicissimo & bracteato distincto.

In Malabaria & Zeylana crescit.

Olei odorati pellucidi $\frac{1}{26}$, Extracti aquosi omnis aromatis expertis, salini $\frac{1}{4}$, spirituosi aromatici $\frac{1}{16}$ inde extraximus: NEUMANN Olei odorati $\frac{1}{24}$, Extracti aquosi $\frac{1}{21}$, resinosi $\frac{1}{32}$: CARTHEUSER autem Extracti aquosi $\frac{1}{8}$, resinosi perparum; LOESECKE Olei odorati $\frac{1}{12}$.

Reliqua Cardamoma, quæ unquam in usum recepta fuisse non novi, mitto, id saltem adhuc monens quod Cl. HERMANN evicerit, PLINIUM primum Zeylanici meminisse, rotundum a DIOSCORIDE & GALENO intelligi, quando simpliciter de Cardamomo præcipiunt, majus autem ab Arabibus.

Medicamentis uterinis HIPPOCRATES Cardamomum adscribit, a DIOSCORIDE roborandi ventriculi ergo laudatur, nec non ad movendam urinam & necandos vermes, quos etiam effectus ab indole ejus aromatica jure expectamus, & præcipue quidem a rotundo; extus discutiendi scopo, nec non tanquam masticatorium, ut fœtorem oris corrigat, solet adhiberi.

Oleum Cardamomi Majoris sub nomine OLEI CAJEPOET in officinis prostat, ejus inter primos LOCHNER, undecim circiter retro lustris, meminit, videtur succedaneum esse olei, quod apud Indos ex foliis *Melaleucæ Leucodendræ* L. quam ipsi Cajepoet dicere solent, paratur, illud ad cephalalgiam, odontalgiam, retrogressa exanthemate & apoplexiam, egregium me-

dicamentum BEYER eſt expertus. In *Commercio Norico*, valide inde ſudorem moveri, convulſiones, epilepſiam, catalepſin mitigari, ab una aut altera ejus gutta, goſſypio excepta & denti dolenti immiſſa, odontalgiam ſeroſam faſcini inſtar curari, cæcitatem, podagram retropulſam, cardialgiam curari obſervationibus probatur, Cl. RAMSPECK eximios inde effectus in morbis convulſivis & vertigine vidit: * *Oleum deſtillatum Cardamomi* VAL. CORD. * *Eſſentia* Brandeb.

CARUM, *κάρον*, *Carvi* LONICER. *Carvi*, *Mattenkümmel.* Semina exhibet convexo-concava, incurva, oblonga, ſtriata, ſubnigricantia, odore & ſapore proprio, aromatico, ſuavi inſtructa.

CARUM L. BLACWELL 529. Involucrum nullum, flores umbellatos fere regulares, ſemina oblonga, ſtriata habet.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Meridionalem, occurrit adhuc in Lombardia; hinc inde colitur.

Spiritus vini inde plus ſaporis, aqua plus odoris recipit, Extractum ſpirituoſum aromaticum, gummoſum fere inſipidum eſt, Oleum odoratum $\frac{1}{30}$ æquat. LEWIS. Ego inde ſaltem $\frac{1}{64}$ obtinui, CARTHEUSER ultra $\frac{1}{6}$ Extracti ſpirituoſi, aquoſi autem $\frac{3}{16}$ fere.

Radices olim ad uſus alimentarios recipiebantur, eas ad urinam ciendam; & flatus pellendos GALENUS commendat, illis ſcopo medicato efficaciora hodie ſubſtituuntur ſemina, puellas Suecicas inde pallidas reddi, monet Illuſtris LINNÆUS, & illud in tertiana non floccifaciendum eſſe; noſtrates ejus aliquot pugillos ex jure carnium coquunt, & inde in colica flatulenta egregios experiuntur effectus, idem, more apud Veteres jam uſitato, cibis flatulentis adjicitur, ſed a ſemine paulo acriore caveant ſibi homines ſenſibiliores. Clyſmata carminativa, nec non epithemata diſcutientia non male ingreditur.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. * *Oleum expressum* Paris. *Oleum destillatum* VAL. CORD. Ob evidentem acrimoniam rarius interne usurpatur, externe ad unguenta & clysmata carminativa recipitur.

* CARYOPHYLLATA Barb. *la Bénoite*, *Benedictenwurzel.* Exhibet Radices quæ ex capite crassiusculo, fibras emittunt capillares, extus rufas, intus albas, odore ad caryophyllos aromaticos accedente, & simili sapore, qui aliquid adstringentis linguæ imprimit, instructas.

GEUM. Calice decemfido, sustentat corollam pentapetalam regularem, polyantheram, polygynam, gymnospermam: *Urbanum* L. BLACWELL 253, seminibus caudatis, uncinatis, floribus erectis & foliis lyratis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Oleum destillatum album, spissum, fragrans, Extractum aquosum leniter adstringens, spirituosum aromaticum & adstringens largitur. LEWIS ultra $\frac{1}{6}$ Extracti aquosi subministrat.

Potius a vi adstringente, quam ab aromatica videtur esse dijudicanda, hanc tamen non omnino negligendam esse ex Ill. HALLER observatione patet, qui inde in febre maligna deliria excitata fuisse vidit, & OVELGUN ejus vim aphrodisiacam attestantis; ab Ill. LINNÆO post PARACELSUM ad conservandam cerevisiam laudatur. Extus discutiendi scopo adhibetur.

CARYOPHYLLI Græcorum recentiorum, neutiquam PLINII *Cloux de Geroffles*, *Nægelein:* sunt germina, quæ aliquot pollicum longitudinem habent, inferne obtusa, superne in quatuor lacinias æquales dissecta, quibus creberrime globulus, ex quatuor petalis convolutis constans, insidet, floris rudimentum, rugosa, rubiginoso colore tincta, saporis proprii, linguam urentis, odoris proprii fragrantissimi. Varietas, cujus latera in aliquot quasi alas producuntur *Caryophyllorum regiorum* nomine venit.

Pinguiores, acriores, & qui preſſi humidum pingue digitis affricant, eligendi ſunt.

Carpuntur hæc germina, antequam florem dimittunt, menſibus Octobre & Novembre, collecta per aliquot dies fumo exponuntur, unde colorem rufum contrahunt, deinde in ſole exſiccantur, & inde illum inducunt colorem, quo ad nos mittuntur.

Caryophylli, quando arbori relinquuntur, ut matureſcant, abeunt in fructus, qui exſiccati, noſtras officinas intrant, & dicuntur. ANTOPHYLLI MYREPSI *Caryophylli mares* AVICENNÆ *Meres de Geroffles, Mutternægelein*, unciam circiter longi, ventricoſi, utroque extremo parum anguſtati, inferne exiguo pedunculo inſtructi, ſuperne umbilico quadrifido coronati, in cujus medio exiguus ſtylus conſpicitur; ſub eorum cortice fuſco & tenui hæret ſubſtantia nigra, ſplendens, ſinu longitudinali in duos lobos diviſa, odore & ſapore caryophyllorum, ſed remiſſioribus gaudent.

CARYOPHYLLUS L. BLACWELL 338. Corollam tetrapetalam habet, calice quadrifido ſupero ſuſtentatam, polyantheram, monogynam, capſulam umbilicatam, monoſpermam.

Arbor, quæ olim in omnibus Moluccis copioſe creſcebat, ex conventione Belgarum cum Rege Ternatenſi anno 1652 pacta, ubivis deſtructa, hodie nonniſi in Amboina colitur. In Tartaria quoque creſcere dicitur.

Caryophylli, olei limpidi $\frac{7}{32}$ fundunt, quod integris minus acre eſt, Extracti ſpirituoſi acerrimi, minus odorati $\frac{1}{4}$; ſpiritus vini inde minus odoris, ſed plus ſaporis quam aqua, recipit. LEWIS, Olei odorati $\frac{1}{7}$ circiter, Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{8}$ & paulo majorem quantitatem aquoſi CARTHEUSER obtinuit: NEUMANN olei odorati $\frac{1}{7}$, Extracti aquoſi $\frac{5}{12}$ circiter, ſpirituoſi $\frac{5}{16}$.

Caryophylli fragrantia ſua, modum ſpirituum augent, acri, quo pollent ſapore, fibras ſtimulant, & hinc non male tanquam condimenta cibis adjiciuntur, ad morbos præterea, a primis viis debilitatis, aut muco ſpiſſo oriundos, apprime adhibentur. Probe autem circa eorum uſum cavendum, ne acrimonia aromatica inde excitetur. Dantur ad ſcrupulum dimidium & in Infuſis ad drachmam unam. Extus ad epithemata ſtomachica recipiuntur.

Oleum deſtill. WECKER gratiæ ergo aliis medicamentis adjicitur, & ad oſſa carioſa maxime adhibetur. * *Aqua deſtillata* SCHROED. minus bene eviluiſſe videtur. * *Conditum* VAL. CORD. ex India ad nos adducitur.

Antophylli, quorum primus AVICENNA meminit, eaſdem vires cum Caryophyllis habent, ſed remiſſiores.

CASCARILLA Recent. hoc nomine veniunt Cortices in tubos convoluti, aliquot pollices longi, lineam craſſi, extus rugoſi, cinerei, intus nigri, odore proprio, ſapore amaricante, acriuſculo, aromatico inſtructi, & qui accenſi odorem non ingratum ſpirant.

Deſumuntur hi cortices fide Ill. LINNÆI a

CROTON. Planta relativa monophyta, cujus mares corolla interdum pentapetala gaudent, ſimili calice ſuſtentata, nectario ornata, diplos-interdum polyanthera, ſtaminibus connatis; feminarum corolla maſculinæ ſimilis eſt, trigyna, capſula triloba, trilocularis: *Caſcarilla* L. foliis lanceolatis, acutis, ſubtus tomentoſis diſtincta.

Creſcit arbor in America Meridionali, præcipue in Peru.

Extracti reſinoſi $\frac{5}{8}$ BOULDUC inde obtinuit, HOFFMANN olei odorati $\frac{1}{128}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{5}$, Extracti aquoſi ultra $\frac{1}{6}$; CARTHEUSER Extracti aquoſi inertioris $\frac{1}{3}$ circiter, ſpirituoſi autem parum ſapidi $\frac{7}{24}$; Ego $\frac{1}{4}$ extracti aquoſi & ultra $\frac{1}{32}$ olei odorati.

Primus STISSER sub finem seculi superioris, nostri corticis tanquam novi medicamenti, quod in Anglia, nicotianæ, cujus fumum hauriunt, adjicere solent meminit, & addit, suo tempore eundem pro cortice Chinæ venditum fuisse, id quod etiam DE LA CONDAMINE testatur, qui ipsum corticem Chinæ, in regno Peruviano Cascarillam dici, refert, quod ab Hispanis factum non miramur, qui omnem tenuem corticem, *Cascarilla*, suo idiomate solent appellare. Ex hoc homonymia ortus error, APINUM seduxit, ut febre epidemica annis 1694 & 1695 grassante, hunc corticem ad fugandas febres adhibuerit, illum deinde omnis secta Stahliana, pro summo, quo corticem Chinæ prosequebantur, odio, est secuta; nec medicamentum valide resolvens in vario febrium genere Medicorum spem frustrare, facile largior, sed omni experientiæ refragrantur illi, qui corticem Cascarillæ æque universale febrifugum esse ac cortex Chinæ contendunt. Cascarilla ratione vis valide resolventis, cui roborans accedit, ad morbos pectoris cum successu adhibetur, eandem in dysenteria, hæmorrhoidibus, malo hypochondriaco & hysterico conducere observavit BOULDUC. Datur ejus pulvis ad scrupulum unum.

* *Aqua destillata* Paris. efficax omnino. * *Essentia* Brandeburg. *Extractum aquosum* Parisini, spirituosum & aquosum mixta Wurtembergenses, aquosum & vinosum Nostrates habent, omne ipso cortice minus efficax est. * *Syrupus* Paris.

* CASIA CARYOPHYLLATA PISON. *Canelle geroflée*, *Nægeleiu Rinde*; hoc nomine prostant cortices aliquot pollices longi, tenues, semi convoluti, extus dilutiores, hinc inde lichene albo obsessi, intus fere nigri, odore & sapore caryophyllorum, sed remissioribus, instructi.

Myrtus Caryophyllata L. pedunculis trifido multifloris & foliis obovatis distinguitur.

Arbor Indiæ indigena & in Americæ Martinica, Guadelupa & Grenada occurrit. Ill. JACQUIN eam odorem laurinum, non caryophyllaceum, habere, asserit.

Hic cortex medio seculi superioris adhuc, nonnisi in collectionibus curiosorum occurrit.

Cum aqua & spiritu vini se in modum Caryophyllorum gerit, Oleum destillatum vehit illo Caryophyllorum acrius LEWIS. Ex integra libra corticis, nonnisi aliquas miculas Olei aquæ innatantis obtinuit CARTHEUSER, qui ex hoc cortice præterea vix $\frac{1}{8}$ Extracti spirituosi, valde acris & $\frac{1}{16}$ aquosi, non aromatici accepit.

Ratione virium ad Caryophyllos accedit, quorum pulveri quoque non raro, augendi quæstus ergo, adjicitur.

* CASIA LIGNEA, *Arab.* ξυλοκασία MYREPSI, *Mutterzimmet.* Ita appellantur Cortices, qui pollicis circiter latitudinem habent, antecedentibus parum crassiores, mox plani, mox in tubos convoluti, colore obscuriore cinamomeo, sapore & odore cinamomi, sed multo remissioribus, instructi; masticati evidentem viscedinem linguæ imprimunt.

Varii alii cortices, insuper sub Casiæ ligneæ nomine, apud Auctores, interdum quoque in tabernis occurrunt, videtur in universum, varias Lauri species cortices habere cinamomeo odore & sapore instructos, hos omnes Casiæ ligneæ nomine solent insignire, illum, qui inter nos prostat, ajunt desumi a

LAURO, corolla hexapetala, enneanthera, nectario instructa, monogyna, fructu drupa, nuce fœta gaudente: *Cassia* L. foliis trinerviis, lanceolatis distincta. Arbor Indiæ Orientalis.

Ex integra libra CARTHEUSER ne guttulam quidem Olei obtinuit, idem inde Extracti aquosi multum mucilaginosi, parum aromatici, salini $\frac{1}{5}$ circiter, spirituosi quoque debilis fere totidem separavit.

In Malabaria, insulis Asiaticis, Philippinis maxime crescit.

Cinnamomo multo debilior cortex hodie vix ulterius in usum trahitur.

* CATARIA Barbar. *Nepeta* PLIN. *l'Herbe aux Chats, Katzenkraut.* Recipiuntur ejus Folia tomento obsessa, profundius crenata, ex ovatis in acumen protensa, proprio odore & sapore minus gratis instructa.

NEPETA. Corollam labiatam habet, cujus labium superius emarginatum est, inferius trifidum, lacinia media majore, calice bilabiato sustentatam: *Cataria* L. BLACWELL 455. floribus spicatis, pedunculatis & foliis integris gaudet.

Crescit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Parum Olei odorati fundit, Extractum spirituosum gratum est. LEWIS.

Laudatur ad morbos uterinos, chloreticis ab Illustri LINNÆO commendatur, ejus in locum Pulegium succedit.

CHÆROPHYLLUM vid. *Olera.*

CHAMÆPITYS vid. *Amara.*

CHINÆ CORTEX Recent. *Cortex Peruvianus, Quinquina, Fieberrinde* qualis ad nos adducitur, vix digitum longitudine excedit, extus scaber est, fuscus, non raro lichene obsessus, intus lævis ferrugineus, odore proprio aromatico aliqualiter mucorem spirante, sapore amaro, evidenter aromatico, cui aliquid mucidi accedit, instructus. Rejiciendi sunt cortices evidentius amari, non convoluti, linea crassiores, minus aromatici; styptici aut viscidi aliquem sensum linguæ imprimentes; nec non illi qui extus albi, intus grysei sunt, sapore amaro, acriusculo, aromatico quidem, sed ab illo, quo genuinus gaudet, diversissimo gaudent, & *Corticis Peruviani albi* nomine veniunt.

CINCHONA. Corollam habet quinquefidam, simili calice sustentatam, isantheram, monogynam, fru-

ctum bilocularem, ſeminibus parvis fœtum, proprio receptaculo affixis: *Officinalis* L. floribus paniculatis diſtinguitur.

Creſcit in montibus Loxæ regni Peruviani.

Cortex inde omni anni tempore deglubitur, & probe in ſole exſiccatur. Si a variis Auctoribus inſtituta experimenta rimamur, $\frac{1}{3}$ circiter Extracti gummoſi & $\frac{1}{5}$ reſinoſi vehit; ego Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$ & reſinoſi $\frac{1}{6}$ obtinui.

Egregium remedium primum ab Americæ incolis uxori Comitis DE CINCHON, qui in regno Peruviano regis locum tenuit, anno 1638 fuit detectum, quæ, cum eodem in pulverem redacto a febre pertinaci convaluit, magnam ejus quantitatem inter ægrotos diſtribuit, unde *Pulvis Comitiſſæ* dicebatur, miniſterio Jeſuitarum ad hunc ſcopum uſa, hi per Procuratorem generalem Regni Peruviani in Europam reducem, ejus largam quantitatem Cardinali DE LUGOS miſerunt, in cujus primum palatio, dein in collegio Jeſuitarum Romano diſpenſabatur, hinc a *Cardinali* æque ac a *Jeſuitis* denominatur; anno 1640 Comite DE CINCHON Europam repetente, ejus Medicus largam corticis quantitatem ſecum attulit, & illum inſigni pretio vendidit; inde factum, ut quæſtu incitati mercatores cortici genuino varios alios cortices commiſcerent, & ita optimi medicamenti fama, malis artificiis malorum hominum, multum imminueretur. Interim ſemper extiterunt, qui cortice, & illo genuino, cum ſucceſſu utebantur. Schedula quædam anno 1649 Italico idiomate impreſſa, STURM Medicus Delphenſis anno 1659, BADUS Medicus Genuenſis anno 1663 publica circa ejus præſtantiam ediderunt teſtimonia. Difficultas interim Medicorum novam medendi rationem tentandi, falſa de febrium & corticis natura hypotheſes & pernicioſus mos medicamenta non ad experientiæ lucem, ſed ex theoria di-

judicandi, parca, qua medicamentum nonnisi magno pretio comparandum dabatur, dosis quam vix ad duas drachmas extendebant, ejusdem crebra præterea sophisticatio, unde spei creberrime non respondit, fuerunt in causa, ut per aliquod tempus rarior ejus fuerit usus. Ea ætate TALBOT Eques Anglus genio hominum se accommodans, corticem sub persona arcani dedit, is ipse sub *Febrifugi Anglici* titulo multum celebrabatur; LUDOVICUS XIV qui noluit summi medicamenti notitiam diutius latere, eam a TALBOT vere regia liberalitate emit, & anno 1682 publici juris fieri jussit, ex hoc tempore cortex, non obstantibus varia ratione occœcatorum clamoribus, se non in febribus modo, sed etiam in aliis morbis non tam egregium sed unicum, quo certissime vinci possint, probavit medicamentum.

Ad quinque præcipue capita corticis, Peruviani salutares effectus possunt reduci: 1) sistit dispositionem nervorum ad suscipiendos spasmos; hac ratione omne febrium genus sopit, & medetur omni morbo, qui per periodos invadit: 2) stomachicorum princeps est, primas vias roborat, & viscerum obstructiones reserat, hinc & ad icterum, & ad malum hypochondriacum, & ad hydropem debellanda egregie facit, nec non ad destruendum vermium nidum, observantibus TORTO, WERLHOFF & Cel. TISSOT: 3) roborat organa quæ sanguinis motui præfecta sunt, omne genus hæmorrhagiarum inde curatum, menses reseratos, morbos arthriticos fugatos, excretiones colliquativas sopitas, fluorem album curatum legimus: 4) specifica plane virtute, sanguinis in putredinem nisui resistit, id quod inter alios Ill. PRINGLE, TORACCA & MAUTH experimentis probarunt, primus DOUGLAS, proprio tractatu 1732 edito, ejus in curanda gangræna effectus recensuit, quos omnino edere longe pluribus exemplis in omni morborum ge-

nere, quod putredo humorum comitatur, hucusque fuit observatum, ipsas observationes, nec non illas quæ priora confirmant, non cito, cum vix non omnes Observatores essent adducendi. 5) Suppurationem egregie promovet primum observante STRIPTON *Phil. Transact.* N. 426. Vi, cujus rationem ego saltem non audeo allegare, etiam aliis humorum corruptionibus resistere, compertum est, ad crustam aphtosam separandam egregie facere, SYDENHAM, VAN SWIETEN, Ill. PRINGLE, Cl. KRATZENSTEIN testantur, spinæ ventosæ mederi Cel. DE HAEN vidit, qui post DIETRICH æque ac Cl. RITTER & VAN SWIETEN corticem in cancro mammæ exulcerato vidit efficacem. Cl. FORDYCE & FOTHERGILL, quantum in morbis scrophulosis conducat, probatum dederunt.

Qua ratione sua miracula cortex edat, non audeo decidere, id tamen nolo ignorari, illum, pessime adstringendo agere reputari, BLEGNY, a BRUNN, ALBERTINI, HOFFMANN, BERGER, LOESECKE observationibus sane constat, sub ejus usu semper aliquam excretionem augeri, id quod & ipse creberrime vidi; BRUNNER & SCHWENKE viderunt, eundem sanguinem e vena emissum rubicundiorem & fluidiorem reddere. Exhibetur optime sub forma pulveris ad drachmam dimidiam pro dosi, & datur quater de die, per omne, quo morbus urget, tempus, febres si inde fuerint profligatæ, prudenti consilio ejus usus adhuc per aliquot septimanas continuatur, & sensim dosium numerus imminuitur, non male iidem interdum alia medicamenta ad morbum facientia commiscentur, sed non raro, dum ipsi, quæ corrigentium vice fungi debent, adjiciunt, salutaribus ejus effectibus obicem ponunt. Contra gangrænam etiam majoribus & crebrius repetitis dosibus datur. Forma infusi exhibitus debilius agit, optime ad tales infusiones menstruum aquosum recipitur. Sub forma clysmatis, ad ductum HELVETII,

ano injectus, ſuas vires quoque edit, nec non ſub forma balnei, ſi in uſum trahitur, obſervante Cl. ALEXANDER. Febre per corticem curata, ſi indicatio alvum adhuc ducere ſuadet, ſine ullo recidivæ metu eccoprotica poſſunt exhiberi, licet ſecus videatur SYDENHAMO & aliis, qui illum adſtringendo agere fingunt. Cl. BEAUMÉ non male obſervat, efficaciſſimum eſſe illum corticis pulverem, unde is qui primus ſub contuſione ſurgit, quippe inertior, fuit ſeparatus.

Extractum Pariſini aquoſum habent, Noſtrates ſpirituoſum, Wurtembergenſes ambo commixta, optimum id eſt quod in modum Comitis DE LA GARAYE paratur, jam diu in Gallia ſub nomine ſalis celebratum, datur ad ſcrupulum unum uſque: * *Syrupus*, duplicem Pariſini habent, quorum alteri, præeunte LEMERY, infuſum vinoſum adjiciunt, idem quoque Wurtembergenſes recipiunt: * *Decoctum febrifugum* Pariſ. etiam ſalia recipit: * *Vinum febrifugum* Pariſ. * *Tinctura* ſive *Eſſentia* TALBOT, minus bene corticem ſpiritu vini extrahi, experientia evicit: ille ipſe ſolus, multo melius febres malignas profligabit, quam *Tinctura compoſita* HELWIGII, & multum metuo in *Elixir Antifebrili* Wurtemberg. corticis vires potius imminui, quam augeri.

CINAMOMUM, neutiquam κινάμωμον Veterum, *Canelle*, *Zimmetrinde*; cortices convolutos, prælongos, tenues ſiſtit, proprio colore fuſco, qui extus dilutior eſt, odore proprio fragrantiſſimo, ſapore grato, & cui aliquid dulcis accedit, inſtructos.

Laurus Cinamomum L. BLACWELL 354 foliis trinerviis, nervis verſus baſin coëuntibus diſtinguitur.

Creſcit in Zeylan, Malabar, Moluccis, Tartaria, Martinica Americæ.

Cortex ex arbore Zeylanica deſumtus reliquis præſtat;

ſtat: arboris radix camphoram & oleum odoratum, quod iſtam perfecte redolet, fundit.

Olei deſtillati vix $\frac{1}{128}$ largitur, quod fragrantiſſimum eſt, aureum colorem habet, & gratiſſima acrimonia, dulci juncta, linguam ferit. Extracti ſpirituoſi aromatici $\frac{1}{6}$ largitur. LEWIS. Extracti ſpirituoſi ultra $\frac{1}{8}$, aquoſi $\frac{1}{10}$ circiter. NEUMANN. Olei deſtillati $\frac{1}{64}$, Extracti aquoſi leviter adſtringentis $\frac{1}{8}$, reſinoſi $\frac{3}{16}$. CARTHEUSER.

Penetrante & fragrantiſſimo, quem ſpirat, odore evidenter in origines nervorum agit, & hinc egregie conducit in encephali & nervorum morbis a languore oriundis, datur quoque cum ſucceſſu ad roborandas primas vias, & cum mucum attenuet & vires circulationes ſtimulet, hinc opponitur morbis, quos frigidos ſolent appellare, adjicitur quoque gratiæ ergo tam medicamentis, quam alimentis.

* *Aqua Cinamomi ſimplex* GARZIÆ ab HORTO jam memorata, efficax omnino, cum oleum Cinamomi, præ omnibus reliquis pertinacius aquæ, cum qua deſtillat, adhæreat; Wurtembergenſes Aquam Ceraſorum a Cinamomo abſtrahunt: *Aqua hordeata* Pariſinis a noſtratibus prioris in locum recipitur: * *Aqua Bugloſſata* a prioribus neutiquam diverſa: * *Aqua ſpirituoſa* Pariſ. non multum differt ab *Aqua cum Vino* Colonienſ. gratiæ multum habet: * *Aqua Cinamomi cordialis* Noricorum ab aqua Bugloſſata non diverſa eſt: *Aqua Cinamom. Cydoniata* ad ſiſtendos alvi fluxus maxime commendatur; * *Aqua Cordialis temperata* Auguſtan. a ZWOELFFER jam correcta, & a Collectoribus *Pharmacopœæ Wurtemberg.* adhuc magis contracta, nimis tamen adhucdum eſt prolixa: * *Aqua Cordialis frigida* Norimberg. correctam Wurtembergenſes exhibent: cum Cinamomum habeat, neutiquam medicamentis frigidis poteſt adſcribi: * *Confectio cinamomi regia* Wurtemb. egre-

gium omnino medicamentum analepticum, & quod multum ad roborandas primas vias facit: * *Species Diacinamomi* MESUE, congeries aromatum ad morbos a viſcido primarum viarum faciens: * *Tinctura* SCHROED. gratum omnino medicamentum: *Syrupus* Auguſtan. optime ſecundum præſcriptum Noſtratium paratur: *Vinum Hippocraticum* RINODÆI, parum mutatum Noſtrates recipiunt, gratum potulenti genus vix ad uſus medicatos adhibetur: *Species Ejuſdem* tam roborandi ergo variis Infuſis adjiciuntur, quam a cauponibus uvis adduntur, quibus vinum ſuperfundunt, & ita *Rebs* parant: *Oleum Cinamomi* VAL. CORD. cum genuinum cariſſimo pretio vendatur, hinc vix non ſemper adulteratum proſtat, pertinet ad præcipua medicamenta analeptica, extus adhibetur ad oſſa carioſa; inde parant * *Balſamum* SCHROED. * *Elæoſaccharum* Auguſt. nonniſi uſus tempore præparandum: *Pulverem auratum Germanicum* ſeu *Zellenſem*. Pariſ. Wurtembergenſes ambram omittunt, Noſtrates matrem perlarum & folia auri adjiciunt, rationem olei imminuunt, remedium princeps pro refocillandis viribus cordis.

CITRI CORTICES vid. *Fructus Horæi.*

CONTRAJERVA Recent. Ejus Radices ſunt fibroſæ, plurimis fibrillis inſtructæ, tenues, parvæ, rugoſæ, foris ruſæ, intus pallidæ, ſapore gaudent ſubadſtringente, leviſſime aromatico, exiguo quoque odore.

DORSTENIA. Flores habet quadrifidos, iſantheros, monogynos, receptaculo communi tectos, quod per maturitatem carnoſum evadit, *Contrajerva* L. BLACWELL 578-581 habitu acauli, foliis pinnatifidis & pinnis ſerratis diſtinguitur.

Creſcit in America Meridionali.

Contrajerva eſt vox Hiſpanica, qua plantam venenis oppoſitam denotant, tales cum plures prædicare

ſolent, hinc plures Contrajervæ apud Auctores occurrunt. Primus DRACKEN Eques Anglus anno 1581 quaſdam radices in Europam attulit, illa demum medio ſeculo ſuperiore in officinas fuit recepta.

Aquam inde multum viſcidam reddi LEWIS obſervavit. Extractum ſpirituoſum, aquoſo, multo magis ſapidum eſt. LEWIS & CARTHEUSER. Extracti aquoſi ultra $\frac{3}{13}$, ſpirituoſi $\frac{1}{5}$ circiter. NEUMANN.

Olim cum morbos malignos a veneno oriri crediderunt, hæc radix magni fiebat, exploſa hac theoria, ipſa etiam evileſcere cœpit.

* *Pulvis compoſitus* Edinburg. ad morbos exanthematicos commendatur: *Syrupus* Argentoratenſ. a ſucco citri præcipue, in morbis exanthematicis laudandus: * *Syrupus Contrajervæ compoſitus* Viennenſium, inconcinna compoſitio: * *Tinctura* Pariſ.

CORIANDRUM, κορίαννον, κορίανδρον Græcis recentioribus, *Coriandre*, *Coriander*. Semina ſiſtit rotunda, cava, ſtriata, ſapore proprio aromatico, odóre in recentibus cimices rédolente, in exſiccatis non ingrato, inſtructa.

CORIANDRUM. Flores umbellatos habet, involucro utroque paucifolio ſuſtentatos, ſemina ſphærica, concava: *Sativum* L. BLACWELL 176 fructibus globoſis diſtinguitur.

In Italia & Palæſtina ſponte creſcit, apud nos in agris colitur.

Exiguam Olei deſtillati portionem fundit, ſpiritus vini omnem inde odorem extrahit. LEWIS. Extractum aquoſum parum, ſpirituoſum multum aromaticum eſt. CARTHEUSER.

Neutiquam aliquid venenati his ſeminibus ineſſe, ut NICANDER & DIOSCORIDES finxerunt, HIPPOCRATES jam perſpexit, qui Coriandrum ventriculo gratum eſſe aſſerit, ad morbos pectoris quoque, hepatis & uteri commendat, nec non ad ructus acidos. TARZA-

GUS, a Coriandro cum vino ante paroxyſmum exhibito, crebro quartanam fugatam fuiſſe, obſervavit.

* *Confectio* SCHROED. * *Aqua deſtillata* SCHROED. * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD.

COSTUS vid. *Amara.*

CROCUS, κρόκος, *Safran*: ita appellantur filamenta fulva, inferne anguſtata, proprio odore & ſapore aromatico, amaro inſtructa, aquam luteo colore tingentia.

Rejicitur humidus, qui inter digitos preſſus, eos non tingit, levem aut peregrinum odorem ſpirans, & cui filamenta alba aut lutea commixta ſunt.

Crocus. Corollam ſexfidam habet, ſpatha monophylla ſuſtentatam, triandram, monogynam & capſulam trilobam: *Sativus Officinalis* L. BLACWELL 144 tubo longiore & foliis per æſtatem diſparentibus, diſtinguitur.

Creſcit in Natolia & Archipelago. Colitur in variis Europæ regionibus. Orientalis & Auſtriacus optimus cenſetur eſſe, his non cedit Vaſtinienſis, quem per annos non poſſe aſſervari, minus bene dicunt, Italicus ex Magliano minus puniceus eſt, ſed in pulverem redactus, præ reliquis magis tingit, Hiſpanicus oleo irroratus rejici debet.

Stigmata ex floribus recentiſſime explicatis decerpuntur, & chartis impoſita, in proprio fornacis genere exſiccantur, ſtamina, quæ ſub eorum collectione admiſcentur, manuum ope ſeparantur.

Extracti ſpirituoſi, minus odorati $\frac{2}{3}$, aquoſi $\frac{3}{4}$ largitur. NEUMANN. Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{4}$, totidem aquoſi, $\frac{1}{82}$ Olei odorati. LEWIS.

Crocus ad quatuor ſcrupulos aſſumtus, neque in calore, neque in pulſu aliquid mutavit, neque urina inde fuit tincta, per experimenta ALEXANDRI.

Evidenti vi humores reſolvendi gaudet, hinc concoquentibus a GALENO adſcribitur, & ad morbos

pectoris jam a SERAPIONE laudatur, & ad hunc uſque diem cum ſucceſſu adhibetur, hanc etiam maxime ob rationem ad promovendas excretiones uterinas eo utuntur; ſed inde quoque motum ſpirituum retardari obſervatum eſt, ita ut & anodynas vires edat, & largiori doſi datus, delirium, imo mortem producat; cachinnum lethalem inde excitari, finxerunt Arabes, & obſervationibus voluerunt confirmare LUSITANUS, CAMERARIUS & KOENIG, vel ſolo ejus odore exanimatos adducunt LUSITANUS & BORELLUS. Vim ejus antiſepticam omnis ætas confirmavit. Interdum quoque cibis aut potulentis adjicitur. Doſis ad ſcrupulum unum.

Externe reſolvendi & ſopiendi ergo in uſum ducitur. HIPPOCRATES ad morbos oculorum commendat, in inflammationibus, abſceſſibus, tumoribus arthriticis & rheumaticis cum ſucceſſu adhibetur.

Extractum VAL. CORD. Noſtrates minus efficax ſpirituoſum recipiunt, datur ad grana quatuor: *Tinctura* ZWOELFFER etiam externe diſcutiendi ergo adhibetur: * *Tinctura* vel *Eſſentia Vinoſa* SCHULTZ priore minus calefacit: * *Oleum infuſum* DIOSCORID. * *Syrupus* Wurtemberg. datur pueris ſcopo anodyno: *Emplaſtrum Oxycroceum* NICOL. a ZWOELFFER correctum, in Diſpenſatoria recipitur, ſed ita, ut fere ſingula, ratione proportionis ingredientium varient, Noſtrates præ reliquis minorem Croci rationem recipiunt, vix monendum eundem demum addendum eſſe, quando maſſa mox refrigeſcit: laudatur ſcopo reſolvendi ad luxationes, fracturas, ſugillationes.

CUBEBÆ Arab. *κόμπεβα*, *κούμπεπερ* Græcor. Recent. *Poivre à queue*, ſunt Fructus rotundi, qui piperis circiter magnitudinem & figuram habent, rugoſi, includunt granum ex rufo nigrum; intus album, ſapore gaudent acri aromatico, & ſuſtentantur pedunculo brevi & tenui.

Majores, nucleo ventricoſo inſtructæ, reliquis præferuntur.

Nil certi de planta, unde deſumuntur, conſtat, niſi quod caulem volubilem habeat, & in Java, Malabar & inſula Bourbon creſcat.

Parum Olei eſſentialis mitis fundunt, utrumque Extractum inde paratum, acre eſt. LEWIS. Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ circiter, aquoſi $\frac{5}{12}$ fere. NEUMANN. Extracti ſpirituoſi $\frac{5}{16}$, aquoſi $\frac{3}{8}$. CARTHEUSER.

Præter vires, quas cum reliquis aromatibus communes habent, ſpecifice, præeunte CRATONE, vertiginoſis laudantur.

* *Oleum deſtillatum* Pariſ. * *Confectio* SCHROED.

* CULILAWAN CORTEX Recent. ſub forma fruſtorum lineam craſſorum, ſeſqui pollicem circiter latorum, ſive planorum ſive concavorum, colore cinamomeo inſtructorum, tenera & rugoſa epidermide tectorum, ad nos adducitur, textura gaudet laxiore, odore fragranti ad caryophyllaceum accedente, ſapore lenius aromatico, caryophyllos ſapiente.

Laurus Culilaban L. foliis trinerviis, ovato acutis diſtinguitur.

Creſcit in Amboina.

Nequidem $\frac{1}{100}$ Olei limpidi, quod Caryophyllos & L. Saſſafras ſapit, Extracti ſpirituoſi acris & glutinoſi $\frac{1}{5}$, totidem aquoſi, modice amaricantis fundit. CARTHEUSER.

Sub finem Seculi ſuperioris demum, Europæ innotuit, ratione virium inter Caſiam ligneam & Caryophyllatam medius eſſe videtur.

* CUMINI SEMEN κύμινον, *Cumin*, *Römiſcher Kümmel.* Eſt Semen majuſculum, odore & ſapore minus gratis inſtructum: oblongum, ſtriatum, ex gryſeo flaveſcens, quod hodie obtinet, ab illo Veterum evidenter diverſum eſt.

CUMINUM L. Planta umbellifera eſt, involucro

utroque, germine flore majore, ſeminibus ſtriatis inſtructa.

Ægypto & Palæſtinæ indigena; In Sicilia & Melito colitur.

Olei odorati $\frac{1}{32}$ exhibet. LEWIS. Extracti aquoſi ultra $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi evidentius aromatici vix $\frac{1}{5}$. CARTHEUSER.

Ob vires carminativas interne, ob reſolventes externe, ad lac diſcutiendum maxime, tumores teſticulorum & ſugillationes uſurpatur.

* *Aqua deſtillata* SCHROED. * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. * *Emplaſtrum* Hamburg. Baccis Lauri & Oleo deſtillato auctum receperunt Wurtembergenſes, abdomini imponitur, dum inteſtina flatibus diſtenduntur.

* CURCUMA Barbar. κύπειρον Ινδικὸν DIOSCORID. *Cyperis Indica* PLIN. *Crocoma* Arab. *Terra merita* Gallis, largitur Radices tuberoſas, geniculatas, geniculis & cylindraceis & ſubrotundis, foris pallidas, intus ſplendentes & croceas, rugis diſtinctas, ſapore acri & aromatico, odore leviſſimo vel nullo inſtructas.

CURCUMA. Corollam quadrifidam habet, calice ſuſtentatam, monantheram, monogynam, filamentis quinque præditam, fructum trilocularem, polyſpermum: *Longa* L. BLACWELL 396 foliis multi nerviis diſtinguitur.

Creſcit & colitur in omnia India aquoſa.

Olei odorati $\frac{1}{120}$, Extracti reſinoſi $\frac{1}{8}$, aquoſi autem $\frac{1}{2}$ ſeparavit. LOEBER. Extracti aquoſi $\frac{1}{3}$, ſpirituoſi ultra $\frac{1}{8}$ NEUMANN. Olei odorati vix $\frac{1}{256}$, Extracti aquoſi amaricantis & plurimum falſi $\frac{1}{4}$ fere, ſpirituoſi acris, aromatici quidem ſed ſimul nauſeoſi $\frac{1}{5}$ circiter. CARTHEUSER Aqua cum his radicibus cocta, aurantium colorem induit, qui ab acidis citrinus fit, ab alcalinis ex rufo-fuſcus evadit. POERNER.

Virtute aromatica, qua gaudet, primas vias ro-

borat, hinc teſte RUMPH vulgare in India ciborum condimentum eſt, humores quoque attenuat. & ideo egregie ad hepar obſtructum facit, ad icterum hinc conferre multoties BONTIUS vidit, ad œdemata & febres intermittentes LOEBER.

Doſis ad ſcrupulos duos, in Infuſo ad totidem drachmas.

* CYPERUS, *κύπειρον*, *κύπερον*, *le Souchet.* Duo ejus genera occurrunt.

Rotundi Radices ſunt turbinatæ, extus pallide rufæ, intus albæ: odore gaudent leviore, ſapore evidentius aromatico, olivæ magnitudinem habent.

CYPERUS. Spicam diſticham imbricatam habet, corollam glumoſam, nudam, triantheram, monogynam: *Rotundus* L. culmo triquetro, umbellæ ramis diviſis, ſpiculis alternis linearibus diſtinguitur.

Creſcit in India, maxime Java, nec non in Ægypto & Syria.

Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{16}$, aquoſi $\frac{3}{4}$ largitur. NEUMANN. Extracti amari & aromatici $\frac{1}{3}$ & totidem ſpirituoſi obtinuit CARTHEUSER.

Longi Radices, quæ demum a Latino-Barbaris in uſum tractæ fuiſſe videntur, evidentius quam antecedentes odoratæ ſunt; calamo anſerino craſſiores, circulis & nodis notatæ, extus fere rufæ, intus pallide rufæ, utroque extremo incraſſatæ, ſapore prioribus remiſſiore gaudent.

Cyperus Longus L. culmum triquetrum folioſum habet, umbellam folioſam, multum diviſam, pedunculos nudos & ſpicas alternas.

Creſcit in Gallia Meridionali & Italia, noſtras quoque hyemes fert.

Extracti aquoſi inodori, ſubacris & amari $\frac{1}{5}$ circiter, ſpirituoſi amari & aromatici ultra $\frac{1}{4}$ largitur. CARTHEUSER.

HIPPOCRATES Cyperum extus ad morbos uteri

adhibet, GALENUS ad nephritidem, obſtructiones menſium, levandam urinam commendat; extus autem ad ulcera manantia; hodie rarius in uſum trahitur.

* *Aqua deſtillata* Pariſ.

* DICTAMNUS, δίκταμνον. Ejus duo genera officinæ recipiunt: unum quod a Creta denominant, genuinus Veterum Dictamnus, alterum Recentiores addiderunt, & illud *album* appellant.

Dictamni Cretici folia rotunda ſunt, multo albo tomento obſeſſa, odorem levem, ſaporem evidenter aromaticum, ſed parum acrem habent.

ORIGANUM. Flores habet involucro ſuſtentatos, corolla ringente gaudentes, cujus labium ſuperius emarginatum eſt, inferius trifidum, laciniis parum irregularibus, ſemina nuda: *Dictamnus* L. BLACWELL 462, foliis tomentoſis & ſpicis nutantibus diſtinguitur.

Creſcit in Europa multum Meridionali.

Olei odorati $\frac{5}{256}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{16}$, aquoſi autem inertioris $\frac{7}{24}$ inde obtinuit NEUMANN.

Pro pellendis menſibus & ſecundinis ab HIPPOCRATE laudatur, olim ad promovendum partum commendabatur, cum id, quod hodie inter nos proſtat, parum aromatis habeat, hinc vix ulterius in uſum trahitur.

Dictamni albi Radices oblongæ ſunt, albæ, intus aliqualiter fungoſæ, calami circiter craſſitiem habent, ſaporis & odoris expertes, aquam cum qua infunduntur amaram reddunt.

DICTAMNUS L. BLACWELL 75. Calice quinquefido ſuſtentat corollam irregularem pentapetalam, diploſantheram, monogynam, fructus quinquecapſularis.

Creſcit in Europa temperata, in Saxoniam uſque aſcendit.

Planta in Italia ſub nomine Fraxinellæ nota, ſeculo XVI demum Dictamni nomine cœpit appellari.

Extracti aquosi leviter amari $\frac{5}{8}$ exhibet. CARTHEUSER.

Radicem, de qua nullæ, quod proprias vires habeat, prostant observationes, jure omnino negligimus.

* DORONICUM Barbar. *Gemsenwurzel.* Recipimus Radices quæ parvæ sunt, rotundæ, in finem angustum terminatæ, totidem nimirum articuli radicis longioris, extus flavicantes, intus albæ, odore nullo, sapore dulciusculo, cui aliquid aromatici accedit, instructæ.

DORONICUM. Flores mixtos habet, calice duplici serie foliorum efformato, sustentatos, receptaculo plano & nudo inhærentes, & semina papposa: *Pardalianches* L. BLACWELL 239 foliis cordatis gaudet.

Crescit in montibus Europæ Meridionalis.

Extracti aquosi $\frac{7}{8}$, spirituosi magis dulcis & aromatici $\frac{7}{32}$ NEUMANN obtinuit.

MABANTÆ figmentum a MATTIOLO sustentatum, hanc plantam esse Aconitum Pardalianches Veterum, effecit ut plures Auctores has radices venenatas esse reputarint, falsum commentum, experimento in se ipso capto, refutavit GESNER; earum vires medicatæ, cum nulla observatione sint confirmatæ, hinc hodie negliguntur.

* FILIPENDULA Barb. φιλιπεύδυλα Græc. Recent. *rother Steinbruch.* Radices fibrosas sistit, plures fibrillas emittentes, quarum extremitatibus noduli adhærent, foris ex rubro nigræ, intus albæ, sapore leviter aromatico & amaricante, odore suavi instructæ.

SPIRÆA. Corolla pentapetala regulari, calice quinquefido sustentata gaudet, polyanthera, quinque vel polygyna, & capsulis pluribus: *Filipendula* L. BLACWELL 467. foliis pinnatis, serratis, uniformibus & floribus cymosis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Ob vim diureticam, uterinam & roborantem laudata, eviluit.

FOENICULUM μάραθρον, *Fenouil*, *Fenchel.* Inde Radices, Folia & Semina proſtant.

* *Radix* alba eſt, fuſiformis, digiti craſſitiem habet, ſaporem dulcem cum aromate, odorem proprium, fragrantem.

* *Folia* longa, capillaria, in longa filamenta ſecta, ſeminum odori & ſapori proxime accedunt.

· *Semina* oblonga ſunt, convexo plana, ſtriata, odore proprio, ſimili ſapore, qui aromaticus eſt & aliquam dulcedinem habet, inſtructa; quo magis calido ſub climate planta adoleſcit, eo majora & magis dulcia ſemina perficit; hinc dulce, Italicum, Creticum Auctores ſolent laudare.

Anethum Fœniculum L. BLACWELL 288 ſeminibus oblongis, non marginatis diſtinguitur.

Sponte in Europa Occidentali & Meridionali, nec non in Anglia creſcit, apud nos multum colitur.

Radices Extracti ſpirituoſi aromatici, & cum quadam amaritie dulcis $\frac{1}{12}$, aquoſi, inſipidi parum, largiuntur. Semen $\frac{1}{25}$ Olei odorati, qnod ſub aëre temperato conſiſtit, largitur. NEUMANN Olei deſtillati $\frac{1}{48}$, expreſſi viridis $\frac{1}{8}$, Extracti reſinoſi $\frac{1}{12}$, aquoſi $\frac{1}{4}$ fere inde obtinuit. CARTHEUSER $\frac{3}{8}$ Extracti reſinoſi & paulo majorem quantitatem aquoſi refert.

Radices reſolvendi ergo laudat HIPPOCRATES, eas in ſuffuſione profuiſſe REUSNER allegat, quidam ad debellandas febres intermittentes profuiſſe teſtantur. Folia rariſſime in uſum trahuntur, creberrime autem ſemina, quæ vires ſeminis Aniſi exſerunt, quo tamen largiore aromate turgent, a GALENO ad augendum lac & ſcopo diſcutiendi commendantur, hoc ultimo fine maxime ad morbos oculorum ſolent adhiberi.

Aqua deſtillata quæ non bene ex herba ad moni-

tum NICOLAI PRÆPOSITI, ſed melius ex ſemine, ſecundum VAL. CORD. paratur, morbis oculorum maxime dicata: * *Confectio* SCHROED. * *Oleum expreſſum* Pariſini recipiunt: * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. rariſſime interne præſcribitur: *Elæoſaccharum* Noſtrat.

* GALANGA Barb. γαλαγγας MYREPS. Ejus duplex genus in officinis proſtat: *Major* conſtituitur a Radicibus intortis, variis ramis & tuberculis notatis, circulis diſtinctis, extus rufis, intus parum pallidioribus, odore aromatico ad Camphoram accedente, ſapore ſimili inſtructis, aliquot pollices longis, unum circiter craſſis: *Minor* & magnitudine & craſſitie priori cedit, ſapore acriori linguam ferit.

Plantam autopta RUMPH corollam tetrapetalam habere, & baccam duobus vel tribus ſeminibus cordiformibus fœtam edere, teſtatur, hinc non audeo eam *MARANTÆ* L. adſcribere.

Creſcit in India.

RUMPH monet Galangam minorem, quæ in officinis Europæorum obtinet, ex China adduci, eandem ex China in Indiam tranſplantatam, hodie ibi coli ex *Hiſtoire générale de Voyages* XVII. video.

Triplo plus Extracti aquoſi, quam ſpirituoſi & $\frac{1}{128}$ Olei deſtillati parum odori & acris largitur. LEWIS. Olei deſtillati $\frac{1}{187}$, Extracti aquoſi aromatici $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi $\frac{1}{11}$ circiter. NEUMANN. Olei deſtillati $\frac{1}{128}$, Extracti aquoſi $\frac{1}{3}$ circiter, ſpirituoſi acerrimi fervidi $\frac{1}{12}$. CARTHEUSER.

Primi Arabes Galangam in uſum traxerunt, reliquorum aromatum effectus edit, ventriculo maxime & utero proficua credita. Minor, magis quippe aromatica, majori præfertur. Extus in paralyſi linguæ & atrophi membrorum profuiſſe Cl. PLENCK monet.

* *Eſſentia* Wurtemberg.

* GRANA PARADISI Recent. *Malaghetta* Barb. *Graine de Paradis*, *Paradies-Körner*, ſunt Grana parva,

angulata, badia, odore non magno, ſapore fervido inſtructa. Folliculus, quo continentur, multa cum Cardamomo majore communia habet, hinc creberrime cum Cardamomo ab auctoribus confunduntur.

Ill. LINNÆI auctoritate noſtra grana ſubminiſtrat *Amomum Gran. Paradiſi* L. quod ſcapo ramoſo breviſſimo diſtinguitur.

Copioſe ad Africam Occidentalem occurrit.

Pauxillum Olei odorati ſuaveolentis fundunt, Extractum aquoſum acre, ſpirituoſum cauſticum eſt. LEWIS. Ultra $\frac{1}{8}$ Extracti aquoſi, $\frac{1}{7}$ Extracti ſpirituoſi. CARTHEUSER.

Ab Arabibus ad nos deſcendiſſe videntur, piperi ratione virium multum vicina.

HISSOPUS, ὕσσωπος, *l'Hyſſope*, *Iſop*, noſtra, ab illa Veterum diverſiſſima, per Arabes demum in officinas recepta: ejus proſtant Folia quæ oblonga ſunt, acuta, tota viridia, proprio odore & ſapore aromatico inſtructa.

HYSSOPUS. Corollam labiatam habet, cujus labium ſuperius rectum & emarginatum eſt, inferioris trifidi lacinia intermedia major & crenata, calice quinquefido ſuſtentata, ſemina nuda: *Officinalis* L. BLACWELL 296 floribus, unum latus ſpectantibus, diſtinguitur.

In Europa Meridionali & Sibiria ſponte creſcit, apud nos in hortis colitur.

Olei odorati $\frac{2}{96}$, Extractum ſpirituoſum valde acre, aquoſum ſubſalinum & amarum largitur. LEWIS. Extracti aquoſi $\frac{1}{2}$, ſpirituoſi $\frac{1}{4}$, Olei odorati $\frac{1}{128}$. NEUMANN. Olei odorati $\frac{1}{64}$, Extracti ſpirituoſi ad $\frac{1}{8}$, aquoſi $\frac{3}{8}$. CARTHEUSER.

A virtute multum humores attenuante laudatur, & præcipue ad mucoſos pectoris morbos facere obſervata eſt: Extus adhibitam egregie ſugillationibus mederi, RIOLANUS & BOYLE viderunt.

Aqua deſtillata VAL. CORD. * *Oleum deſtillatum*

VAL. CORD. * *Syrupum ſimplicem* Pariſini habent: Wurtembergenſium *Syrupus compoſitus* egregium medicamentum reſolvens eſt, omnino præferendum abſurdæ MESUE præſcriptioni.

IRIS. Ejus duæ ſpecies hodie in officinis proſtant; una *Florentina* Latino-Barbaris, ſive ſimpliciter Iris Veteribus dicta, ſive ab Illyria, Africa, Macedonia denominata, altera a Latino-Barbaris *Pſeudacorus* dicta, *Iridis Noſtratis* nomine etiam venit.

Radices *Iridis Florentinæ*, *Violenwurzel* pollicem craſſæ ſunt, pauliſper compreſſæ, hinc inde tuberculis notatæ, intus leviter flaveſcunt, extus albæ, ſapore acri, leviter amaricante, & odore qui ad violas accedit, inſtructæ: illas, quæ rectæ ſunt & longiores, in tabernis *Longas* ſolent appellare.

IRIS. Corollam habet ſexpartitam, ſpatha bivalvi ſuſtentatam, triantheram, monogynam, ſtigmate trifido, quod petala mentitur inſtructam & capſulam triangularem: *Florentina* L. BLACWELL 414 corolla barbata, caule foliis altiore, paucifloro, floribus ſeſſilibus diſtinguitur.

Creſcit in Italia, noſtras hyemes optime fert.

Ego ex exſiccatarum decem libris nullum Oleum potui obtinere. LEWIS $\frac{1}{13}$ reſinæ exhibuit. KORTUM exiguam valde Olei portionem, $\frac{1}{12}$ Reſinæ, $\frac{1}{9}$ Extracti aquoſi, pulpam prunorum redolentis, amaricantis, leviſſime acris. Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$, $\frac{1}{8}$ ſpirituoſi. NEUMANN. Extracti aquoſi $\frac{1}{5}$ circiter, reſinoſi valde acris $\frac{1}{12}$. CARTHEUSER.

Radicis recentis ſuccus evidentem acrimoniam habet, hinc ad alvum ducendam, poſt DIOSCORIDEM, a multis Medicis adhibebatur, & medicamentis hydragogis adſcribebatur, ob hanc rationem hodie ulterius non uſurpatur, ſed exſiccatione mitior reddita radix, tanquam eximium reſolvens, ad morbos pectoris pituitoſos adhibetur, & præeunte MARTINI

cum ſucceſſu infantibus datur, quos tormina, a muco excitata, torquent: Externe cum ſucceſſu ad maſticatoria & errhina adhibetur, recipitur etiam ad dentifricia, ut mucus & ſordes dentium incidantur & abſtergantur, ad epithemata reſolventia quoque recipitur, & ad uſus coſmeticos adhibetur; Radices, quas *Longas* dicunt, creberrime, ſed minus laudando conſilio, infantibus dentientibus mordendas exhibent.

Species ſive *Pulvis Diaireos* FUCHS. non placent, cum ſpecies Diatragacanthæ, quas recipiunt, vires Iridis obtundant: *Rotulæ* ſive *Tabulæ Diaireos* WECKER noſtrates rationem Ireos augendo, inde medicamentum mucum pulmonum incidens, gratiſſimum parant. * *Aqua deſtillata* VAL. CORD. * *Oleum Irinum* PLIN. iners omnino.. * *Extractum* SCHROED.

* Radices *Iridis Noſtratis* figuram priorum habent, odore & ſapore quoque ad eas accedunt, magis rugoſæ, extus rufæ, intus pallidæ.

Iris Pſeudacorus L. BLACWELL 261 corollas imberbes, petala interiora ſtigmate minora & folia enſiformia habet.

Occurrit per omnem Europam.

Hujus præcipue ſuccum, ſcopo hydragogo & purgante, recentiores adhibuerunt, recte FALLOPIUS monet: *Iridis radix non eſt in uſu ad purgandum, quia habemus meliora medicamenta purgatoria.* WOLFF *Acta Med. Berol.* RAMSEY, PLATER obſervationes hydropis inde curati adducunt: ETTMÜLLER lumbricos inde vidit dejectos.

* *Extractum* Brandeburg.

JUNIPERUS, ἄρκευθος, *Genevre*, *Wachholder*. Lignum, Baccas & Reſinam, quæ improprie Gummi dicitur, recipiunt officinæ.

Lignum proſtat ſub forma fruſtorum aliquot digitos longorum & quasdam lineas craſſorum, tegitur cortice extus gryſeo, intus ferrugineo, ipſum album

eſt, odore gaudet aromatico & fragrante, qualem etiam, ſi accenditur, fumum emittit, ſapor leviſſimum aroma habet.

Baccæ piſis magnitudine & figura æquantur, ſuperne umbilico exiguo notatæ, nigræ, pulpam includunt dulcem, viſcidulam, rufeſcentem, aromaticam, grato odore præditam & tria ſemina.

Gummi, quod eſt *Sandarax* ſive *Sandaracha* SERAPIONIS, efformatur a granis variæ magnitudinis & figuræ, pellucidis, citrinis, inodoris, inter dentes non lenteſcentibus & quæ accenſa, fumum non ingratum dimittunt. Ex Africa ad nos mittitur.

JUNIPERUS. Planta relativa diphyta, flores mares amentaceos habet, nudos, tribus ad octo antheris inſtructos: feminæ corolla trifida & trigyna efformantur, baccæ globoſæ ſunt. *Communis* L. BLACWELL 187 foliis ternis, patentibus, mucronatis diſtinguitur. Creſcit in omni Europa.

Baccæ biennes demum maturantur: Gummi in Europa Meridionali ex ſpecie, quam dixi, ſtillat, in Africa etiam ex aliis ſpeciebus, in Suecia formicas illud in ſuos acervos colligere, monet Illuſtr. LINNÆUS.

Ex Ligno $\frac{1}{17}$ Extracti aquoſi amaricantis & ſalini obtinui. CARTHEUSER Extracti aquoſi $\frac{1}{12}$ & $\frac{1}{8}$ ſpirituoſi accepit.

Baccæ mihi $\frac{1}{32}$ Olei odorati ſtiterunt: CARTHEUSER $\frac{1}{42}$ circiter, Extracti reſinoſi autem ultra $\frac{1}{2}$, totidem aquoſi.

Lignum humores valide attenuat & excretiones aquoſas promovet, copioſam urinam, cui multus mucus innatavit, inde a ſene affectibus catarrhalibus obnoxio feceſſiſſe Cl. SCOPOLI obſervavit, morbos venereos quoque, qui reliqua efficaciſſima remedia eluſerant, inde vidit curatos, id quod PLA-

TER

TER prius animadverterat: BRUCH exempla adducit de cacochymia ulcera excitante, ſcabie, ſuffuſione, obſtructione hepatis, gonorrhœa virulenta, affectubus arthriticis inde fugatis, & idem extus cum ſucceſſu ad ulcera uteri & ozænam adhiberi. Ejus ſuffitus non modo gratum per atmoſphæram diſpergit odorem, ſed hujus indolem malignam quoque corrigit, œdemata & rheumatiſmos curat.

Baccas medicamentis uterinis HIPPOCRATES adſcribit, humores inde attenuari, hepar aperiri, urinam pelli, ventriculum calefieri GALENUS monet, ob vires ſtomachicas, quas quoque HILDANUS confirmat, non raro cibis ſolent adjici; ASSVERUS & S. PAULI calculos inde viderunt pulſos, aſciticis multum conducere VOLCKAMER, RIEDLIN, DU VERNEY, VAN SWIETEN obſervationibus patet. ACOLUTHUS ab earum diutius protracto uſu vidit excitatam diabetem lethalem. Externe ſuffitus forma ad eoſdem ac Lignum adhibentur uſus, KHUNRATH ſuadente epithema inde paratur contra cephalalgiam.

Gummi reſinarum vires exſequitur, ejus ſuffitus aërem corrigit, partes, ad quas admittitur, roborat, & hinc ad catarrhos & œdemata commendatur. HIPPOCRATES hoc medicamentum naribus manantibus immiſit.

* *Aqua deſtillata a baccis* medicamentum non iners eſt: *Oleum deſtillatum ex baccis* TRAG. calida multum medicina, tormina inteſtinorum inde ſopita vidit WELSCH, verminoſis conducere RIVERIUS obſervavit, multi ejus auribus inſtillati ope, ſurditatem curatam fuiſſe, contendunt, eos ego ſaltem non auderem imitari: *Rob* ſive *Extractum* VAL. CORD. integerrimas baccarum vires habet, Germani ipſi etiam ſaccharum ſolent adjicere, quorum Theriaca a quibusdam dicitur, ob polychreſtum uſum; tanquam egregium remedium etiam ad raucedinem & tuſſim com-

mendatur; Doſis ad unciam dimidiam: *Spiritus ex baccis* SCHROEDERI per abſtractionem a Wurtembergenſibus paratur, vix interne datur, externe diſcutiendi fine adhibetur: *Elixir Malvaticum Juniperinum* Noſtrat. eſt *Elixir Juniperinum* SCHROED. bene Noſtrates loco ſpiritus Juniperi vinum Malvaticum recipiunt, egregie non modo in affectibus renum, obſervante SCHROEDER, ſed etiam in torminibus ventris medicamentum, quod ad dimidiam uſque unciam poteſt exhiberi: * *Tinctura baccarum* Pariſ. * *Spiritus* SCHROED. & *Oleum empyreumaticum* MESUE.

LAVENDULA Barb. ςάχυς Græcorum Recent. *Spica*, *Spica Nardi* &c. Recent. *Lavande*, *Aſpic*, *Lavendel*, *Spick*. Inde & Folia & Flores recipiuntur.

Folia ſolidiuſcula ſunt, obtuſa, pro varietate unde deſumuntur mox latiora, mox anguſtiora, incana, grato multum odore & ſapore aromatico inſtructa.

Flores aſſervantur calici incluſi, non magni, cærulei, odore gratiſſimo ſimilique ſapore gaudent.

LAVENDULA. Calice regulari ſuſtentat corollam labiatam, cujus labium ſuperius bifidum eſt, inferius parum irregulariter trifidum, ſemina nuda: *Spica* L. BLACWELL 264 & 295 foliis integerrimis & ſpica nuda diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali & in Helvetiam uſque aſcendit, apud nos in hortis, ejus varietas anguſtifolia maxime colitur.

$\frac{1}{256}$ Olei odorati ex floribus obtinui: LEWIS autem $\frac{1}{160}$ & CARTHEUSER vel $\frac{1}{75}$ circiter, qui præterea ad $\frac{1}{5}$ Extracti amaricantis & ſubfalſi & fere $\frac{1}{4}$ Extracti ſpirituoſi, balſamico ſapore præditi.

Ob fragrantiam capiti maxime dicata eſſe reputatur & affectibus nervorum opponitur, rarius interne uſurpatur; frequentius multo externe ad epithemata roborantia & diſcutientia recipitur.

* *Syrup. e Stœchad. compoſ.* Pariſ. * *Aqua deſtil-*

lata VAL. CORD. Parisini aquas a singulis varietatibus abstractas asservant: *Spiritus* Noricorum optimus Monspelio ad nos mittitur & cosmetico & medicato scopo creberrime adhibetur: * *Conserva* VAL. CORD. una cum * *Tinctura* Parisin. optime ex nostris officinis exulat: * *Acetum* Wurtemberg. cosmeticis maxime usibus dicatum: *Oleum destillatum* gratum æque ac nervinum, ejus ope maxime insecta fugari observatum est, inde * *Balsamus Lavendulæ* SCHROED. * *Pomatum Fl. Lavendulæ* Paris. & * *Guttæ Anglicæ* Wurtemberg. quæ cum successu in affectibus capitis serosis solent exhiberi, parantur: *Oleum Spicæ* quod ad encausticam & ad vernices maxime adhibetur, monente jam GEOFFROI, oleum terebinthinæ est, cui pauxillum olei Lavendulæ adjecerunt.

LAURUS, *δάφνη*, *Laurier*, *Lorber*. Folia & Baccæ recipiuntur.

Folia sunt viridia, firma, lanceolata, integerrima, multis nervis notata, sapore proprio aromatico, amaricante, odore simili instructa.

Baccæ sunt ovatæ, nigræ, exiguo acumine terminatæ, levissime rugosæ, continent sub cuticula tenera & fragili nucleum ad colorem castanearum accedentem, facillime in duas partes secedentem, odore laurino minus grato, sapore acri, aromatico, amaro, nauseoso instructum.

Laurus Nobilis L. BLACWELL 175 Floribus dioicis distinguitur.

In Europa Meridionali vulgatissima arbor.

Ex baccis $\frac{1}{17}$ Olei unguinosi, viridis, quod unguenti consistentiam habet & ipsas multum redolet, obtinui.

Folia, ob aroma quo pollent, calefaciunt, teste GALENO, ideo ab omni tempore primis viis roborandis commendabantur, & vel hodie adhuc variis cibis, tanquam condimenta adjiciuntur, male igitur a qui-

busdam, PLINIO & DIOSCORIDE praeeuntibus, vomitoriis solent adscribi. Medici illa hodie rarissime adhibent, sed culinis relinquunt. Ab HIPPOCRATE extus contra tetanum fuerunt praescripta.

Baccae, GALENO jam notante, vehementius calefaciunt & in uterum praecipue agunt, maxime ob vim abortum promovendi infames sunt, & summo omnino jure, medicamento sanguinem multum exaestuante abstinemus: cujus dosin ad aliquot grana sub forma pulveris, & ad scrupulum unum in infusis determinant. Ab HIPPOCRATE extus abstergendi ergo adhibebantur.

* *Aqua destillata* ex foliis Paris. * *Aqua destillata* ex baccis Eorund. *Oleum expressum* HIPPOCRATES ad ulcera mali moris commendavit, ex Italia ad nos mittitur, multum a vi resolvente laudatur, adjicitur quoque medicamentis nervinis. * *Oleum per Infusionem & coctionem* DIOSCORID. * *Oleum destillatum* VAL. CORD. * *Electuarium de baccis lauri* RHAZES mutatis dosibus varia Dispensatoria ingreditur, Nostrates quaedam expunxerunt, & parvam rationem salis gemmae jubent adjicere, in doloribus intestinorum a causa frigida, ad unciam unam clysmatibus adjicitur: * *Emplastrum de Baccis Lauri* MESUE a Bergomensibus correctum, valide resolvit, abdomini imponitur ad discutiendos flatus.

LILIUM CONVALLIUM Barb. *Muguet*, *Mayenblümlein.* Flores exhibet qui campanae figuram habent, recentes gratissimum odorem spirant, unde caput nunquam obnubilatur, iidem exsiccati toti inodori sunt & levissime amari.

CONVALLARIA. Corolla nuda monopetala, sexfida gaudet, isanthera, monogyna, bacca triloculari: *Majalis* L. BLACWELL 70. distinguitur corolla campaniformi.

Crescit in omni Europa, etiam Meridionali.

ETTMÜLLER inde exiguam Olei odorati portionem ſeparavit, LEWIS nullum obtinuit; Extractum utrumque, quod inde paratur, amarum eſt. LEWIS & CARTHEUSER.

Flores recentes grato ſuo odore, ſenſorium commune grate afficiunt, & non fruſtra, ubi vires refocillandæ ſunt, naribus admoventur; exſiccati cum odore etiam omnem vim nervinam depoſuerunt, amarities, qua gaudent, eis acrimoniam quandam ineſſe, teſtatur, inde vis purgans a SCHULTZ obſervata, & errhina, dum naribus hauriuntur, creberrime annotata.

Baccarum virtutem antepilepticam & antifebrilem SENCKENBERG aliquot obſervationibus tentavit probare.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. vulgari ratione parata, nihil proprii habet, æque ac * *Aqua vinoſa* SCHROED. & * *Spiritus* SCHROED. & * *Oleum Infuſum* Auguſt. nec * *Conſerva* VAL. CORD. aliquid de odore florum retinet.

MACIS vid. *Moſchata Nux*.

MAJORANA Barb. *Marjolaine*, ſi non eſt ἀμάρακον & σάμψυχον Veterum, ſaltem eo proxime accedit. Folia ſubminiſtrat quæ ovata ſunt & albida, proprio odore & ſapore aromatico inſtructa.

Origanum Majorana L. BLACWELL 319 ſpicis ſubrotundis, pubeſcentibus agnoſcitur.

Creſcit in Europa Meridionali, apud nos in hortis colitur.

HOFFMANN $\frac{1}{64}$ Olei odorati inde obtinuit, cum quo etiam mea experimenta conveniunt & CARTHEUSER; qui præterea ex foliis $\frac{1}{7}$ circiter Extracti aquoſi obtinuit.

Cephalicæ, nervinæ & uterinæ ipſi adſcribuntur virtutes, rarius tamen hodie intus datur, crebrior ejus

usus est ad epithemata capitis roborantia & discutientia nec non ad formulas errhinas.

* *Aqua destillata* NIC. PRÆPOS. * *Oleum destillatum* VAL. CORD. quod nonnisi ad usus externos recipitur; * *Oleum coctum* VAL. CORD. iners. * *Balsamum* Norimberg. id ego semper præferrem *Unguento* seu *Butyro* ad Argentoratensium præscriptionem parato, quod a nostratibus radici & alis narium inungitur, muci spissi, nares obsidentis, attenuandi ergo.

* MALABATHRUM, φύλλον, *Folium*, φύλλον ἴνδικον Græc. Recent. Hoc nomine asservamus Folia firma, ex viridi flavescentia, variæ magnitudinis, tribus nervis percursa, ad basin coëuntibus, odore vix ullo, sapore aromatico ad caryophyllos accedente, cui aliquid viscidi immixtum est, prædita.

Spithamæa reliquis præferuntur.

COMMELINUS suspicatur hæc folia desumi a *Lauro Cinamomo* L. in Malabara crescente.

In tanta aromatum abundantia, folia Malabathri negliguntur, & nonnisi ad compositiones, quæ a Veteribus ad nos descenderunt, adhibentur, & in his quoque non raro casiam ligneam eis solent substituere.

MELILOTUS, μελλίλωτος. Summitates nobis exhibet foliis ternatis, ex oblongo rotundis, crenatis, superne quasi resectis & floribus papilionaceis luteis obsessas, proprio non grato odore, & sapore leviter amaricante præditas.

TRIFOLIUM. Florem papilionaceum habet, calice quinquefido sustentatum, vexillum reliquis petalis longius, legumina cylindracea: *Melilotus Offic.* L. BLACWELL 80 leguminibus nudis, rugosis, racemosis & pedunculis sulcatis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Ob nauseosum quem spirat odorem, nunquam

intus datur; GALENUS digerendi & concoquendi ergo exhibuit, hodie discutiendi & anodyno scopo adhibetur, epithematibus, cataplasmatibus; enematibus adjicitur, revellendi ergo quoque in pediluvia recipitur.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. leviter odorata, fragrantium odores, quando illis admiscetur, augeri contendit Ill. LINNÆUS: * *Oleum infusum* MESUE: *Emplastrum de Meliloto*, GALENUS compositionem ANDROMACHI adducit, quæ cum pro roborando stomacho fuerit præscripta, varia ingredientia aromatica habet, MESUE inconcinnam formulam ex resolventibus & emollientibus consarcinatam substituit, quam sive integram sive correctam Dispensatoria recipiunt, Wurtembergensis præ reliquis placet, sed evidenter resolvens est: * *Emplastrum de Meliloto simplex* Paris.

MELISSA Barb. μελισσόφυλλον Græc. *Apiastrum* Latin. Folia exhibet cordata, leviter hirsuta, odore & sapore suavi ad Citrum accedente instructa.

Melissa Officinalis L. BLACWELL 27 foliis cordatis agnoscitur.

Crescit in Europa Meridionali, in Helvetiam usque ascendit, apud nos in hortis colitur.

Olei odorati exiguam valde rationem largitur, Extracti spirituosi, minus grati ad $\frac{1}{5}$, aquosi autem austeriusculi & amaricantis $\frac{1}{3}$. CARTHEUSER.

Vegetabilium aromaticorum vires, sed mitiores habet, affectibus capitis maxime laudatur.

Aqua destillata NICOL. PRÆPOS. mixturas cephalicas vulgo ingreditur: *Aqua Melissæ composita* LEMERY, *Eau des Carmes* vulgo, Nostrates Melissæ Dracocephalum Moldavicam L. substituunt, spiritus aromaticus in morbis capitis & cordis non frustra extus applicatur: * *Aqua Melissæ cum Vino* Wurtemberg. * *Aqua Melissæ Antihysterica* Wurtemberg.

* *Spiritus* Auguſtan. * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. ſi quidem tantæ vires ab aqua iteratis vicibus ſupra Meliſſam cohobata exſpectandæ ſunt, quantas BOERHAAVE promittit, crebrior hujus olei uſus omnino eſſet commendandus: * *Conſerva* VAL. CORD. * *Syrupus* SCHROED.

MENTHA, μίνθη, *Müntz*, duplicem quædam officinæ habent, *Aquaticam* nimirum & *Criſpam*.

* *Aquaticæ* Folia ex ovatis acuminata ſunt, glabra, majuſcula, ſerrata, odore & ſapore evidenter aromaticis & omnino gratis inſtructa.

MENTHA. Corolla labiata, non multum irregulari, calice quinquefido ſuſtentata, labio inferiore regulariter trifido, parum ſuperiore majore, feminibus nudis gaudet: *Aquatica* L. BLACWELL 32 ſpicis capitatis, foliis ovatis, ſtaminibus corolla longioribus diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa.

Criſpæ, *Krausbalſam*, Folia ſunt cordata, rugoſa, margine dentato & plicato inſtructa, odore proprio valido & ſapore evidenter amaro prædita, prioribus evidenter minus grata.

Mentha criſpa L. BLACWELL 290, 2 ſpicis capitatis, foliis cordatis, hirſutis, ſtaminibus corollam æquantibus gaudet.

Sibiriæ indigena, ubique in hortis colitur.

$\frac{1}{42}$ Olei odorati, $\frac{1}{8}$ Extracti aquoſi fere inertis & totidem fere reſinoſi aromatica fundit. CARTHEUSER.

Hanc vulgo adhiberi ſolent, qua tamen omnino & aquatica & adhuc magis *Piperita* L. & majorem gratiam & evidentius aroma habent.

Mentham calefacere, urinam provocare, vomitum ſiſtere, obſtructiones reſerare, HIPPOCRATES aſſerit, qui etiam inde viris facultatem gignendi adimi contendit, id quod ANGELUS SALA multum impugnat, nec experientia confirmat. Lactis coagulationem inde

impediri, ita ut vaccarum eo copiosius pastarum lac vix caseum largiatur monet Illustr. LINNÆUS, qui, præeunte CRATONE, eam se in bubonibus mammarum a lacte stagnante egregie gerere, observavit, & in lochiis suppressis ejus efficaciam quoque expertus est. Eandem quoque ad tormina sistenda, tam intus dare, quam abdomini imponere solent.

Aqua destillata NICOL. PRÆPOS. a SYDENHAMO ad sistendum vomitum laudatur, omnino si qua alia efficax, quater cohobatam in roborando debili ventriculo, in frigida pituita stomachi, & vomitu hinc orto, & in lienteria incomparabile medicamentum esse, promtissime succurrens laborantibus, ut nihil sit supra, asserit BOERHAAVE: * *Aqua composita* Paris. est aqua aromatica spirituosa, in colica flatulenta omnino laudanda: majorem gratiam, nec minores virtutes habet * *Aqua stomachica* Wurtemb. * *Spiritus* BOERHAAVE: * *Oleum destillatum* VAL. CORD. *Oleum infusum* VAL. CORD. abdomini inungitur & clysmatibus adjicitur: * *Syrupus* Argentoratens. parum in usu est: * *Essentia* Wurtemb. phlegmaticis, & in morbis a causa frigida oriundis proficua: * *Conserva* VAL. CORD.

MOSCHATA NUX Lat. Barb. κάρυον, μυρεψικός, *Noix Muscade*, *Muscatnuss*; hoc nomen dant Nucleis, qui vulgo figuram olivarum habent; magis oblongas olim *Mares* dixerunt, prostant quoque interdum quarum una facies compressa & plana est, & has *Mutter-Muscatnusse* appellant; variam magnitudinem præ se ferunt facies externa grysea & reticulata est, interna purpura variegatur, odor proprius aromaticus, sapor similis, paucam amaritiem, nullam acrimoniam habet, tota substantia oleo turget.

Arbor BLACWELL 353 unde desumuntur hæ nuces, fide RUMPH. Corollam trifidam habet, nullo calice sustentatam, monogynam & pomum maturat, quod

ſub pulpa acerba non eduli, nucem nigram, unico nucleo fœtam, includit.

Creſcit in omnibus Moluccis, Banda maxime, & in Borneo colitur, occurrit quoque in America Meridionali.

Ter de anno, Martio nimirum, Julio & Novembri nuces colliguntur, aufertur inde tegmentum ex laminis anguſtioribus, in modum retis flexis, efformatum oleoſum, proprio odore & ſapore aromatico parum acri & amaro inſtructum, MACIS *Fleur de Muſcade*, *Muſcat-Blüthe* dictum, colore chermeſino tinctum, quem autem exſiccatio in ſole in croceum mutat; hoc ipſum aqua marina conſperſum, & in ſaccis contra aërem defenſum ad nos mittunt: nucleos autem aliquoties aqua calcis mergunt, & fumo exponunt, quo toti penetrentur, & ita a corruptione defendantur.

Macis $\frac{1}{5}$ Olei unguinoſi bruni, odoratiſſimi, quod unguenti conſiſtentiam habet & $\frac{1}{64}$ Olei odorati exhibuit. NEUMANN $\frac{1}{24}$ Olei odorati, ultra $\frac{1}{4}$ Extracti ſpirituoſi, aquoſi $\frac{1}{4}$ inde obtinuit.

Nuces moſchatæ ultra $\frac{1}{3}$ Olei unguinoſi, odorati, flavi, quod ſebi conſiſtentiam habet, $\frac{1}{16}$ Olei odorati mihi ſtiterunt; NEUMANN illius ultra $\frac{1}{4}$, hujus $\frac{1}{32}$ circiter, $\frac{1}{4}$ Extracti ſpirituoſi & $\frac{5}{16}$ aquoſi, plane inertis; CARTHEUSER Olei unguinoſi ad $\frac{3}{8}$, odorati ultra $\frac{1}{25}$, Extracti aquoſi ultra $\frac{1}{3}$.

Utrumque aroma primum inter Arabes obtinuit, reliquorum aromatum vires habet, & cum minori acrimonia gaudeat, hinc in morbis primarum viarum, ubi acrimonia vel ſtrictura obtinet, eis quoque præfertur; ſed præterea etiam eadem ſopientes vires habent, ita ut in majori doſi, dum fuerunt aſſumta, temulentiam, delirium, apoplexiam excitaſſe a BONTIO, LOBEL, RUMPH, SCHMID &c. fuerint obſervata, hinc evidens fit, cur in vomitu & fluxibus alvi cum

tanto ſucceſſu dentur; HOFFMANN pro gravidis, vomitione aut tuſſi correptis, non certius novit auxilium Nuce moſchata cum ſaccharo commixta, addit præterea, eandem Alumini junctam paroxyſmos febrium intermittentium potenter ſiſtere.

Macis ad ſcrupulum unum, Nux moſchata ad drachmam dimidiam datur.

* *Oleum Macis expreſſum* Pariſini habent: * *Oleum Macis deſtillatum* VAL. CORD. * *Eſſentia Macis* JUNCKEN olim, cum guttæ ſtomachicæ in uſu erant, crebro uſurpabatur: * *Elæoſaccharum Macis* Auguſt. *Oleum expreſſum Nucis moſchatæ* NICOL. PRÆPOS. cum in Belgio venale variis pinguedinibus adulterare ſoleant, hinc optandum, ut Pharmacopolæ illud ipſi parent; datur intus ad ſcrupulum dimidium, extus ad ſiſtenda tormina & ſedandas evacuationes primarum viarum umbilico illinitur, temporibus vero, provocandi ſomni ergo; id ipſum, ſecundum SCHROEDER, ope Alcoholis colore & odore privatum * *Corpus pro balſamo* evadit: * *Oleum deſtillatum Nucis Moſchatæ:* * *Balſamum Nucis Moſchatæ* SCHROED. * *Syrupus Nuciſtæ* Brandeburg. *Nuces Indicæ Conditæ* VAL. CORD. ſunt ipſa poma, quæ ſaccharo condita, ad nos adducuntur, roborandi ergo comeduntur, Electuariis, Morſulis &c. adjiciuntur.

MYRRHA vid. *Amara.*

MYRTUS, μυῤῥίνη, μύρτος inde Folia & Baccæ in uſum trahuntur.

* Folia ſunt ex ovatis acuta, firma, viridia, proprium aroma ſpirant, ſuaviſſimum, ſapore gaudent aromatico, proprio, cum evidenti adſtrictione amaricante.

* Baccæ exſiccatæ oblongæ ſunt, umbilico, ex cujus medio ſtylus eminet, inſtructæ, nigræ, odorem nullum, ſaporem leviter adſtringentem habent.

MYRTUS. Corollam pentapetalam habet, calice

quinquefido ſuſtentatam, polyandram, monogynam & baccam trilocularem umbilicatam: *Communis* L. BLACWELL 114. floribus ſolitariis, involucro ſuſtentatis diſtinguitur.

In Europa Meridionali & Aſia obtinet.

Varietas *Italica* vulgo dicta, foliis ovato-lanceolatis, acutis, laxe diſpoſitis, præcipue in uſum trahitur.

Folia a vi aromatica & adſtringente, baccæ a viribus adſtringentibus laudantur, utraque ad morbos uteri maxime HIPPOCRATES adhibuit.

* *Aqua deſtillata* Pariſ. * *Spiritus* Pariſ. * *Syrupus e ſummitatibus ſiccis* LEMERY. * *Syrupus Myrtinus compoſitus* WECKER, MESUE vulgo ſolet adſcribi, evidenter adſtringens: * *Oleum foliorum per infuſionem* VAL. CORD. eſt *Myrtinum* Pariſ. * *Oleum baccarum per infuſionem* eſt *Myrteum* GALENI.

NIGELLA Barb. μελάνθιον, *Gith* PLIN. *Nielle*, *ſchwarzer Kümmel* Semina exhibet parva, utrinque acuta, angulata, nigerrima, quæ medullam vireſcentem includunt, odore proprio aromatico, ſapore acri, linguam pungente gaudent.

NIGELLA Corollam format pentapetalam, regularem, nectariis bilabiatis, in orbem poſitis ornatam, polyandram, penta- vel decagynam, & capſulas numero ſtylorum reſpondentes: *Sativa* L. BLACWELL 558 piſtillis quinque, capſulis ſubrotundis, muricatis diſtinguitur.

In Europa Meridionali & Oriente ſponte provenit, in noſtris hortis colitur.

Pauciſſimum Olei odorati, $\frac{1}{12}$ Olei unguinoſi, $\frac{1}{5}$ fere Extracti ſpirituoſi, totidem aquoſi inde obtinuit NEUMANN. Extracti aquoſi inertis $\frac{1}{4}$. CARTHEUSER.

Intus data, a GALENO ob vires anthelminticas, becchicas & emenagogas laudatur, extus autem naribus admoveri jubetur in catarrhis. Hodie tanquam

medicamentum internum non ulterius præſcribitur, ruricolæ illud loco aliorum aromatum cibis ſolent adjicere; aquam cum eo conquaſſatam ſcopo errhino in uſum trahimus.

* OCIMUM, ὤκιμον, βασιλικὸν Græc. Rec. *Baſilic*, *Braſilicum*. Folia inde & Semina in officinis occurrunt.

Folia ex ovatis oblonga ſunt, albida, ſuavi & proprio odore, ſimilique ſapore, qui non acris eſt, inſtructa.

Semina ſunt exigua, oblonga, nigra, ſaporis fatui, odoris nullius.

OCIMUM. Calice bilabiato, ſuſtentat corollam labiatam, cujus labium inferius quadrifidum, ſuperius integrum eſt & ſerratum, ſemina nuda in calice maturantur: *Baſilicum* L. BLACWELL 104 foliis non ſerratis & calicibus ciliatis diſtinguitur.

In Aſia ſpontaneum, apud nos in hortis colitur.

Cum multæ apud Veteres de facultate Ocimi inſecta generandi, viguerint fabulæ, hinc ejus uſum internum diſſuadet GALENUS, Recentiores illud ob fragrantiam, qua pollet, cibis adjicere in more habent, nec ullam unquam inde noxam ſurrexiſſe fuit obſervatum; HIPPOCRATES roborandi ergo intus dedit.

Semen plane iners eſt.

ORIGANUM, *Cunila bubila* PLIN. ὀρίγανον, *Doſten*, *Wolgemuth*. Vulgare quod ἡρακλεωτικὸν, DIOSCORIDIS eſſe videtur & Creticum, τραγορίγανον altera EJUSDEM? aſſervantur.

Vulgaris folia ſunt ovata, integerrima, proprio & grato odore nares, ſapore autem aromatico linguam feriunt.

* *Cretici* nomine proſtant ſpicæ imbricatæ, pryſmaticæ, luteæ, aromatico multum odore, ſimilique linguam pungente ſapore inſtructæ. *Origanum Vul-*

gare L. BLACWELL 280 ſpicis ſubrotundis & paniculatis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Origanum Creticum L. ſpicas pryſmaticas & bracteas calice duplo longiores habet.

In Europa Auſtrali occurrit.

* *Origanum Hiſpanicum* quod interdum proſtat, a capitulis ovatis, acutis, hirſutis, Saturejæ odore & ſapore inſtructis conſtituitur, & deſumitur ab *Origano Maro* L. ſpicas hirſutas & folia tomentoſa proferenti, Archipelagi cive.

Olei odorati $\frac{1}{1536}$ ex Origano vulgari accepi.

HIPPOCRATES origanum multum roborandi & reſolvendi ergo, maxime ad ulcera interna laudavit, incidentem & calefacientem ejus virtutem commendat, rariſſime hodie intus exhibetur; frequenter autem ad epithemata diſcutientia & balnea roborantia recipitur; & cum Vulgare evidens ſatis aroma habeat, hinc non male exotica negligimus.

* *Oleum deſtillatum* VAL. CORD.

PIPER, *πέπερι*, *Poivre*, *Pfeffer*. Ejus tres ſpecies jam Veteribus innotuerunt, nimirum:

* *Longum* quod cylindraceum eſt, dimidii digiti longitudinis, amentum, cujus ſquammæ coalitæ ſunt, refert, odore aromatico & ſimili ſapore, linguam urente inſtructum.

Nigrum. Grana parva, rugoſa, intus alba, fortiori, quam antecedens, odore & ſapore acerrimo prædita, ſiſtit.

Album. Grana nigro æqualia, lævia, alba, nigro paulo mitiora conſtituunt.

PIPER Corollam nullam habet, *Hortus Malabaricus* tri-quinque-ſexfidam recenſet, duas antheras, tres ſtylos exhibet: *Longum* L. BLACWELL 354 foliis cordatis, petiolatis & ſeſſilibus dignoſcitur: *N*-

grum L. BLACWELL 348 foliis ovatis, ſubſeptinerviis, glabris, petiolis ſimpliciſſimis dicitur diſtingui, cum autem nulla amenta gerat, ſed ſpicas, quæ fructibus ſeſſilibus arctiſſime congeſtis præditæ ſunt, quales non raro in Europam advehuntur, multum ſuſpicor, utrumque hoc aroma a plantis genere diverſis ſubminiſtrari.

Ambæ hæ plantæ in Inſulis Aſiaticis creſcunt.

Tam Piper longum, quam nigrum immatura decerpi, cum maturitate eorum aroma imminuatur, teſtatur RUMPH & addit, baccas virides, quæ exſiccando nigreſcunt, per maturitatem luteſcere, & tunc ut conſervari poſſint, in aqua ſalſa conteri, donec exterior cuticula decidat, & dein in ſole vel fumo indurari.

Aquam parum de Piperis ſapore recipere, Alcohol illum integerrimum aſſumere, obſervavit LEWIS, qui inde $\frac{1}{2}$ Extracti aquoſi fervidi & $\frac{1}{8}$ ſpirituoſi fervidiſſimi obtinuit: HEISTER Olei mitis $\frac{1}{128}$: Illuſtris GAUB. $\frac{1}{64}$ inde ſeparavit, quam etiam eandem rationem ego accepi; Eximius GAUB. porro inde $\frac{1}{7}$, Extracti ſpirituoſi, unde omnem aromatis acrimoniam pendere expertus eſt, ſeparavit: NEUMANN ultra $\frac{1}{51}$ olei, Extracti ſpirituoſi ultra $\frac{1}{7}$, aquoſi $\frac{5}{8}$ inodori & inſipidi adducit: CARTHEUSER autem Olei $\frac{1}{96}$, Extracti ſpirituoſi ultra $\frac{1}{8}$, aquoſi $\frac{1}{2}$ fere.

Recenſitis Piperis generibus, recentiori ævo varia alia fuerunt addita, inter ea præ reliquis ſolet in uſu eſſe:

* *Piper Indicum* Recentiorum, καψικὸν ACTUAR. id cum Hiſpani, poſtquam primum in Europam allatum fuerit, crebro in ſuis hortis ſeverint, ab *Hiſpania* vulgo ſolet denominari. Efformatur a Siliquis variæ, pro varia varietate, figuræ, vulgo ovato-oblongis & rubris, in pulpa flavicante ſicca, ſemina

reniformia, compressa, includentibus: Siliquis & seminibus rodens sapor & plane nihil aromatici inest.

Capsicum. Corollam quinquefidam, simili calice sustentatam habet, pentantheram, monogynam, fructus pulpa sicca fartus est: *Annuum* L. Blacwell 129 caule herbaceo & pedunculis simplicibus agnoscitur.

In America Meridionali spontaneum, colitur in nostris hortis.

Extractum spirituosum linguam adurens sistit. Lewis.

Piper Hippocrates resolvendi ergo tam intus quam extus adhibuit, illud multum calefacere annotavit Galenus, & ad morbos ventriculi frigidos quoque laudavit, in ructibus acidis egregie profuisse, Riverius vidit, ante frigus paroxysmi febrilis idem Dioscorides commendat, qui mos vel hodie adhuc inter plebem obtinet, pessimus omnino, probante van Swieten. A Celso urinam pellere & lumbricum latum curare dicitur: Heister aphrodisiacum observavit, non male, præeunte Dioscoride, cibis adjicitur.

Datur ad scrupulum dimidium.

Extus detergendi ergo ad vitia oculorum, & resolvendi ad morbos faucium a Dioscoride laudatur, nec ignotum est, quod magno cum successu tumenti uvulæ admoveatur, revellendi præterea & apophlegmatizandi scopo usurpatur. Dentem cariosum non male granis Piperis repleri, Heister monet.

* *Oleum destillatum* Val. Cord.

Piper Indicum ob insignem, qua eminet, acrimoniam, vix a Medicis in usum trahitur; œnopolæ illud maxime ad acuenda vilioris notæ aceta, solent adhibere.

* Polium, πόλιον, *Poley.* Ejus duas species officinæ recipiunt: *Montanum* sistit cauliculos, foliis oblongis,

oblongis, crassiusculis obsessos, quos multa capitula florigera distinguunt, omnia multum tomentum habent, odorem fragrantem, saporem pungentem & amarum. *Cretici* nomine in nostris officinis asservantur calices parvi, tomentosi, vix odorati, quibus multi cauliculi pauco aut nullo tomento obsessi, nec non folia linearia superne crenata, interdum quoque capitula oblonga, quadrangularia, intermixta sunt, sapor & odor prioris.

Teucrium Polium L. BLACWELL 456 floribus in capitulum collectis & foliis oblongis, obtusis distinguitur.

Crescit in Europa Meridionali.

Teucrium Creticum L. folia lanceolato-linearia & flores racemosos habet.

Archipelagi civis.

Ad viscera reseranda, urinæ mensiumque excretionem promovendam, & ad ulcera curanda a GALENO laudatur; hodie, cum tantam aromaticorum quantitatem habeamus, exolevit.

PULEGIUM, βλήχων, *Puliot*, *Poley*. Cauliculos cum foliis & floribus nobis subministrat: folia sunt ovata, parva, obtusa, levissime crenata, omnia proprium odorem & saporem aromaticum habent.

Mentha Pulegium L. BLACWELL 302 floribus verticillatis, foliis ovatis, obtusis & caule repente distinguitur.

Crescit in Europa non nimis frigida, in Marchiam & Daniam usque ascendit.

HIPPOCRATIS temporibus ad condiendos cibos adhibebatur, ab Eodem & a GALENO ad morbos uteri præcipue commendatur, BOYLE illud ad tussim convulsivam puerorum multum laudat; infusum vinosum cum chalybe Illustrem HALLERUM nunquam fefellit in reserandis mensibus.

Aqua destillata VAL. CORD. ad mixturas uteri-

nas maxime recipitur: * *Oleum deſtillatum* Wurtembergenſibus officinale eſt.

ROSMARINUS, λιβανωτὶς, στεφανωματικὴ, ἄνθος ACTUAR. *Romarin*, *Roſmarin*. Ejus & folia & flores recipiuntur.

Folia ſunt oblonga, integerrima, ſuperne viridia inferne alba, ſaporem habent aromaticum & odorem proprium.

* Flores aſſervantur cum calice, cæruleſcunt, ſapore & odore foliis multo inferiores.

ROSMARINUS L. BLACWELL 159. Corollam labiatam habet, calice labiato ſuſtentatam, labium ſuperius bifidum eſt, inferius majus, trifidum, lacinia media maxima, diantheram, ſemina nuda.

In Europa Meridionali vulgatiſſima planta, in Helvetiam uſque aſcendit, apud nos multa in hortis colitur, contra rigidiores hyemes defendenda.

$\frac{1}{200}$ Olei odorati, Extractum aquoſum debile & amaricans inde obtinuit Cl. LEWIS; Olei deſtillati minimam rationem, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ circiter, aquoſi $\frac{1}{2}$ NEUMANN: Olei odorati, virideſcentis $\frac{1}{52}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{8}$, aquoſi ultra $\frac{1}{3}$ CARTHEUSER.

A vi reſolvente GALENO laudatur, olim quoque multum, ob fragrantiam, qua pollet, capiti commendabatur; WELSCH in diarrhœa ad tabem vergente, & SCHULZ in fluore albo, egregios ejus effectus viderunt. Hodie rariſſime intus datur, crebrius ad uſus externos diſcutiendi & roborandi ergo adhibetur; inertiores flores vix non toti negliguntur.

* *Aqua deſtillata* minus bene jubetur cum floribus parari: * *Conſerva* MESUE: * *Acetum* NIC. PRÆPOS. coſmetico maxime ſcopo uſurpatur: * *Mel Anthoſatum* MESUE clyſmatibus carminativis adjicitur: * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. ST. JACQUES Medicum Pariſinum, hoc oleo ad guttas ſex ante paroxyſmum exhibito, febres curaſſe S. PAULI refert, HANNÆUS

graviſſimum oſſis coccygis dolorem inde vidit curatum: * *Tinctura* Pariſ. * *Species Dianthos* NICOL. congeries aromatum ad viſcidum reſolvendum faciens: * *Aqua Cephalica* BOECLER eſt claretum aromaticum, cujus baſin folia roſmarini conſtituunt: * *Spiritus per fermentationem* Pariſ. *Spiritus abſtractitius*, PREVOT refert, Eliſabetham Hungariæ Reginam, illum propria manu tanquam remedium, ſibi ab Angelo detectum, quo a podagra liberata fuit, breviario ſuo annotaſſe, unde vulgo *Aqua Reginæ Hungariæ* appellatur: adhibetur cum ſucceſſu externe refocillandi, diſcutiendi, roborandi ſcopo, ab ejus uſu interno, unde non poſſunt non humores commoveri, prudentiores ſibi cavent, ſunt qui Rorimarino etiam alia adhuc aromatica pro paranda Aqua Reginæ Hungariæ adjiciunt.

RUTA, ῥυτὴ, πήγανον, *Ruë*, *Raute*. Folia, interdum quoque ſemina uſibus medicatis ſubminiſtrat.

Folia pinnata ſunt & crebrius diviſa, pinnæ rotundæ & glaucæ, ſapor acris, amarus, minus gratus, odor proprius & gravis; ſed odor & ſapor exſiccatione multum imminuuntur.

* Semen exiguum eſt, angulare, nigrum, ſapore & odore ad folia accedit.

RUTA. Corollam tetrapetalam habet, calice quadrifido vel quinquefido ſuſtentatam, diploſantheram, monogynam, capſulam quadrilobam, polypyrenam: *Graveolens* L. BLACWELL 7 foliis decompoſitis diſtinguitur.

In Europa Meridionali ſponte creſcit, in Helvetia adhuc occurrit; apud nos in hortis colitur & optime fert noſtras hyemes.

Olei odorati $\frac{1}{512}$, Extractum ſpirituoſum actuoſum, aquoſum amarum & calidum LEWIS inde ſeparavit; NEUMANN Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ circiter, ultra $\frac{1}{2}$ aquoſi; CARTHEUSER Olei odorati $\frac{3}{320}$, Extracti

aquosi ultra $\frac{1}{3}$, spirituosi $\frac{1}{6}$ circiter; Ego $\frac{1}{464}$ olei, quod frigore consistit, inde destillavi.

Medicamentum jam a PYTHAGORA celebratum, HIPPOCRATE resolvendi, urinam ducendi & venena arcendi ergo commendat, ad flatus dissipandos GALENUS adhibuit; rarissime hodie intus datur; externe discutiendi scopo, nec non a vulgo maxime, in morbis malignis, rubefaciendi ergo in usum trahitur. Ruta vino decocta Cl. PLENK ozænam curavit, & ulcus malignum gingivarum. Seminis usus exsolevit.

Sanguinem e vena emissum attenuat. SCHWENCKE.

* *Oleum infusum* MESUE vix aliquid proprii habet: * *Oleum destillatum* VAL. CORD. præcipue inservit ad parandum *Balsamum* SCHROED. quod ad affectus nervorum commendare solent: * *Acetum* SCHROED. prophylaxeos ergo olim in usu fuit: * *Tinctura* Paris. * *Extractum* Wurtemb.

SABINA, βϱάθυς, *Sevenbaum.* Folia sistit longa, ex foliolis imbricatis efformata, odore forti, gravi, sapore amaricante & acri prædita.

Juniperus Sabina L. BLACWELL 214 foliis alterne oppositis, cauli appressis agnoscitur.

Crescit in Europa Meridionali, Helvetiæ quoque indigena, apud nos in hortis colitur, nostræ hyemis patientissima.

Olei odorati ultra $\frac{1}{6}$ largitur HOFFMANN: Extractum aquosum amarum, pungens, minus odoratum est LEWIS: CARTHEUSER Olei odorati, ultra $\frac{1}{96}$, Extracti aquosi ultra $\frac{1}{4}$, spirituosi $\frac{1}{5}$ circiter inde obtinuit.

Sanguinem e vena emissum resolvit. SCHWENCKE.

Validissime Sabinam in uterum agere, ita ut non modo menses moveat, sed etiam fœtus occidat & pellat, GALENUS monet, qui eandem quoque valide urinam pellere, & externe applicatam cutim inflammare, sordidissima ulcera expurgare & putredini re-

ſiſtere contendit; medicamentum quod ſanguinem vehementiſſime exæſtuat, ita ut eundem e pulmonibus prorumpere fecerit, obſervante Ill. HALLER, abortum quoque facile poterit excitare, cum, etſi non ſemper inde excitari IDEM vidit & ALBERTI probat, CL. SCOPOLI quoque obſervavit non conſtanter menſes inde referari, rectiſſime tamen prudentes Medici ab ejus uſu interno abſtinent, & Pharmacopolæ coërcentur, ne medicamentum, unde graviſſima mala ſurgere poſſunt, promiſcue vendant. Externe ad caſus a GALENO recenſitos vel hodie adhuc cum ſucceſſu adhibetur, nec ſine effectu umbilico contra vermes imponitur. Pulvis fungis cerebri inſpergitur & oſſibus carioſis.

* *Aqua deſtillata* NIC. PRÆPOS. * *Oleum deſtillatum* HOFFMANN. * *Extractum* Wurtemberg. foliis inertius.

SALVIA, σφακὸς, *Sauge*, *Salbey*. Folia ejus & Flores in officinis obtinent.

Folia ſunt ex ovatis oblonga, rugoſa, crenata, tomentoſa, odore proprio, ſapore aromatico, amaricante gaudent.

* Flores majores ſunt, cærulei, ſapore & odore foliorum ſed mitioribus inſtructi.

SALVIA. Corollam ringentem, calice bilabiato ſuſtentatam habet, labium ſuperius integrum eſt, inferius trifidum, lacinia media majore, dianthera, filamenta biſulcata includens: *Officinalis* L. BLACWELL 10 & 71 foliis lanceolato-ovatis & calicibus acutis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, apud nos copioſe in hortis colitur, nec a noſtra hyeme læditur.

Exiguum Olei odorati momentum largitur, Extractum aquoſum leviter amarum & ſubadſtringens eſt, ſpirituoſum aromaticum, ſapore ad camphoram

accedit. LEWIS. Olei odorati $\frac{1}{142}$, Extracti aquosi $\frac{1}{3}$, spirituosi vix $\frac{1}{6}$ CARTHEUSER inde obtinuit.

Sanguis ex vena missus inde attenuatur. SCHWENCKE.

Excalefacere & leniter adstringere GALENO dicitur, resolventes etiam evidentes vires habet, HIPPOCRATES ad morbos uteri & pulmonum commendat, ad quos ultimos ab ORPHEO usurpatam fuisse, AETIUS refert; ad eosdem etiam hodie adhuc præscribitur; ad sudores nocturnos post morbos laxitatem solidorum relinquentes, & in fluxu seroso mammarum, post ablactionem, superstite, Salvia nihil efficacius invenit VAN SWIETEN, fabulæ de noxia qualitate, qua a bufonibus imbuitur, exolevit; num palpebræ inflammatæ & inflammatio oculorum, quas CULLEN usum salviæ excepisse vidit, innocenti alias herbæ, an aliis potius causis debentur?

Florum, qui foliis evidenter inferiores sunt, usus eviluit.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. Nonnulli minus bene eam a floribus jubent abstrahi, linteolo ea imbuto & linguæ imposito aphoniam curatam fuisse, GOETZ refert: * *Aqua composita* Wurtemberg. a spiritu multo aromate ditato, potius arcessi quam arceri apoplexiam, metuo. * *Acetum* QUERCETAN. * *Conserva* VAL. CORD. & hæc potius ex foliis quam ex floribus paranda est: * *Oleum odoratum* VAL. CORD. * *Oleum infusum* Paris. * *Spiritus* Paris. * *Tinctura* Paris.

SASSAFRAS LIGNUM Recent. Ejus Radicis magna ad nos & ramosa frusta adducuntur, quæ sub cortice, qui etiam seorsim in officinis prostat, rugoso, ferrugino, spongioso, lignum continent pallidius, minus durum, cujus fibræ, si transversim secatur, facillime a se mutuo recedunt, odor fragrans ad fœnicu-

lum accedit, ſapor valde aromaticus eſt; tam odor quam ſapor in cortice, pro ligno magis eminent.

Laurus Saſſafras L BLACWELL 267 floribus dioicis, & foliis integris & trilobis diſtinguitur.

Copioſe in Florida, Virginia, Penſylvania, Carolina & Canada creſcit.

$\frac{1}{32}$ Olei odorati inde accepi: HOFFMANN $\frac{1}{55}$ circiter: Extracti aquoſi $\frac{1}{2}$ GMELIN: NEUMANN $\frac{1}{48}$ Olei & præterea Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{7}$, aquoſi autem $\frac{1}{4}$: CARTHEUSER Olei $\frac{1}{48}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{4}$ circiter, aquoſi vero ultra $\frac{1}{4}$.

MONARDES medio Seculi XVI primus ejus meminit: MUNTING primus arborem in Europa coluit.

Ratione aromatis, quo ſcatet, humores valide ſolvit & ſolida ad frequentiores contractiones ſtimulat, hinc ad catarrhos maxime & morbos rheumaticos commendatur, perſpirationem quoque multum intendit; & ad affectus cutaneos, nec non ad virus venereum miris laudibus celebratur; circa homines calidæ temperiei caute cum eodem mercandum eſt.

In infuſo Cortex ad drachmam unam, Lignum ad ſeſqui drachmam adhibetur.

* *Aqua deſtillata Ligni* Pariſ. * *Aqua deſtillata Corticis* Pariſ. Utraque non inefficax eſt: * *Aqua compoſita* Wurtemb. in affectibus ventriculi frigidis non contemnenda: *Oleum deſtillatum* SCHROED. ejus pauciſſimæ guttæ, pro doſi, aliis medicamentis admiſcentur: * *Extractum* Wurtemb. inertius: * *Eſſentia* Brandeburg. eam momentaneam operam ad diſcutiendos flatus præſtare, BAGLIV. monet: * *Eſſentia compoſita* Wurtemberg. * *Syrupus* Wurtemberg.

SATUREJA, θύμβρα? *Sariette*, *Bohnenkraut*. Recipimus cauliculos teneros, veſtitos Foliis parvis, lanceolatis, acutis, odore aromatico, ſapore forti & acri æque ac ipſi cauliculi, inſtructis.

SATUREJA. Calice quinquefido ſuſtentat corollam

ringentem, cujus labium superius inferiori æquale est, inferius in tres partes, parum inæquales divisum, semina nuda: *Hortensis* L. BLACWELL 419 pedunculis bifidis distinguitur.

Sponte in Europa Meridionali crescit: multum in nostris hortis colitur.

Spiritus omne aroma inde recipit, aqua odorem & paucum saporem, Olei odorati parum largitur, Extractum aquosum subadstringens est, spirituosum aromaticum. LEWIS. Extracti aquosi $\frac{1}{5}$ circiter exhibuit, CARTHEUSER.

Θύμβραι ad eosdem usus ac reliqua aromatica adhibuit HIPPOCRATES, Saturejam rarius scopo medicato, crebrius ad condiendos cibos adhibemus, a nostratibus siliquis phaseolorum adjicitur, ut earum gratiam augeat.

* *Oleum destillatum* VAL. CORD.

* SCHOENANTHUS AETII, σχοίνε ἄνθος GALEN. *Squinanthos* & *Juncus odoratus* PLIN. *Cameel-Heu*: hoc nomine prostant Culmi teretes, flavi, superne angusti & in plures ramos parallelos, capillares terminati, aliquot foliis vaginantibus, arctissime convolutis tecti, substantiam fungosam includentes, sapore acri, amaricante, aromatico prædití.

ANDROPOGON. Locustam unifloram habet, quæ calice biglumi sustentat corollam biglumem, a basi valvæ longæ aristam longam emittentem, triantheram digynam, semen aristatum est: *Schœnanthum* L. paniculæ spicis conjugatis, arista intorta, floribus, rachi pubescente gaudet.

In desertis Arabiæ copiose crescit.

Exiguam quantitatem Olei odorati largitur, Extractum aquosum minus gratum est, spirituosum evidenter aromaticum. LEWIS.

Ab HIPPOCRATE ad injectiones in uterum ulceratum recipiebatur, a GALENO ad movendam uri-

nam, reſerandos menſes, morbos viſcerum abdominalium & hæmoptyſin laudabatur: in tanta quam habemus medicamentorum aromaticorum copia, ejus uſus eviluit. Pulverem cum ſucceſſu cerebro fungoſo inſpergi, GOHL vidit.

SERPENTARIA VIRGINIANA Recent. Eſt Radix, quæ ex tenui capite plurimas fibrillas, aliquot pollices longas, emittit, ex albo-flaveſcens, odore evidenter camphoram redolente, ſapore acriuſculo, amaro prædita; ipſis non raro adhuc cauliculi foliis ornati adhærent.

Ariſtolochia Serpentaria L. BLACWELL 359 foliis cordato-oblongis, planis, caulibus flexuoſis, teretibus & floribus ſolitariis gaudet.

Creſcit in Virginia.

Extracti aquoſi balſamici, camphorati $\frac{1}{4}$, ſpirituoſi magis acris $\frac{1}{8}$ circiter largitur. CARTHEUSER.

Verſus finem ſuperioris Seculi inter Anglos & Gallos, ſub initium hujus inter Germanos cœpit in uſum recipi.

A vi venenis reſiſtendi in America laudatam radicem, Europæi a virtute alexipharmaca commendant, Angli eadem crebro in morbis exanthematicis utuntur, ut virus ad cutim determinetur; motum ſpirituum inde compeſci, WILLISIUS & WEDEL obſervarunt. Vires antiſepticas Illuſtr. PRINGLE vidit.

Datur in pulvere ad ſcrupulum, & in infuſo aquoſo ad drachmam unam.

* *Eſſentia* Wurtemberg.

SERPYLLUM, ἕρπυλλος & ἕρπυλλον, *Serpolet*, *Quendel*. Cauliculos teneros exhibet, veſtitos foliis parvis, ovatis, obtuſis, ſapore & odore aromatico æque ac cauliculi inſtructis.

THYMUS. Corollam habet ringentem, ſimili calice ſuſtentatam, labium ſuperius emarginatum, inferius fere regulariter trifidum, ſemina nuda: *Serpillum*

Blacwell 418 floribus capitatis, caulibus decumbentibus & foliis ovatis diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam.

Menſes & urinam inde moveri Galenus annotat, hodie vix intus exhibetur; ejus ope cephalæam a crapula tolli, aſſerit Linnæus: extus diſcutiendi & roborandi ergo in uſum trahitur.

* *Aqua deſtillata* Val. Cord. * *Aqua benedicta Serpylli* Mynsicht. eſt aqua vinoſa aromatica roborans & reſolvens, quæ in morbis frigidis ad aliquot cochlearia dari poteſt: * *Spiritus* Brandeburg. * *Oleum deſtillatum* Val. Cord.

Seseli, σέσελι, *Bergkümmel. Creticum* & *Maſſilienſe* in officinis occurrit, prius Noſtrates ſub *Montani* nomine recipiunt.

Creticum oblongum eſt convexo-concavum, tribus lineis eminentibus notatum, ruſum, odore nullo, ſapore levi, parum aromatico gaudet.

Maſſilienſe priore minus album eſt, & ſapore evidenter aromatico gaudet.

Creberrime in officinis unum alteri ſubſtituitur.

Prius deſumitur a *Tordylio*, planta umbellifera, utroque involucro & ſeminibus planis, margine elevato crenulato inſtructa: *Officinali* involucro partiali floribus aqu[illegible] & foliolis ovatis, laciniatis, Orientis, Europæ Meridionalis cive: alterum nobis ſubminiſtrat *Seseli* cujus umbella involucrum univerſale nullum, partiale paucifolium habet, ſemina ſtriata ſunt: *Tortuoſum* L. foliolis linearibus faſciculatis diſtinctum, Europæ auſtrali indigenum.

Non raro variarum aliarum plantarum umbelliferarum ſemina, his ipſis ſubſtituunt.

Ab Hippocrate medicamentis uterinis Seſeli adſcribitur, Galenus illud ad movendam urinam, morbum comitialem & orthopnœam laudat; cum plu-

rima femina aromatica habeamus, illud hodie eviluit.

* SPICA NARDI, ϛάχυς νάρδος, Ejus duplex genus hodie proftat:

Spica Indica, *Cretica*, *Syriaca*, Νάρδος ἰνδική, *Mariæ Magdalenæ Blumen.* Eft capitulum exiguum radicis, plurimis nervis foliorum marcidorum inftructum, qui fibi invicem incumbunt & convoluti funt, colore ferrugineo, odore gravi, cui aliquid fitum redolens accedit, fapore leviffime amaro inftructum.

Spica Celtica, Νάρδος κελτική. Efformatur a Radiculis, quæ foliis exiguis tanquam fquammis veftiuntur, unde quoque nervi foliorum marcidorum prodeunt, odore ad priorem accedit, fapore gaudet evidentius amaro, leviter falino & aromatico.

Andropogon Nardus L. paniculæ ramis multum fubdivifis & proliferis gaudet.

Crefcit in India & Syria.

Valeriana Celtica L. floribus triandris & foliis ovato-oblongis, obtufis, integerrimis diftinguitur.

Alpium Europæ Meridionalis & Helvetiæ civis.

Ex Indica NEUMANN $\frac{1}{8}$ Extracti fpirituofi, aquofi autem $\frac{1}{6}$ & pauciffimum Olei odorati obtinuit: CARTHEUSER Extracti fpirituofi $\frac{1}{14}$ circiter & $\frac{1}{6}$ aquofi aromatici.

GALENUS inde urinam moveri, & fluxiones vifcerum medelam recipere, Celticam præterea Indica debiliorem effe, monet, quod ultimum faltem de noftris afferere non auderem, hodie utraque vix intus datur, fed interdum ad balnea adhibentur HASSELQUIST refert, apud populos interioris Africæ & Abyffiniæ, qui inde unguentum cofmeticum parant, adeo magnum Spicæ Celticæ ufum effe, ut quotannis pro pretio 6000 thalerorum ex Germania, per Venetias, in Ægyptum mittatur.

* *Effentia* Wurtemb.

* STOECHAS, στιχὰς, στοιχάς. Ejus aſſervantur Spicæ cylindraceæ, multis calicibus ſibi arctiſſime incumbentibus efformatæ, ex quarum ſummitate flores marcidi eminent, colore gaudent cinereo, odore levi, ſapore aromatico ad lavendulam accedente, ſed magis reſinoſo.

Lavendula Stœchas L. BLACWELL 241 foliis lanceolato-linearibus & ſpica comoſa diſtinguitur.

Creſcit in Oriente & Europa Meridionali.

Olei odorati largam quantitatem, Extractum aquoſum amarum & ſubadſtringens, ſpirituoſum autem aromaticum largitur. LEWIS. Olei odorati perparum, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{7}$ circiter, aquoſi $\frac{5}{12}$ fere. NEUMANN.

Hanc Stoechadem *Arabicam* MESUE dixit, quam denominationem adhucdum ſervat, ut ab aliis plantis cognominibus diſtinguatur.

Cum flores ſtoechadis Arabicæ, prouti hodie in officinis proſtant, ut plurimum effœti ſint, eviluerunt, & ipſis lavendula, efficacior omnino ad obſtructiones viſcerum reſerandas, humores attenuandos & ſolida roboranda, ad quos a Galeno laudati fuerunt, ſubſtituitur.

THYMUS, θύμον, *Thym*, *Thymian* : Recipimus ejus Cauliculos teneros, foliis exiguis ovatis & verticiliis florum exiguorum veſtitos, odore proprio, ſapore aromatico, grato, linguam pungente inſtructos, albidos.

Thymus Vulgaris L. BLACWELL 211. floribus verticillatis & foliis ovatis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, apud nos in hortis colitur, & noſtras hyemes optime fert.

Olei Odorati $\frac{1}{128}$ inde obtinui : LEWIS $\frac{1}{480}$ & præterea Extractum aquoſum, ſubſalinum, ſpirituoſum parum odoratum, ſaporis penetrantis camphorati

accepit: Cartheuser olei odorati $\frac{1}{85}$ circiter, Extracti aquosi $\frac{1}{3}$ fere, resinosi ad $\frac{1}{5}$.

Quas Hippocrates de reliquis aromaticis vires adducit, etiam de thymo laudat; hodie magis in culinis tanquam condimentum, quam tanquam medicamentum in officinis usurpatur.

* *Aqua destillata* Val. Cord. * *Spiritus* Paris. * *Oleum destillatum* Val. Cord.

Valeriana Barb. *Baldrian.* Radicem officinis subministrat, quae ex capite crassiusculo & brevi, cui fovea, unde caulis exierat, insculpta est, copiosissimas fibras capillares emittit, extus fusca, intus alba, odorem fortem, qui ad Nardum accedit, saporem salinum habet.

Valeriana Officinalis L. Blacwell 271 floribus triandris & foliis omnibus pinnatis distinguitur.

Crescit in omni Europa, praeter multum Meridionalem.

Aquam valde odoratam, sed nullum Oleum largitur, $\frac{1}{4}$ Extracti aquosi, nauseose dulcis & acris, $\frac{1}{8}$ spirituosi. Lewis: Extracti aquosi $\frac{13}{24}$, spirituosi $\frac{3}{8}$ circiter Neumann: Extracti aquosi $\frac{5}{16}$ fere & $\frac{1}{5}$ circiter spirituosi. Cartheuser.

Fabius Columna virtutem hujus radicis antepilepticam, in se ipso & multis aliis expertam, celebrat, eandem propriis observationibus confirmarunt Marchant, Cruger, Lentilius, Schuchmann, Sauvages, Cl. Scopoli, Illustres Stoerck, Tissot, Haller &c. qui ultimus eandem, iis quorum nervi nimis sensiles sunt, quoque utilem esse, vidit; Illustr. Stoerck praeterea eam egregie ad fugandos vermes facere observavit; ejusdem intus sumtae vires oculos roborantes, Tabernaemontanus & Stantke probant. Datur singulis diebus ejus pulvis ad drachmam unam.

* *Aqua destillata* Val. Cord. omnino efficax:

* *Essentia Valerianæ composita* Wurtemb. est *Essentia Bezoardica* HERMANN ad febres malignas laudata.

VANIGLIA Recent. Constituitur a Siliquis dimidio pede longioribus, dimidium pollicem latis, utroque extremo producto & obtuso, compressis, striis longitudinalibus notatis, uno margine crassiusculo, altero acuto instructis, profunde fuscis, splendore quodam, quasi oleoso, simílique tenacitate gaudentibus, pulpam granulatam includentibus, odore fragrante ad flores Persicorum accedente, & sapore aromatico sensus recreantibus.

EPIDENDRON. Corollam pentapetalam, nectario quadrifido & ringente auctam, spathis vagis sustentatam, diantheram, monogynam habet, & siliquas longas: *Vanilla* L. habitu scandente, foliis ovato-oblongis, nervosis, sessilibus distinguitur.

Crescit in Jamaica, Cajenna & America Meridionali.

Fructus maturi ut conserventur, oleo inungi solent; sub initium Seculi superioris, parum adhuc in Europa noti.

Oleum odoratum fundit, spiritu vini omni odore privatur.

Ob fragrantiam æque, ac evidens, quo pollet, aroma, ad roborandum caput, & restituendum robur primarum viarum adhibetur. Datur in Infuso ad drachmam unam. Præcipuus ejus usus est ad parandam Chocolatam, aut ad condimenta.

* WINTERANUS CORTEX vulgo. *Canella alba*. Hoc nomine venit cortex crassus, in tubos convolutus, extus striis transversis notatus, flavicans, intus albus, sapore acriusculo, aromatico instructus.

WINTERANIA L. BLACWELL 206. Corollam pentapetalam habet, nectario auctam, calice trifido sustentatam, polyantheram, monogynam, baccam tripyrenam.

Crefcit in America Meridionali.

Oleum effentiale calidum fundit, quod crebro Oleo caryophyllorum folent adjicere. BROWN: Olei fpiffiufculi ultra $\frac{1}{768}$, Extracti fpirituofi parum aromatici $\frac{1}{7}$ fere, aquofi, amari $\frac{1}{5}$ circiter obtinuit CARTHEUSER.

Genuinus CORTEX WINTERANUS fiftit Frufta plana, non convoluta, Canella alba craffiora, colore Cinamomeo, odore grato aromatico, fapore linguam pungente inftructa. *Drymis Winteri* FORSTER *Nov. Act. Upfal.*

WILHELMUS WINTER nauclerus anglus anno 1579 hunc corticem ex freto Magellanico Europæ intulit.

Ob vires ad fcorbutum facientes maxime laudatur, vi quoque refolvente & roborante morbis ferofis, aut cum vifcera obftructa fuerint, commendatur. Datur ad drachmam dimidiam.

* *Aqua deftillata* Wurtemberg.

* ZEDOARIA Lat. Barb. *Zittwer.* Siftit Radices aliquot pollices longas, minimum digitum craffas, levibus rugis & tuberculis diftinctas, extus gryfeas, intus rufas, odore proprio, ad camphoram accedente, fapore acri, aromatico, amaricante inftructas: Radices rotundiores olim a vulgaribus, quas *longas* dixerunt, diftinguere folebant.

Kæmpfferia Rotunda L. BLACWELL 399 folia habet lanceolata & petiolata.

Crefcit in Madagafcar & in India.

Largitur Oleum odoratum fpiffum GEOFFROI, *Extractum aquofum* debile & naufeofe amarum eft: fpirituofum calidum, aromaticum, grate odoratum LEWIS: Olei odorati $\frac{1}{128}$, Extracti aquofi $\frac{1}{3}$ circiter, fpirituofi $\frac{1}{11}$ fere. NEUMANN: Extracti aquofi $\frac{1}{3}$, fpirituofi $\frac{1}{16}$ CARTHEUSER.

Primi Arabes hanc radicem in ufum traxerunt.

Laudatur medicamentum aromaticum, incidens, roborans.

* *Aqua destillata* Wurtemberg. est aqua vinosa: * *Aqua composita* JUNCKEN, non ingratum medicamentum stomachicum & carminativum: * *Oleum destillatum* VAL. CORD. * *Extractum* spirituosum & aquosum commixta Wurtemberg.

ZINGIBER, ζιγγίβερις, *Zinziber* Barb. *Gingembre*, *Ingwer*, *Imber*. Largitur Radices plus minus lobatas, lobis varie figuratis, omnibus rotunde terminatis, rugis plus minus eminentibus notatas, extus flavicantes, intus ex rufo flavas, odore proprio, sapore multum acri, aromatico instructas.

Rejicimus rubras & illas quarum superficies, ad tegenda foramina, crusta quadam terrea obducta est.

Amomum Zinziber L. BLACWELL 402 observante BROWN, duas antheras habet & calicem spathaceum, scapo nudo & spica oblonga gaudet.

Crescit copiose in omni India, inde per Lusitanos in Americam Meridionalem translatum, ibi frequenter hodie colitur & in Europam mittitur.

Radices epidermide privatæ & aqua coctæ nos adeunt.

Largitur $\frac{1}{68}$ circiter Olei odorati, ipsa radice minus acris & Extractum aquosum fervidum GESNER: Olei odorati $\frac{1}{128}$, Extracti spirituosi $\frac{1}{15}$ fere, aquosi $\frac{1}{4}$ NEUMANN. Olei odorati $\frac{1}{128}$, Extracti aquosi $\frac{1}{4}$, spirituosi $\frac{1}{12}$. CARTHEUSER.

Ratione virium satis prope ad piper accedit, sed eodem, observante GALENO, mitius agit, attenuando & stimulando concoctionem ciborum juvat, hinc & hodie adhuc tanquam condimentum illis adjicitur; interdum admiscetur medicamentis, quibus mucum priorum viarum incidere tentamus. Datur ad grana octo. Extus ad evocandum ex tumente uvula mucum remedium præsentaneum esse solet. STENO Zinziberis radice

radice ſaliva humectata & oculo admota viſus aciem reſtitutam recenſet, & BORRICHIUS eandem in pulverem comminutam & aqua madefactam, palpebris cum ſucceſſu in imminente cataracta impoſitam teſtatur, recipitur etiam ad apophlegmatiſmos.

* *Oleum deſtillatum* SCHROEDER. *Tabellæ Zinziberis* SYLVII, *Zinziber coctum* Noſtr. ad reſtituendas vires digerentes cum ſucceſſu datur. *Conditum Zinziberis* VAL. CORD. ex India ad nos adducitur, ad ſeſqui drachmam exhibetur eis, qui morbis frigidis primarum viarum laborant.

§. 26.

III. RESINÆ.

Huc refero ſubſtantias, ignem capientes, evidenti odore inſtructas, in aqua non ſolvendas, quarum plurimæ calore liquantur & in modum olei fluunt, omnes, una ſaltem excepta, oleum odoratum, aquæ inde abſtractæ impertiunt, & hinc ad aromata (§. 25.) accedunt.

§. 27.

Docet experientia, Reſinas partibus, quas obducunt, evidentem rigiditatem conciliare, hinc roborantibus jure adſcribuntur (§. 22.). Sed eaſdem putredini quoque reſiſtere, omnis ævi experientia evicit, hunc effectum videntur præſtare, dum a partibus, quibus adhærent, aërem arcent, in ſubſtantiam fibrarum deſcendendo, nexum earum firmant, motum deſtructorium cohibent, acidum quoque, putrido ſemper adverſum, ſubminiſtrant, hinc *Antiſepticis* adſcribuntur; eædem ſaponaceis unitæ diſſolutionem obſtructorum in pus juvant, & ſua vi antiſeptica: ne hoc corrumpatur, cavent, hinc *Digerentium* vires optime exſequuntur, & cum novam, quæ ſub pure

ſurgit, carnem roborent, conſolidationem egregie promovent & *Conſolidantia, Traumatica, Epulotica* conſtituunt. Sed id circa earum adhibendi modum notandum eſt, eas, cum omne aquæ commercium reſpuant, & hinc a noſtris humoribus recipi non poſſint, ſemper alicui ſaponi eſſe jungendas, quando tanquam medicamenta debent uſurpari.

§. 28.

Indicantur Reſinæ 1) ubicunque aromata proſunt, 2) cum tonus viſcerum multum fuerit dejectus, 3) aut ulcera aliquam partem internam depaſcuntur: extus eaſdem adhibemus, 4) ſub qualicunque læſione continui partium mollium, 5) ad roborandas membranas, 6) ad diſcutiendas ſtagnationes: in penultimo caſu ſub forma ſuffitus maxime in uſum trahuntur, in ultimo tanquam ſuffitus, cataplaſmata, emplaſtica. Abuſus Reſinarum 1) eadem ac ille aromatum mala gignit (§. 25.) 2) rigiditatem producit, 3) morbos ab incretione ſalutari cohibita oriundos excitat, 4) ſalubrem abſceſſuum & ulcerum depurationem impedit.

α. VEGETABILES.

* Aloes Lignum Arab. ἀγάλλοχον, *Agallochum* Veterum. Advehuntur ad nos ſub hoc nomine, fruſta lignoſa variæ magnitudinis & craſſitiei, ponderoſa, colore badio aut nigro tincta, ſtriis nigricantibus diſtincta, aut reſinam nigricantem, parum ſapidam in ſinubus quaſi exeſis vehementia; dum hæc fruſta ignem capiunt, fundunt reſinam, quam habent, & fragrantem odorem emittunt, qui autem a ſubſequente Ligni fumo mox turbatur.

Quo plus reſinæ hæc fruſta vehunt, quo magis ponderoſa ſunt, quo evidentius badia vel nigra,

eo reputantur meliora. De arbore, unde hoc lignum desumitur, nihil certi constat, non vana videtur conjectura, varium arborum genus in montibus Indiæ Orientalis contingere, quod per senium resinam recipit, ea plane ratione, quam circa varias Pinus species in Europa obtinere videmus, arbores resina fœtæ cædi & frusta. L. Aloës nomine in universum venire; illa, quæ copiosissimam & suavissimam resinam habent, *Calambac* appellant, & ab Indis tam ad usum religiosum, quam ad luxum adhibentur, frusta parciore resina farta sub *Garo*, L. *Aspalathi*, *Agallochi*, *Aquilæ* titulo ad nos mittuntur, colore & ratione resinæ, quam vehunt, adeo differentia.

Cum L. Aloës inter nos prostans adeo diversum sit, hinc facile patet, rationes ejus principiorum etiam multum differre.

HOFFMANN inde vix $\frac{1}{320}$ Olei odorati, quod consistentiam butyraceam habet, obtinuit: NEUMANN Extracti resinosi $\frac{1}{2}$ fere, aquosi $\frac{1}{3}$ circiter: CARTHEUSER $\frac{3}{8}$ Extracti spirituosi inertioris & aquosi $\frac{1}{4}$.

Laudatur hujus ligni suffitus ob vires cephalicas & cardiacas, olim sub forma pulveris quoque intus dabatur, sed certissime sine effectu.

* *Resina* ANGELI SALÆ iners: * *Essentia* Hamburg. * *Aqua destillata* Paris.

* ANIME GUMMI Recent. sub frustis variæ magnitudinis ad nos adducitur, quæ citrina sunt, pellucent, & odorem suavem spirant. Minus bona reputantur cortice resinoso, magis nigricante hinc inde obsessa.

HYMENÆA L. Corollam pentapetalam habet, fere regularem, duplici calice, quorum exterior bifidus, interior quinquefidus est, diplosantheram, monogynam & siliquam pulpa farinaceo-fibrosa fartam.

Crescit in America Meridionali.

Primus AMATUS hujus resinæ mentionem facit,

& illam a Lusitanis ex Guinea & Mina in Europam vehi, in patria autem *Animum* vocari; ex quo PLUMIER arborem *Courbaril* dixit, Galli etiam resinam hoc nomine appellant. Hodie omnis ex America ad nos adducitur.

Nonnisi in spiritu vini solubilis, paucissimum Olei odorati fundit. LEWIS. Tota in alcohole dissolvitur, Extracti aquosi $\frac{1}{16}$ largitur. NEUMANN.

Laudatur ejus suffitus, sed rarissime præscribitur.

BENZOES G. Barb. *Asa dulcis* Recent. Est resina cujus magnæ massæ, quarum superficies vestigia ipsis a texto junceo impressa gerit, ex laminis rubro-fuscis conflata, quibus grana variæ magnitudinis *Ungues* seu *Amygdalæ* dicta inhærent, odorem gratum spirat, saporem dulcem habet, calore liquatur.

Quo magis frusta pellucent, quo albidioribus & copiosioribus unguibus scatent, eo sunt meliora; sordibus obsessa, corrupta a Mercatoribus *en Sortes, in Sorten* dicuntur, quæ appellatio etiam ad reliquas viliores medicamentorum species transiit.

Minus bene substantiam, ex Sumatra, Java, Siam, Borneo, Madagascar ad nos allatam, a *Lauro Benzoin* L. repetere solent, Virginiæ cive & nostræ hyemis patientissima. Ill. LINNÆUS eam recentissime a *Croton Benzoe* L. foliis linearibus nudis & venis rubris distincta, derivat.

GRIMM refert, eam ex vulnerato arboris sexennis cacumine effluere & unam arborem non ultra tres libras resinæ largiri.

Innotuit demum, quum Europæi navigationes in plagas Orientales instituerunt.

Tam, si cum aqua tractatur, quam si sub justo instrumentorum apparatu calori exponitur, salem essentialem oleosum fundit, qui sub *Florum* nomine venit, & vulgo $\frac{1}{10}$ æquat. Destillata $\frac{1}{3}$ florum impu-

riorum, $\frac{1}{24}$ Olei, $\frac{1}{6}$ ſpiritus acidi circiter fundit. NEUMANN.

Intus rariſſime datur, ad ſuffimigia maxime recipitur.

Flores vid. *Inſt. Chem.* * *Oleum* VAL. CORD. exolevit: *Tinctura* SCHROEDERI eſt ſolutio Benzoës ſpirituoſa; ejus aliquot guttæ aquæ inſtillantur, quæ deinde, ſub nomine *Lactis Virginei*, ad uſus coſmeticos recipitur: * *Eſſentia ſimplex* Wurtemberg. eſt ſolutio Benzoës in ſpiritu Aniſi, * *Eſſentiam compoſitam* Eorundem ego ſaltem, cum non poſſit non ſanguinem commovere, ad morbos pectoris nunquam auderem exhibere, uſibus coſmeticis melius reſpondebit.

CAMPHORA Lat. Barb. Ejus varia genera recenſent Auctores: * unum ex radice *Lauri Cinnamomi* L. ope deſtillationis cum aqua obtinetur, & ad nos in exiguis granulis pellucidiſſimis adducitur, odore & ſapore cum Camphora inter nos vulgari convenit; * ſecundum a Borneo vel Sumatra & hujus ſede regia *Baros* denominatur, granis majoribus conſtat, centuplo cariori pretio quam tertium, vel recentiſſime DE-JEAN, apud Ill. GAUB, teſtante venditur, nec hoc unquam in tabernis occurrit: tertium ſub forma granorum parvorum, flavicantium, quæ interdum in maſſas majores collecta ſunt, ad nos adfertur, eandem Amſtælodami, ratione in *Inſtitutionibus Chemiæ* dicta, in propriis vaſis ſublimant, unde in panes concavo-convexos, cryſtallina albedine ſplendentes, quorum vertex, ob ſublimationis rationes perforatus eſt, fragiles, efformatur; adeo inflammabilis, ut etiam ſupra aquam ardeat, proprio fortiſſimo, caput quoque obnubilante, odore gaudet & ſapore, qui linguæ leviſſimum amari, evidentiſſimum frigoris ſenſum imprimit, dentibus adhæret, nec niſi cum aliis ſubſtantiis ſubacta in pulverem teri poteſt; ex omni menſtruo ab aqua præcipitatur, in qua tamen ſe omnino diſſolvi patitur, ſi multum cum ea agitatur.

Laurus Camphora L. BLACWELL 347 floribus dioicis & foliis trinerviis, ovato-oblongis, diſtinguitur.

Creſcit copioſiſſime in Japan.

Hujus arboris partes conſciſſæ; cum aqua in lebete, qui operculo, ſtramine intus obducto, tegitur, coquuntur, & ita efficitur, ut Camphora operculo ſtramineo accreſcat.

Arabibus egregium hoc medicamentum debemus, ſagaces illi, id ipſum medicamentis refrigerantibus adſcripſerunt, licet multa habeat, quæ calidis annumerandum eſſe ſuadent; ſapor, & non pauca cum illo inſtituta experimenta probant, non modo illud corpora, quibus ingeritur, non exæſtuare, ſed evidenter etiam refrigerare: HOFFMANN ab ejus drachma dimidia calorem non intendi, pulſuum numerum non creſcere, ſenſum frigoris ad præcordia excitari, eſt expertus, vel duas drachmas pulſum non accelerare LOESECKE vidit, a ſcrupulo uno pulſum imminui, a drachma dimidia eundem augeri & caput obnubilari, a ſcrupulis duobus convulſiones quoque ſurrexiſſe obſervavit ALEXANDER, Cl. CULLEN a largiore doſi frigus & pallorem cauſari monet. Hos effectus videtur producere ejus virtus motum ſpirituum retardandi, id quod obnubilatio capitis, vel ſolo ejus odore excitata, quotidiano experimento experiunda, & convulſiones imo mors in quadrupedibus, avibus & ranis a Cl. MENGHINI obſervatæ, facile evincunt, ab hac ejus vi ſedante ſequuntur virtutes contra maniam, a PARACELSO jam annotatæ, & obſervationibus KINNEIR, TRIEWALD, WERLHOFF, BOENNECKEN confirmatæ, illæ præterea quibus epilepſiam varii generis curari, Cl. CULLEN, HANNES & LOCHER monuerunt, & quibus vires ſialogogas mercurii & evacuantes draſticorum infringi QUINCY, BARRY, RAULIN, SCHREIBER, HUXHAM & MISSA fide conſtat & cantharidum vim irritantem,

notante QUINCY, & febres intermittentes ſiſti obſervante BARTHES, cardialgiam quoque ſopiri teſte KULBEL. Ea inſuper quæ a Camphora extus applicata effici, iterata multum tentamina docuerunt, occaſionem dederunt eandem ad caſus analogos intus quoque exhibendi, eamque in illis quoque cum ſucceſſu dari, confirmavit experientia; in inflammationibus internis ſummo cum fructu propinari, quotidie videmus, & CRAANEN, HOFFMANN, WERLHOFF, TREW, BERGER, ALBRECHT, WOLFF, POUTEAU &c. obſervationibus probant. In his caſibus ſanguinem ſpiſſum inde attenuari, evidens eſt, id quod ſibi in univerſum iteratis experimentis innotuiſſe, HOFFMANN teſtatur, qui etiam ipſam veneream ſpiſſitudinem inde minui, obſervavit. Vim Camphoræ, qua putredinem arcet, Ill. PRINGLE & *Eſſais pour ſervir à l'hiſtoire de la putréfaction* multis experimentis probarunt, hinc liquet cur eandem in morbis malignis cum tanto ſucceſſu adhibitam fuiſſe, apud RIVERIUM, WERLHOFF, BOESSEL, WEITBRECHT, ROSEN, WAGNER, HESS, HÆNEL, WOLFF, VITALIS, TRAMPEL, SCHREIBER, Illuſtr. HALLER, Cl. HUXHAM, LYSON &c. legamus. Eandem denique ad fugandos vermes cum ſucceſſu exhiberi, ex MENGHINI obſervationibus circa inſecta ejus odore pereuntia, probabile ſit & Cl. PRANCE evicit.

In morbis inflammatoriis ad grana tria, aliquot per diem vicibus exhibetur, in morbis malignis ad ſcrupulum unum, in mania ad drachmam dimidiam datur.

Externe ad diſcutiendas ſugillationes & inflammationes polychreſta eſt, & ad arcendum ſphacelum cum ſucceſſu applicatur; glandulas eandem difficilius ferre, LOESECKE monet, denti carioſo immiſſa dolores multum lenit.

Spiritus Vini Camphoratus, *Eſſentia Camphorata* QUERCETANI Pariſini duplicem habent, unum cum

ſpiritu vini ſimplici, alterum cum rectificato, polychreſtum omnino medicamentum diſcutiens: * *Oleum* ope argillæ obtinendum ROLFINCK ipſius Camphoræ vires videtur habere: * *Oleum* per ſpiritum Nitri paratum LEMERY medicamentum rodens: * *Oleum Bezoardicum* WEDEL, potius ROLFINCK egregium tam ad internas, quam ad externas inflammationes diſcutiendas, medicamentum, ejus ope WHYTT atheroma curavit.

* CARANNÆ GUMMI Recent. Apportatur ad nos in magnis maſſis ex viridi nigricantibus, quibus extus reliquiæ involucri juncei, quo involvi ſolent, adhærent, ſapore gaudet non multum reſinoſo, accenſum, odorem non ingratum ſpirat.

Apportatur ex America Meridionali, character arboris unde obtinetur, nos adhucdum latet.

MONARDES refert G. Carannæ medio Seculi XVI primum in Hiſpaniam allatum fuiſſe, ſed id quod hodie proſtat a MONARDES deſcripto ſive vilius eſt, ſive ab eo omnino diverſum.

Aqua ejus quartam partem diſſolvit, reliquum alcohol, Olei odorati largiorem quantitatem fundit: Extractum aquoſum amaricat. LEWIS. Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi $\frac{3}{4}$. CARTHEUSER.

Ad uſus nonniſi externos reſolventes & roborantes uſurpatum, hodie exſolevit.

COPAIBA BALSAMUM Recent. Eſt liquor reſinoſus, terebinthina magis fluidus, coloris pallide citrini, ſaporis acris, amaricantis, linguæ diu inhærentis, odoris proprii aromatici, minus grati.

Minus pellucidum & tenacius rejiciendum.

Copaifera L. Corollam tetrapetalam habet, decantheram, monogynam; fructus nux eſt.

Creſcit in Americæ Meridionalis terra firma.

Primus Celeberrimus JAQUIN accuratiorem arboris notitiam dedit, ex cujus trunco inciſo bal-

ſimum effluit, quod ſub finem Seculi XVI ſatis rarum adhuc in Europa fuiſſe, ex CLUSIO patet, ſeculo ſuperiore ad finem vergente demum in officinas receptum eſt.

Olei odorati $\frac{1}{2}$ fere. LEWIS, ego $\frac{1}{5}$ inde obtinui, nequaquam viride, ad $\frac{3}{8}$ uſque CARTHEUSER.

Urinam inde amaram reddi, FULLER contendit.

Apud Indos multo uſu eſt ad conſolidanda vulnera, PISONE & Ill. JAQUIN teſtibus, & ad gonorrhæam laudatur, etiam nimis frequenter ab empyricis Europæis ad ultimum finem adhibetur, ſed a medicamento multum calido hic non poſſe non gravia mala ſurgere, facile evincitur, quod præterea non abſterſi ulceris ichorem cohibendo, multum omnino lædit: in fiſtula perinæi & iſchuria contumaci profuiſſe, HOPPE vidit, in fluore albo RIEDLIN, in ſuppurationibus pectoris internis VALCARENGHI. Datur ad guttas decem, cum vehiculo ſaponaceo, quando balſamicis uti, rationalis indicatio ſuadet; quia autem præ reliquis magis humores commovet, hinc rarius a prudentibus uſurpatur.

Solutionem cum Spiritu Vini alcaliſato paratam, Noſtrates ſub titulo: * *Tinctura Balſami Peruviani albi* aſſervant, medicamentum admodum calidum.

* COPAL GUMMI. Proſtat ſub forma fruſtorum variæ magnitudinis, quæ pellucida ſunt, citrino colore tincta, ita dura ut ungue radi poſſint, inodora, inſipida, accenſa jucundum odorem emittunt.

Color dilutius citrinus, durities, abſentia odoris & indiſſolubilitas in alcohole ſunt ſigna bonitatis.

Cum Indi, teſte HERNANDEZ, quodlibet gummi, *Copalli* appellent, hinc non miramur adeo varia Copal genera in tabernis occurrere.

RHUS. Corollam pentapetalam regularem, calice quinquefido ſuſtentatam habet, iſantheram, trigynam, & baccam monopyrenam: *Copallinum* L. foliis

pinnatis integerrimis, petiolo membranaceo, articulato diſtinguitur.

Creſcit in Virginia.

Sed HERNANDEZ inter novem Copalliferarum arborum ſpecies, unam modo adducit Rhois foliis inſtructam, & vulgo aſſerunt, G. Copal ex America Meridionali ad nos adduci.

Egregia eſt Ill. MACQUER conjectura, Copal eſſe oleum unguinoſum acido denſatum.

Unice ad Vernices adhibetur.

ELEMI GUMMI Lat. Barb. Eſt ſubſtantia flava, cum immixta viriditate, ſicca, inter digitos lenteſcens, odore proprio, ad fœniculum accedente, inſtructa; olim in fruſta cylindracea denſata, foliis arundinaceis involuta ad nos mittebatur, & hoc verum Elemi, ſive Æthiopicum eſſe, GEOFFROI reputat, ab aliquot retro luſtris proſtat in magnis maſſis, ciſtis incluſis, ego inter utrumque nullam, quæ notari meretur, reperio differentiam.

AMYRIS: Corollam edit tetrapetalam, calice quadrifido ſuſtentatam, diploſantheram, tetrantheram Cel. BURMANN dicit, monogynam & drupam nuce nitida fartam: *Elemifera* L. foliis ternatis & quinatis, ſubtus tomentoſis diſtinguitur.

Creſcit in Nova Hiſpania.

Num alia arbor in Oriente alia in Occidente noſtram Reſinam fundit? illa, quam RUMPH adducit, genere ſaltem ab Americana differt.

Nonniſi in alcohole ſolubile, $\frac{1}{16}$ Olei odorati fundit. LEWIS: totidem Olei odorati, $\frac{15}{16}$ reſinæ, $\frac{1}{48}$ Extracti gummoſi NEUMANN inde obtinuit.

Interne nunquam uſurpatur, externe applicatum in modum reliquarum reſinarum agit, & baſin conſtituit.

Balſami ARCÆI, cui Wurtembergenſes Santalum rubrum, & parciorem unguinoſorum rationem adji-

ciunt, polychreſtum, quo vulnera devincire ſolent, medicamentum, ipſi proxime accedit * *Balſamum Vulnerarium* MINDERER magis adhuc reſinoſum: * *Oleum deſtillatum* SCHROEDER.

GALBANUM GUMMI vid. *Reſolventia.*

GUAJACI RESINA vid. *L. Guajacum.*

Juniperi G. vid. *Juniperus.*

* LADANUM GUMMI, λάδανον. Eſt ſubſtantia reſinoſa, nigra, levi odore, ſapore nullo inſtructa, calore manus emollienda, igne non fundenda, fumum proprii odoris, ſuaveolentem emittens. Id quod nobis ex Creta mittitur, in placentulas tortum eſt, vulgo *in Tortis* dicitur, non raro plures talium placentularum inter ſe conglutinatæ occurrunt: *liquidum ex Canada* dimidio prioris pretio venditur, maſſam mollem in modum extracti ſiſtit: *Hiſpanicum* in bacillos, illis quibus ſuccus liquiritiæ proſtat, ſimiles efformatum occurrit: *Barbaricum* maſſas refert paulo molliores, priore & tertio; in omnibus his, ego ſaltem, reſpectu odoris & ſaporis non magnam poſſum reperire differentiam.

* *CISTUS.* Corolla gaudet pentapetala regulari, calice pentaphyllo, cujus duo foliola minima ſunt, ſuſtentata, polyandra, monogyna & capſula calice tecta: *Cretica* L. caulem arboreſcentem, folia ſpatulato-ovata, petiolata, enervia, ſcabra habet.

Creſcit in Archipelago.

Reſina, obſervante TOURNEFORT, ex foliis exſudat, inde in Candia proprio inſtrumento, loris coriaceis efformato, colligitur, unde deraſa in maſſas efformatur, quibus arenam nigram admiſcere ſolent.

Totum in alcohole diſſolubile, aquam ſuo odore & ſapore imbuit, Oleum odoratum fundit. LEWIS. Reſinæ $\frac{3}{8}$, Extracti aquoſi $\frac{1}{8}$ circiter, inertis. CARTHEUSER.

Emolliendi, digerendi, adstringendi scopo & ad defluxum capillorum a GALENO commendatur; hodie vix non totum eviluit, cum efficaciores & puriores resinas habeamus.

* *Resina* Paris. * *Oleum destillatum* KUHNRADT.

* LIQUIDAMBAR Rec. *Ambra liquida* Recent. Est balsamum, Peruviano magis spissum, nigrum, sapore gaudet acriusculo, odore styracis.

LIQUIDAMBAR. Corollam amentaceam, relativam, monophytam, polyandram, digynam, fructum lignosum, globosum, semina, quorum appendices membranaceæ eminent, vehentem habet: *Styraciflua* L. BLACWELL 485 foliis palmatis gaudet.

Crescit in omni America.

Arbores Americæ Meridionalis ex cortice vulnerato, hanc resinam dimittunt, annotante Cl. KALM.

Ob vires balsamicas & suaveolentiam olim laudabatur, hodie ejus usus eviluit, & ipsi styrax substituitur.

MASTYX Lat. Barb. μαςίχη, *Mastiche* PLIN. Prostat sub forma granorum variæ magnitudinis, siccorum, fragilium, avellanas nunquam excedentium, pellucidorum, colore levi citrino tinctorum, proprio odore, non ingrato, similique sapore, cui aliquid aromatici accedit, instructorum, sub dentibus lentescentium, supra carbones fluentium & gratum odore exhalantium:

Massas ex his granis, mediante resina viliori conglutinatis, occurrentes *in Sorten* dicunt.

Pistacia Lentiscus L. BLACWELL 195 foliis abrupte pinnatis distinguitur.

Viret in Europa Meridionali, Archipelago, Palæstina.

Hujus arboris, quem Veteres χῖνον, *Lentiscum* appellarunt, * *Lignum* asservatur sub forma frustorum variæ magnitudinis, ex pallido flavescens, cortice

parum rugoſo, leviſſime rufeſcente tinctum, odoris & ſaporis nullius.

Ipſa Maſtyche ex arboribus in inſula Chio cultis, quarum cortex Auguſto & Septembri menſibus vulneratur, effluit, in terram ſtillat & ibi denſatur; tantus eſt horum granorum proventus, ut coloni inſulæ eorum 300000 libras quotannis pro tributo ſolvant, teſte TOURNEFORT.

Maſtyche tota in alcohole diſſolvitur, aquam ſuo odore inficit, parum Olei odorati fundit. LEWIS. Olei odoratum nullum, reſinæ $\frac{11}{12}$, plane nihil Extracti aquoſi largitur. NEUMANN.

Lignum Lentiſci adſtringendi ſcopo commendare ſolebant, Veteres inde dentiſcalpia pararunt, cum certiora adſtringentia habeamus, nec ullum hoc lignum in linguam effectum edat, hinc ejus uſus eviluit.

Maſtyche interne roborandi ergo & quidem præcipue, cum primæ viæ debilitatæ fuerint, adhibetur, olim quoque pro roborandis pulmonibus in uſum trahebatur. Doſis eſt ad ſcrupulum unum.

Extus tanquam diſcutiens a GALENO ad inflammationes viſcerum abdominalium laudatur, ejus ſuffitu membranam Schneiderianam in catarrhis, tunicas inteſtini recti in prolapſibus ani roboramus, illud pro firmandis dentibus & halitu oris ſuavi reddendo uſurpare vel hodie adhuc inter Turcas obtinet, teſte HASSELQUIST, apud nos ad dentifricia adhibetur.

Spiritu vini ſolutam, ſuper alutam extenſam iſchiaticis ſolatio eſſe, multiplici experimento vidit Cl. CARTHEUSER, in odontalgia egregie conducit ſive maſticata, ſive denti carioſo immiſſa.

* *Aqua Summit. Lentiſci* Pariſ. * *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. *Oleum infuſum* ſeu potius ſolutio in oleo unguinoſo ÆGINETÆ ad roboranda viſcera abdominalia ventri inungitur: *Aquam Maſtichinam*

August. a ZWOELFFER correctam, vinosam Nostrates præscribunt, Wurtembergenses simpliciorem & spirituosam; egregium medicamentum stomachicum, quod in hyperemesi maxime cum successu adhibetur; datur ad unciam dimidiam * *Pilulæ Masticinæ* DE ABANO Aloës $\frac{3}{5}$, Mastichis $\frac{1}{5}$, Agarici $\frac{2}{15}$ vehunt, non male exoleverunt: * *Spiritus Mastichinus* Wurtemberg. præter Mastichen varia adhuc aromata recipit, in frigidis ventriculi affectibus conducit: * *Syrupus* Brandeburg. medicamentum omnino laudandum.

OLIBANUM Lat. Barb. λίβανος, *Thus* Veter. *Encens*, *Weyhrauch.* Efformatur a granis variæ magnitudinis, citrinis, rufo tinctis, transparentibus, figura irregulari instructis, fragilibus, sub dentibus lentescentibus, odore proprio instructis & sapore levi, suffitum gratum fundentibus: grana sordidiora *Olibanum in Sorten* constituunt.

Veteres grana rotunda *Mares*, illa ubi grano majori minus insidet *Feminas*, granula exigua, rotunda *Thus Orobæum*, ramenta denique a detritis frustulis orta μάννα dixerunt.

Olibanum sylvestre vid. Resina Pini.

Incerta est arbor unde obtinetur, nec dum evictum illud a *Junipero Lycia* L. foliis ternis, undique imbricatis, ovatis, acutis Africæ & Arabiæ cive fundi.

HASSELQUIST refert, illud in utraque Arabia colligi, Meccam portari, inde Cairum duci, unde maxima pars Massiliam vehitur.

Patitur se ex aqua suspendi. Resinæ $\frac{3}{4}$ fere, Extracti aquosi $\frac{5}{12}$, Olei odorati nihil fundit. NEUMANN.

HIPPOCRATES illud intus & extus, tam roborandi quam abstergendi ergo adhibuit, GALENUS ad hæmoptoën & fluxus alvi commendat, hos etiam Veteres Medici secuti sunt, hodie rarissime intus dari solet, sed ob gratum, quem carbonibus in-

jectum odorem ſpargit, ad ſuffitus roborantes & reſolventes adhibetur.

* *Oleum odoratum* Pariſ.

OPOBALSAMUM, ὀποβάλσαμον, *Balſamum de Mecca* Recent. Eſt Balſamum, quod conſiſtentiam terebinthina fluidiorem, reliquis balſamis non ſolidis ſpiſſiorem habet, colorem citrinum, ad rubrum vergentem, odorem fragrantem, ad citrum accedentem, ſaporem amaricantem, qui linguam, ſed mitius quam balſamus de Copaiba, ferit.

Amyris Opobalſamum L. foliis ternatis, integerrimis & floribus lateralibus, ſolitariis diſtinguitur.

Creſcit in Arabia, & quæ alibi vigere dicitur, eo tranſplantata colitur.

Autopta HASSELQUIST teſtatur, ipſum balſamum ex Arabia petræa, aliquot dierum itinere Meccam ferri.

Balſamum creberrime ſophiſticari, jam Veteres ſunt conqueſti, hinc multi fuerunt Auctores circa notas, quibus genuinum poſſit diſtingui, ſed nulla earum adeo certa eſt, ut ipſi poſſimus fidere, ſuavitas odoris enim, varios gradus habet, & teſte ALPINO pro varia balſami ætate variat, qui etiam monet, conſiſtentiam pro varia ætate diverſam eſſe, ſed ab illa evidenter pendet ejus qualitas, qua gutta aquæ inſtillata, ſe in telam calamo auferendam diffundit, coagulatio lactis a recente forſan poteſt fieri, nequaquam ab annoſo, unde acidum ſive avolavit, ſive partibus oleoſis obductum fuit, nec ego ſaltem mihi reſinam liquidam imaginari poſſum, quæ panno illita, nullam plane maculam ipſi relinquat. Id quod vulgo in tabernis proſtat, aliquo oleo unguinoſo, quod Seſameum vel Axungiam ſtruthionis eſſe, HASSELQUIST annotat, adulteratum eſſe videtur.

Tanta fuit ſemper hujus balſami auctoritas, ut fruticis * Lignum ſub nomine ξυλοβαλσάμȣ, fructum

καρποβάλσαμον Græc. Recent. imo etiam * Viſcum arbori innatum in tabernas receperint; prius efformatur a virgis exiguis, gracilibus, cortice rugoſo, gryſeo tectis, inodoris, inſipidis, & quæ accenſæ gratum odorem ſpirant; alterum capſulas ſubrotundas ſiſtit, piſis minores, quatuor lineis eminentibus diſtinctas, ſuperne ſtylo exiguo terminatas, rugoſas, ex cinereo-rufeſcentes, inodoras, levi ſapore balſamico inſtructas, nucleum album includentes. Viſcus præ aliis nihil proprii habet.

Multi quidem ſunt omnium temporum Auctores in celebrandis hujus balſami viribus, ſed luxurians gentium Orientalium phantaſia multa vel hic quoque finxiſſe videtur, quæ experientia nequaquam probavit, raritas famam auxit, & cum jam Veteres, quod adulteretur, fuerint conqueſti, hinc habuerunt ejus præcones, quo ſe excuſarent, quando promiſſis non reſpondebat; ob gratiam & minorem vim calefaciendi, reliquis balſamis pro conſolidandis ulceribus internis præfertur.

Opobalsamum Siccum vid. *Balſamus Peruvianus.*

Peruvianus Balsamus Recent. Medium, ratione conſiſtentiæ inter Opobalſamum & Balſamum de Copaiba, locum tenet, odore fragrante, colore ex purpureo nigricante, ſapore leniter acri gaudet. Adhucdum non conſtat de planta, unde ſubminiſtratur.

Ex America Septentrionali & Meridionali, nec non ex inſulis Philippinis ad nos mittitur.

Noſtrum balſamum, ajunt, virgulta arboris cum aqua coquendo obtineri. * *Album* autem eſſe, & præſtantius, quando ſponte ex inciſa arbore effluit.

Mox a detecto novo orbe licet noſtrum balſamum innotuerit, ſub initio tamen ſeculi ſuperioris valde rarum adhuc in Europa fuit.

Ab oleis unguinoſis non diſſolvitur. Bartholinus. Olei odorati, quod evidenter Benzoën olet, $\frac{1}{10}$, &

& per ſe deſtillatum Flores, benzoinis ſimiles, largitur. LEHMANN. Olei odorati $\frac{1}{13}$. HOFFMANN.

Proſtat & *Balſamus Peruvianus Siccus*, quod quoque *Opobalſamum ſiccum* appellant, reſina cum colore purpuraſcente flavicans, ſicca, Benzoen evidenter redolens, quæ parvis cucurbitis, propria ſubſtantia fungoſa obduratis, incluſa, ad nos advehitur.

Vires antecedentis edit, eo tamen cum calidius ſit, hinc nonniſi ad ſex vel octo guttas pro doſi datur; ad gonorrhæam & reſtituendum inteſtinis tonum, multum ab HOFFMANN laudatur, dyſenteriam inde curatam SCHROECK vidit, fluorem album & colicam RIEDLIN, colicam nephriticam WELSCH, abſceſſum renalem LEHMANN, colicam Pictonum, ejus guttis 40 cum ſaccharo datis, SYDENHAM. Extus ad ſolidanda vulnera, roborandas primas vias & curandas læſiones tendinum & membranarum adhibetur.

* *Eſſentia Balſami Peruviani* Hamburgenſ. medicamentum præcalidum, noſtris ſane hominibus non ſuaderem, illis minime qui ulceribus internis laborant: *Syrupus Balſamicus* HOFFMANN optime paratur, Balſamoſaccharum ſaccharo ad conſiſtentiam cocto adjiciendo; ad ulcera interna, nec non ad aſthma pituitoſum cum ſucceſſu adhibetur: * *Spiritus abſtractitius* HOFFMANN, ſcopo analeptico maxime laudatur.

* PINI STROBILI Barb. Sunt Pinus Vulgaris tenella amenta, fere excluſa, intus viridia, extus rufis ſquammis tecta, cylindroidea, odore balſamico & ſimili ſapore inſtructa. Melius Summitates dicuntur, cum Veteres non amenta, ſed fructus στροβίλους dixerint.

Pinus Sylveſtris L. BLACWELL 190. foliis geminis, primordialibus ſolitariis diſtinguitur.

Per omnem Europam occurrit.

Laudantur multum ad morbos ſcorbuticos & eorum bonos effectus S. PAULI, MOELLENBROECK,

MICHAEL, VAN WOENZEL apud LE CLERC probant.

Earum uncia una cum tribus aquæ libris per viginti quatuor horas infunditur, ter de die infusi unciæ ſex exhibentur, & ejus uſus per aliquot ſubſequentes menſes continuatur.

* *Eſſentia* Hamburg. * *Extractum* Wurtemb.

PIX, πίσσα, πίττα, *Poix*, *Pech*. Eſt ſubſtantia tenax, nigra, reſinoſa, odorem proprium minus gratum ſpirat & ſapore amaro linguam ferit.

Varia ratione ex *Pinu Sylveſtri* L. paratur: dum ſive arborem incidunt & more Canadenſium, Burdegalenſium, Gallo-Provincialium, Thuringorum reſinam exſudantem hoc nomine recipiunt, nòn raro fuligine tingunt, ſive ad rationem inter Macedones olim uſitatum, quæ hodie in Gallo-provincia etiam obtinet, nec non in Louiſiana, Aquitania, Suecia, Valeſia & inter nos, ex humore ſub deſtillatione per deſcenſum fruſtorum inde elicito & ad juſtam conſiſtentiam cocto. Noſtrates deſtillationem ſuſcipiunt ex fornace, cujus amplus venter ſuperne & inferne multum anguſtatur, inferiori anguſto fini craticulam, & huic infundibulum ſupponunt, quod in canalem horizontalem terminatur, cui doliolum admovent; huic fornaci e limo ſtructæ, circumponitur paries quoque ex limo exſtructus, qui unius circiter pedis intervallo a fornace diſtat & ejus tria latera cingit, quartum quod anticum eſt nudum relinquens & ad illud utrinque apertus hians; fornax fruſtis pinus repletur, ejus orificium ſuperius limo clauditur, ignis in intervallo parietem & fornacem inter excitatur, ita deſtillat primum phlegma, quod Syros *Cedrinum* dixiſſe, PLINIUS monet, hoc ſequitur Oleum empyreumaticum, *Pix liquida* vel *navalis*, *Goudron*, *Theer* dicta,' quod in proprio lebete, continuo agitatum in Picem vulgarem coquitur; hæc ipſa variis uſibus accommodanda, variis ſubſtantiis miſcetur & varia no-

mina induit *πισσέλαιον*, *Pix ſutoria*, *Oleum Piſſinum* &c. Pici liquidæ ſolet Oleum tenuius ſupernatare, quod prius deſtillat *πίσσανθος*, *gelber Theer.*

Extracti reſinoſi vix ultra $\frac{1}{2}$, parum ultra $\frac{1}{8}$ Extracti aquoſi, $\frac{7}{35}$ circiter ſpiritus acidi, $\frac{1}{3}$ fere Olei inde obtinuit NEUMANN.

Cum Pix empyreuma habeat, hinc humores humanos diſſolvit & eorum motum intendit, picem liquidam jam GALENUS aſthmaticis & purulentis commendavit, anno 1744 BERCKLEY Epiſcopus Britannus morem Americanorum, quo aquam cum ſubquadruplo picis liquidæ per quatuor dies infundere, ambas crebrius agitare & aquam limpidam intus ad variolas ſive arcendas ſive mitiſſimas reddendas adhibere ſolent, repetiit, & eandem, ad uncias ſex mane & veſpera datam, quoque in inflammatione viſcerum, pleuritide, phtiſi, febribus epidemicis, aſthmate, ventriculo debilitato, malo hyſterico & hypochondriaco, nephritide ſabuloſa, & morbis cutaneis egregios effectus edere vidit: ANONYMUS in *Recueil periodique* in ſe ipſo egregios effectus ad reſtituendum ventriculum, LE BEAU in ulceribus & fiſtulis, HASSELQUIST in lepra & lue venerea ſunt experti; hi effectus a partibus reſinoſis ope acidi ſolubilibus redditis, & hinc vires abſtergentes, roborantes, antiſepticas edentibus videntur pendere. BARTHOLINUS monet picem liquidam a Norwegis magno cum ſucceſſu ad febres malignos adhiberi.

Extus abſtergendi & reſolvendi ergo a GALENO ad lichenes, ad duros crudoſque tumores, hodie maxime ad emplaſtra adhibetur, quæ cuti fortius adhærere debent: ejus uſus ad dropaciſmos alibi explicatur.

* *Oleum deſtillatum* VAL. CORD. quod eſt *Templinum* SCHROED. ad uſus medicatos vix ulterius recipitur.

* Populi Oculi, αἰγείρου κόκκοι, *bourgeons de Peuplier*, *Pappel-Knöpfe*. Sunt gemmæ oblongæ ex flavo rubræ, e squammis variæ magnitudinis, sibi invicem incumbentibus efformatæ, succum vehunt viscidum, digitis adhærentem, suaveolentem, amarum; colligendæ sunt, antequam folia erumpunt, quibus quippe prodeuntibus succus imminuitur, imo totus deficit.

Populus. Relativa, diphyta est, mares in amentum longum colliguntur, cujus squammis multæ antheræ accrescunt, feminæ quoque amentaceæ, monogynæ, capsulas ovatas, seminibus papposis fœtas maturant: *Nigra* L. Blacwell 548. foliis deltoidibus, acuminatis, serratis distinguitur.

Crescit per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem.

Oculi populi aqua cocti & prelo pressi succum fundunt, Olei odorati exiguam quantitatem aquæ inde abstractæ largiuntur, spiritus vini inde destillatus odoratus evadit. Weissmann.

Oculos Populi Hippocrates medicamentis uterinis adscribit, hodie per se non in usum trahuntur, sed adhibentur ad

Unguentum Populeum Myreps. quod resolvendi & refrigerandi scopo in frequenti usu est; varia ingredientia recipit, quæ sine virium detrimento possent omitti, hæ ipsæ potius a plantis solanaceis & succulentis, quam a gemmis videntur pendere: * *Essentia* Wurtemb. vulnerariis adscribenda.

Resina, Ῥητίνη, *Resine*, *Harz*. Est succus resinosus siccus, tenax, ex arboribus coniferis Europæ obtentus.

Resina alba, *vulgaris*, *Poix grasse*, *Poix de Bourgogne*. Est substantia alba, quæ sub magnis frustis prostat, ex flavo albis, odoratis, siccis, tenacibus, fumum minus gratum, dum accenditur, emittit.

Obtinetur ex *Pinu Abiete* L. BLACWELL 198. foliis solitariis, tetragonis, mucronatis instructa,

Ubique in Europa obtinente, præter maxime Meridionalem.

Ex arbore portio corticis aufertur, & ita efficitur, ut ligno denudato, resina sub forma crustæ accrescat, illa in lebetibus, quæ aquam habent, funditur, fusa, committitur panno & sub prelo exprimitur, hac ratione a sordibus liberata, doliis committitur.

Resina Pini, *Poix Resine*, Variæ magnitudinis massas efformat, fragiles, siccas, flavas, translucidas, quæ cum flammam suscipiunt, fumum non ingratum emittunt; ejus minora frusta formicæ in suos acervos solent congerere, & ea *Olibanum Sylvestre* constituunt.

Sponte ex annosa *Pinu Sylvestri* L. effluit.

Varia alia resinarum genera ex Abiete & Pinu quomodo parentur, Ill. DU HAMEL tradit.

Ad ulcera viscerum curanda, tam extus quam intus adhibebatur ab HIPPOCRATE; hodie interne nunquam datur, extus roborandi, defendendi, maturandi ergo imponitur, unguentis & emplastris adjicitur, ut ipsis consistentiam solidiorem & tenacitatem conciliet.

Emplastrum Citrinum Augus. ad ulcera & vulnera claudenda adhibetur: * *Emplastrum Ischiaticum* BEZÆ valide resolvit.

* SAGAPENUM, σαγάπηνον, *Gomme Seraphique*, *Serapin Gummi*. Adducitur ad nos sub forma Granorum, avellanis minorum, colore ex rufo flavescente, cornu referente, odore nauseoso & sapore ingrato, amaro, cui aliquid alliacei accedit, gaudent, carbonibus injecta non liquantur, sed in carbonem abeunt, calore manus liquescunt, accensæ odorem minus gratum spirant. Massæ majores, quæ pannis cæruleis involutæ ad

nos adducuntur, profundius fuſcæ, evidenter ſordibus inquinatæ, *in Sorten* dicuntur.

Plantam, unde obtinetur, ignoramus, umbelliferam eſſe auctoritas Veterum, folia & ſemina, quæ ipſi interdum commixta ſunt, videntur indicare.

Ex Alexandria ad nos adducitur.

Ejus dodrantem aqua recipit, aliquid Olei odorati fundit. LEWIS. Extracti reſinoſi $\frac{3}{4}$, aquoſi $\frac{3}{8}$ fere, NEUMANN. Extracti aquoſi $\frac{5}{3}$, reſinoſi $\frac{2}{5}$. CARTHEUSER.

Calidum & abſtergens medicamentum a GALENO dicitur; purgantes vires, ipſi MESUE adſcripſit, quas autem experientia non confirmavit, multum ad reſerandas obſtructiones viſcerum laudatur, id quod quoque tanquam Gummi reſina penetrante oleo inſtructa, videtur præſtare.

Extus quoque reſolvendi ergo adhibetur.

* *Pilulæ de Sagapeno* QUERCETAN. a Trochiſcis Alhandal potius, quorum majorem præ reliquis ingredientibus rationem vehunt, denominandæ $\frac{7}{20}$ Trochiſcorum Alhandal, ultra $\frac{1}{6}$ Dagrydii habent.

STORAX, στύραξ. Triplex ejus genus in officinis proſtat.

* *In granis*: ſub forma maſſarum variæ magnitudinis ad nos adducitur, ex badio rufarum, tenacium, proprio odore, multum ſuavi inſtructarum, pinguium, ſapore leviſſime acri præditarum, hanc *Vulgarem* GEOFFROI, *Calamitam* CHARRAS, *in granis* vulgo appellant.

Calamita. Diverſa omnino ab illa Veterum, magnas maſſas ſiſtit, quæ evidenter preli, in quo preſſæ erant, indicia habent, ſabulo & lapillis inquinatæ, friabiles, colore, odore, ſapore evidenter ad priorem accedunt; quo ſicciores, eo minus bonæ.

Liquida. Conſiſtentiam unguenti ſpiſſi habet,

grysea, fæculenta, sordida, odore antecedenti simili gaudet.

Duæ posteriores, evidenter ex variis substantiis, quibus ope styracis odorem conciliant, arte parantur, priorem, quam nec ipsam mangonii expertem pronuntiare auderem, largitur.

STYRAX L. Carolla quinquefida regulari, simili calice instructa, polyanthera, monogyna, & drupa duabus nucibus fœta, gaudet.

Crescit in Europa Meridionali, Syria, Æthiopia.

Ex arboribus Gallo-provinciæ resinam effluere, vidit Illustris DU HAMEL, in agro Tiburtino eandem incisione arboris obtineri, Cl. MAZEAS testatur.

Styracem solidam paucissimum Olei odorati fundere & salem essentialem dimittere, monet LEWIS, Extracti spirituosi, $\frac{3}{4}$ aquosi $\frac{1}{4}$, Olei odorati nihil NEUMANN.

Ad suffitus uteri ab HIPPOCRATE adhibebatur, a GALENO autem ad affectus pectoris serosos digerendos, nec non ad pellendos menses, hodie rarius interne, creberrime ad suffitus solet usurpari, ubi se fragrantia æque ac indole balsamica commendat. Liquidam, cujus primi Arabes meminerunt, ad medicamenta balsamica externa solent recipere.

* *Oleum destillatum* in *Codice* Parisino, vix in pharmacopoliis occurrit: * *Oleum crassum & tenue* Paris. * *Tinctura Pharm. Batean. Pilulæ de Styrace* a variis Dispensatoriis variæ præscribuntur: Parisinæ ad $\frac{1}{5}$ Opii, Wurtembergenses ejusdem $\frac{1}{8}$, Nostrates $\frac{1}{10}$ vehunt, inconcinna compositio, cui optime Extractum Opii, extracto Croci mistum substituitur: *Unguentum de Styrace* PENICHER in frequenti usu est ad ulcera contra corruptionem defendenda & solidanda: * *Emplastrum de Styrace* Paris. priore etiam magis ad arcendam gangrænam facit.

* TACAMAHACA Lat. Barb. Est Resina sicca, au-

reo colore fulgens, ſuaviter odorata, accenſa minus gratum ſuffitum emittit, nauſeoſa, inſipida, calore liquanda: apportatur ſive in cucurbitis dimidiatis, hæc magis pallet & *en Coques* dicitur, ſive ſub forma maſſarum aliquot pollices æquantium, ruſo-flaveſcentium, ſplendentium, ſive maſſarum prægrandium, in quibus genuina reſina multis ſordibus inquinata eſt, & hæc *en Maſſe, in Sorten* dicitur.

Populus balſamifera L. foliis ovatis, ſerratis & ſuaviſſimo odore gemmarum multa reſina turgentium agnoſcitur.

Creſcit in America Meridionali & Madagaſcar, noſtras hyemes optime fert.

Vera reſina tota in alcohole ſolubilis, præter paucas, quæ ipſi accreverunt ſordes, ex quibus aqua aliquid recipit. NEUMANN.

Reſina odorata roborandi ergo cum ſucceſſu adhibetur, extus maxime debilitato ventriculo imponitur, intus nunquam datur.

* *Spiritus* Pariſ. empyreumaticus, * *Oleum empyreumaticum* Pariſ. * *Emplaſtrum ſtomachicum de Tacamahaca* SCHROEDER auctum Wurtembergenſes habent, egregium omnino pro roborando ventriculo medicamentum.

TEREBINTHINA, *τερμινθίνη* (ὀπτίνη). Eſt ſuccus reſinoſus ſive Balſamum tenax, balſamis hactenus recenſitis ſpiſſius, odore proprio, pro varia arbore, unde deſumitur, vario, ſapore reſinis proprio inſtructum, pellucens, ſive album ſive flavum.

Cum reſinam ex Terebintho arbore fluentem Veteres colore vitreo gaudentem, pellucidam & fluiditatem diu conſervantem deſcripſerint, hinc labente ætate, variæ reſinæ ad illas qualitates accedenti, eandem denominationem dederunt & varia terebinthinæ genera in tabernas introduxerunt.

* *Vera de Chio, de Cypero* Lat. Barb. Conſiſten-

tiam resinæ spissioris habet, ita ut non diffluat, pellucida, alba, levissima flavedine tincta, nec acris, nec amara, odore grato instructa.

Pistacia Terebinthus L. BLACWELL 478. foliis impari pinnatis & foliolis ovatis distinguitur.

Cortice inde ablato teste POCOCK Terebinthina obtinetur.

In Europa Meridionali, Asia & Africa obtinet.

Argentoratensis Recent. Balsamo de Mecca spissior est, tenax, pellucens, flavicans, odore grato abiegno, sapore resinoso, amaricante instructa.

Pinus Picea L. BLACWELL 203. folia solitaria, plana, emarginata habet.

Crescit in Europa temperata, in Scotia & Germania magis meridionali ahhuc occurrit.

Hujus arboris epidermis, æstate vesiculis obsidetur, quas proprio instrumento cylindraceo, quod superne in aciem terminatur, aperiunt & balsamum inibi contentum legunt, cum quælibet vesicula vix aliquot grana terebinthinæ habeat, hinc per diem non magnas ejus messes operarii facere possunt.

Veneta priori satis similis est, sed fluidior, nec grati balsamici odoris dives.

Pinus Larix L. BLACWELL 477. foliis fasciculatis, deciduis gaudet.

Crescit in iisdem cum antecedente locis, si montes satis altos habent, tales cum in Alsatia desint, hinc apud nos non obtinet.

Balsamum a Majo ad autumnum usque terebrationis ope obtinetur, & per canales ligneos vulneribus immissos in suppositos urceos fluit.

* *Communis* Recent. Consistentiam spissiorem, colorem ad rufum accedentem, odorem minus gratum habet, non pellucida sed sordida: est resina *Pini sylvestris* L. quæ ex arboribus decorticatis defluit, ei

non raro Sordes Resinæ sub depuratione innatantes coctas & oleo Templino commixtas substituunt.

Balsamum de Canada Recent. Reliquis terebinthinæ generibus, si Chiam exceperis, spissius, & si qua alia in modum vitri pellucet, minus odorum, acre & amarum.

Obtinetur ex *Abiete Taxi-folio odore Balsami Gileadensis* RAJI.

Terebinthinam $\frac{1}{4}$ Olei odorati subministrare Ill. DU HAMEL monet, ultra $\frac{1}{4}$ NEUMANN, $\frac{1}{10}$ circiter CARTHEUSER, Ego $\frac{1}{7}$ inde obtinui, id quod remanet cum aqua inde abstracta fuit, consistentiam resinæ siccæ habet, & *Terebinthina cocta* dicitur.

Vires reliquarum resinarum edit, eis cum sit minus calida, hinc nostris hominibus magis videtur conducere, interne scopo abstergendi & consolidandi datur, & cum urinam violaceo odore afficiendo, evidenter, quod in renes agat, commonstret, hinc ad vitia viarum urinariarum maxime adhibetur. Balsamum Canadense cum reliquis mitius sit, hinc illis pro usu interno præfertur. Datur ad drachmam dimidiam. Externe Terebinthinam ad vulnera & ulcera abstergenda adhibemus, vix non ad omnia unguenta & emplastra recipitur, non solum ob vim medicatam, sed etiam ut ipsis mollitiem largiatur, & menstrui vice fungatur, cujus ope resinosa cum unguinosis misceantur.

Oleum Terebinthinæ BRUNSVICENS. tenerius, quale ope aquæ obtinetur, sive cauta destillatione primum prodit, *Spiritus* a quibusdam dicitur, qui olei nomen illi relinquunt, quod cum Terebinthina per se destillatur, & magis tinctum & crassum obtinetur, prius ad usus medicatos semper posteriori præferendum est: intus sumtum vehementer calefacit & vias urinarias multum stimulat, ita ut ab ejus etiam non larga dosi, graves effectus surrexisse, *Vratisla-*

vienſes obſervarint, STEDMANN diabeten & validos viarum urinariarum ſpaſmos viderit, prudentiores itaque illud nunquam intus exhibent; extus applicatum validiſſime reſolvit, & partes membranaceas roborat, hinc laudatur ad rheumatiſmos, & nervoſis æquæ ac tendineis partibus vulneratis applicatur cum ſucceſſu, ganglion inde curatum Cl. PLENK vidit; quantum idem ad arcendam putredinem valeat, vel ubivis muſea anatomica evincunt; primum monente YONGE ad vaſa diſſecta ſtringenda & hinc ad ſiſtendas hæmorrhagias adhibetur: Oleum craſſum, * *Balſamum* SCHROEDER, optime empyreumatico hoc medicamento caremus: *Colophonia*, κολοφωνία, *Geigenharz* hodie dicitur reſina, quam terebinthina per ſe deſtillata, relinquit, ſicca, friabilis, extus nigra, intus fuſca, ad uſus externos eadem ratione ac reſina vulgaris recipitur, ejus ſuffitus contra prolapſus ani atque uteri adhibetur: *Terebinthina cocta* SCHROED. multo oleo privata eſt, hinc terebinthina integra minus calida: * *Sapo Tartareus*, *Corrector Starckey* vid. *Inſt. Chem.* *Unguentum Digeſtivum* Bononienſ. medicamentum digerens polychreſtum, cujus vires balſamicas Chirurgi, pro varia indicatione addito unguento Baſiliconis vel Balſamo Arcæi intendere ſolent: * *Pilulæ de Terebinthina* Brandeburg. roborant & abſtergunt, varie mutatæ, varia Diſpenſatoria ingrediuntur: * *Aqua Anhaltina* Noric. calidum valde medicamentum nunquam intus dari debet, extus roborandi ergo ventriculo aut membris debilitatis imponitur: * *Aqua balſamica* RIVERII potius gonorrhæam graviorem reddere, quam ipſam allevare poterit: * *Balſamum Vulnerarium* Wurtemberg. ad vulnera recentia & tendinum cum ſucceſſu poterit adhiberi.

Tolctanum Balſamum Recent. Conſiſtentiam Opobalſami habet, colorem aureum, odorem non ingratum, ſaporem balſamò de Mecca magis acrem;

proſtat etiam ſiccum quod cucurbitis incluſum ad nos adducitur.

TOLVIFERA L. Corollam pentapetalam irregularem, calice quinquefido ſuſtentatam, diploſantheram, monogynam habet.

Creſcit ad Americæ urbem Tolu in Præfectura Cathagenæ.

Aliquid Olei odorati largitur, nec non ſaltem eſſentialem in modum benzoes. LEWIS.

Primus HERNANDEZ ejus mentionem fecit; MONARDES multum eſt in ejus laudibus deprædicandis, ratione virium ad Balſamum de Mecca accedit, quod ipſi, cum gratius & mitius acre ſit, vulgo anteponitur.

* *Oleum craſſius* Pariſ. * *Tinctura* Eorund. * *Syrupus* Eorund.

β. ANIMALES.

CERA, κηρὸς, *Cire*, *Wachs*. Eſt ſubſtantia ſolida, tenax, calore liqueſcens, colore citrino & proprio odore inſtructa. Efformatur a polline antherarum, quem *APIS* alis quatuor membranaceis, aculeo caudæ in ſpadonibus & femellis, ore duabus maxillis & proboſcide inſtructo, gaudens: *Mellifica* L. cujus corpus pubeſcit, abdomen fuſcum, & cujus primus annulus planus eſt, colligit, in globos format, tibiis poſticis appenſum, domum portat, commilitonibus inde deglubendum relinquit & deglutiendum, denuo e corpore emittendum; eo dein animalcula pro exſtruendis favis & claudendis cellulis penum hybernum ſive nymphis includentibus utuntur; cum pollen antherarum, demum quando ex ventriculo apum eliminatur, ceram conſtituat, hinc illud ab apibus omnino aliquam mutationem experiri, fit evidens.

Soliditas, color flavus & proprius odor, ceram commendat; illa optime ex favis obtinetur, dum hi

poſtquam mel inde deſumtum fuit, aquæ ebullienti committuntur, ita cera aquæ ſupernatat, refrigerata facile inde auferenda & ſordes in fundo lebetis relinquit; hæ committuntur torculari calido & ita expreſſione, quicquid ceræ retinuerunt, dimittunt.

Ceræ genus eſt ſubſtantia plus minus fuſca, ruſa, durior, proprio non ingrato odore inſtructa, quam apes ex corticibus variarum arborum deſumere videntur, & æque ad claudendas alvearium fiſſuras, quam ad ſuſpendendos favos adhibent, * *Propolis* dicitur *Stopwachs*, *Bienenharz*.

Ceræ genus, quod baccas *Myrizæ ceriferæ* L. coquendo, coloni Americæ ſeptentrionalis parant, ad olea unguinoſa videtur referendum eſſe: Cera Chinenſium a proprio inſectorum genere, propriæ arboris foliis dicitur appendi.

Aqua ceram non diſſolvit, inde abſtracta ejus odore imbuitur, ſpiritus vini ejus aliquid recipit. Lewis.

Cera intus adhibita, effectus reſinarum edit, & cum nullum oleum odoratum vehat, hinc præ reliquis minus humores commovebit, Cl. Jacobi inde in pulmone debilitato, tuſſi convulſiva, mictu cruento & dyſenteria egregios effectus eſt expertus; Diemerbroeck, Valleriola, Illuſtris Pringle vel graviſſimas dyſenterias inde curatas viderunt, ſed probe meminerint Medici, iidem intus dandæ ſemper aliquem ſaponem jungendum eſſe. Ill. Pringle eam ſapone vulgari diſſolvit & ſolutionem aqua diluit; extus adhibita, in modum reliquarum reſinarum, reſolventes, maturantes, antiſepticas, traumaticas virtutes exſerit, plurimorum emplaſtrorum & unguentorum conſtituens præſcribitur; pileoli inde parati, mammarum papillis fiſſis imponuntur.

* *Oleum deſtillatum* Val. Cord. iterata deſtillatione attenuatum; nunquam intus exhibendum, em-

pyreumaticum quippe & valde calidum, maximis laudibus a BOERHAAVE extollitur ad fiſſuras epidermidis, perniones, tendines contractos & articulos obrigeſcentes, abdomini infantum illitum eorum alvum ducere, IDEM aſſerit: *Cera alba* GALEN. obtinetur ceram aliquoties fundendo, & actioni radiorum ſolis exponendo, creberrimo ſebo adulterata ſolet proſtare, vulgari durior eſt, & grato, quo illa gaudet, odore orba, HIPPOCRATI in formulis emollientibus externis uſitata, adhibetur ad emplaſtra, quæ album colorem debent habere: *Cera viridis* Noſtrat. reſinam terebinthinam & $\frac{1}{26}$ Viridis æris recipit; adhibetur ad clavos pedum: *Ceratum refrigerans* GALENI, cum albo colore nitens expetatur, hinc loco Olei roſarum, amygdalarum Oleum ad illud recipiendum, medicamentum egregium, emolliens & demulcens: *Cera arborea* Wurtemberg. vix ad alios quam ad hortulanorum uſus recipitur: * *Cera ſigillaris rubra* & *viridis* Wurtemb. recipiendis ſigillis dicatæ ſunt: * *Unguentum rubrum ad labia* Wurtemb. cum ſucceſſu ad fiſſuras labiorum adhibetur.

γ. FOSSILES.

AMBRA, ἄμβρα AETII, *Ambregris.* In variæ magnitudinis fruſtis ad nos adducitur, extus nigra cruſta tectis, intus gryſeis, maculis & ſtriis notatis, ex lamellis conſtantibus, levibus cum aliqua tenacitate fragilibus, per ſe non in pulverem terendis, proprio, qui gratiſſimus eſt, odore, ſapore fere nullo inſtructis, leni calore fundendis & flammam capientibus. Varia exempla prægrandium fruſtorum NEUMANN collegit.

In omni mari, quod Aſiam & Africam alluit, piſcatur, ſive rupibus appenſum colligitur.

Verum bitumen ſiccum, ut jam AVICENNA mo-

nuit & NEUMANN multis argumentis probavit, quod interdum varias ſordes vegetabiles vel animales recipit, interdum a balænis deglutitur, interdum a mari agitato ad remota valde loca disjicitur, & hinc diverſiſſimis opinionibus circa ſuam originem & patriam dedit occaſionem.

Una ſola *Ambra ambroſiaca* L. *Gryſea* vulgo dicta, genuina eſt, levitate, odore non multo, ſi integra eſt, fragrante autem, ſi laminæ candenti imponitur, aut cum aliis ſubſtantiis miſcetur, quod facile ad candelam liqueſcat, & igni commiſſa vix non omnis aërem ſubeat, agnoſcenda, *Vulgatior* L. *Unicolor* WALLER. omnis per artem imitata eſſe videtur.

Aqua inde deſtillata, ejus odore imbuitur LEWIS. Olei $\frac{5}{6}$, ſpiritus acidi $\frac{1}{12}$, ſalis $\frac{1}{30}$ inde NEUMANN obtinuit, KRIELE ſpiritus acidi $\frac{1}{12}$, Olei $\frac{7}{8}$ fere.

Ambræ uſus inter Arabes demum multum invaleſcere cœpit.

Ea ob gratiſſimum, quem ſpirat odorem & gratiæ ergo aliis ſubſtantiis admiſcetur, quarum magnum volumen exiguum ejus momentum ſuaviſſimo odore replet; intus pro roborando ſyſtemate nervoſo adhibetur, aphrodiſiaco quoque ſcopo multum commendatur: BOSWEL a granis decem aſſumtis, nihil in corpore mutari eſt expertus, a triginta autem granis pulſum celeriorem & fortiorem, placidum, non moleſtum per omnes nervos tremorem, firmius ad omnes mentis actiones cerebrum, auditum magis acutum, viſum perſpicaciorem, veros ad rem veneream ſtimulos, & hæc omnia ſatis evidenter per integram horam obtinere, obſervavit. Nonne parva, qua Ambram vulgo exhibere ſolent, doſis, quæ vix ad aliquot grana extenditur, in cauſa eſt, cur inſignes, quos inde jure expectamus effectus, nondum crebrius fuerint obſervati?

Ambræ odorem mulieribus, hypochondriacis &

quibus propria idiosyncrasia est, contrarium esse inter omnes constat.

Essentia Ambræ HOFFMANN Parisini majorem, quam Nostrates & Wurtembergenses, rationem Ambræ, ultimi Liquorem anodynum pro menstruo recipiunt & moschum adjiciunt; medicamentorum nervos roborantium princeps HOFFMANN dicitur: * *Essentia Ambræ balsamica* DIPPEL. * *Essentia Ambræ sicca* August. pulvis analepticus egregius, qui ad scrupulum unum datur: * *Tinctura* seu *Essentia regia* Paris. fragrans multum medicamentum, quod tam ad incitandum motum spirituum, quam ad usus cosmeticos adhibetur: * *Species Diambræ* MESUE ex aromatibus potius, quam ex Ambra, quam in exigua valde ratione, a Nostratibus etiam adhuc imminuta, vehunt, dijudicandæ: * *Trochisci de Ambra* Wurtemberg. gratum & efficax omnino medicamentum nervinum.

BITUMEN, ἄσφαλτος. Hodie dicitur omnis substantia fossilis, quæ verum oleum vehit, in usus medicatos recipitur tale, quod nigrum est, splendens, siccum, friabile, odore minus grato gaudens, totum calore liquandum. Illud quod vulgo in officinis prostat factitium esse, & pro maxima parte a pice vegetabili efformari, valde probabile est.

Oleum quod ex terræ visceribus obtinetur, varia forma solet apparere: fluidum, nigrum, fœtens, acriusculo sapore instructum. * *Petroleum* L. *nigrum* dicitur: illud si antequam a terra erumpat, calore subterraneo in vapores fuit resolutum, sub forma magis fluida & colore plus minus rubro, sapore & odore eminentiore apparet, *Naphtam* Veterum, * *Petroleum* L. *rubrum* constituit: idem sub terra adhuc magis attenuatum, parum tinctum apparens, hodie proprie * *Naphta* dicitur, tale ad Babylonem reperiri & Veteres & Recentiores asserunt,

KÆMPFER

KÆMPFER illud etiam in Media offendit. Petroleum eo uſque a calore ſubterraneo inſpiſſatum, ut conſiſtentiam unguenti ſpiſſioris habeat, * πισσάσφαλτον, *Maltham* Veterum & L. efformat: ad conſiſtentiam picis induratum ἄσφαλτον ſupra dictum, illud improprie Gummi dicunt, & cum olim copioſe, unanimi Veterum conſenſu, ex Judææ Mari mortuo fuerit extractum *Bitumen Judaicum* ſolet appellari, idem adeo induratum, ut polituram admittat, γαγάτης, * *Gagates*, *Jay* audit: Petroleum argilla mixtum *Lithanthraces* L. cum arena aut calcareo *Ampelitis* L. *Mine d'Aſphalt*, ſi exigua in ratione calcareum ſubiit, *Bitumen Suilium* L.

Ex Aſphalto NEUMANN deſtillatione pauciſſimum phlegmatis & $\frac{3}{4}$ Olei, extractione autem Extracti reſinoſi $\frac{1}{64}$ obtinuit.

Bituminis varia, quæ hactenus recenſui genera, ſive aquis innatare obſervantur, ſive ex terræ viſceribus eruenda ſunt, & paſſim per Europam quoque obtinent. Petroleum non nigrum, quod ſi pallidius rubet, *Album* officinæ dicunt, ſive ex vario bituminis genere deſtillationis ope obtinetur, ſive ex Italia ſponte inter ſaxa propullulans, hauritur.

Si ea, quæ ſupra de pice dixi, rimamur, nec non quæ circa ortum & deſtillationem reſinarum & oleorum empyreumaticorum iterata in vapores reſolutione, attenuatione, Chemia explicat, ſi his addere placet, quæ cum Ampelite noſtrate inſtitui & in Diſſertatione anno 1758 *Memoires de l'Académie de Berlin* inſerta, recenſui experimenta, nec non copioſas quas terra noſtra paſſa eſt ſubverſiones, & calorem qui in viſceribus terræ ſemper obtinet, & quod nulla alia ſubſtantia foſſilis, præter bitumina, oleo ſcateat, plus quam probabilis evadit conjectura, omnia bitumina ex arboribus, coniferis maxime, ſub terra merſis calore eliquari, & pro vario, quem experiuntur,

calore, pro variis, quæ ipsis admiscentur, substantiis, varias quas recensui induere formas.

Sequitur hinc, quod eis optime in Medicina possimus carere, cum ob varia, quæ ipsis sub terra accrescere possunt, heterogenea, semper suspecta sint, & pice & oleis empyreumaticis, quæ ipsi paramus, eosdem, ob quos laudari solent, effectus possimus obtinere. HIPPOCRATES Asphaltum ad suppositaria & suffitus adhibuit.

Bituminibus etiam adjungo

* MUMIAM Officinarum, Partes nimirum humanas bitumine conditas, nigras, odore & sapore Asphaltum referentes.

NEUMANN inde obtinuit $\frac{9}{16}$ Extracti resinosi, $\frac{1}{5}$ Extracti aquosi.

Sordidum hoc medicamentum primi Arabes ad usus medicatos cœperunt adhibere, circa illud superfluum esset ad conditurам, qua veteres Ægyptii cadavera contra corruptionem defendere tentarunt, attendere, tales enim mumiæ nonnisi in cimeliis asservantur, officinas nostras nunquam intrant; nostræ sunt varii generis cadavera Asphalto, Myrrha, Aloe &c. perfusa & clibani calore exsiccata, earum vires cum unice ab his condimentis pendeant, eadem autem pro lubitu nostris ægrotis exhibere possimus, & ita non opus habeamus carnem cadaveris, nescio quo morbo defuncti, eis devorandam dare, hinc incerto, nauseoso, imo periculoso medicamento prudentes omnino desistunt.

* *Spiritus*, * *Oleum*, * *Sal Volatil. Gagatis* Paris. * *Essentia Mumiæ purificans* CLAUDER. absurdo medicamento optime caremus.

SUCCINUM, ἤλεκτρον λίθος, *Glesum* Veter. German. *Carabe* & *Ambra* Arabum, quos Galli sequuntur, *Bernstein*, *Agtstein*. Est Bituminis genus, quod in glebis variæ magnitudinis, irregularis figuræ, colo-

ris citrini plus minus profundi, grate odoratis, fumum ſuavem exhalantibus, ſapore leviter reſinoſo inſtructis, pellucidis, non liquandis, ad nos adducitur.

Varia ratione hæc fruſta ſolent diſtinguere, quo magis pellucent, & quo minus tincta ſunt, eo reputantur magis pretioſa eſſe, candida ſive ſalerna pretioſiſſima, venduntur præterea eo majori pretio, quo ſunt majora, inde quoque varie a mercatoribus denominantur: *Tonnenſtein* reliqua magnitudine vincunt, hæc excipiunt *Tamenſtein*, quæ majora ſunt *Knœbel*, his *Firnis* magnitudine cedunt, quæ *Schlug* ſequuntur, *Sandſtein* ſuperantia; ramenta, quæ decidunt, dum Succinum in varia utenſilia tornatur, *Raſuræ* nomine veniunt.

Maxima Succini quantitas in Boruſſia ad littus Maris Balthici Sudavicum colligitur, & ibi ſive in collibus arenoſis per ſtrata collocatum occurrit, ſive mari innatans, ex his collibus elutum, propriorum inſtrumentorum ope piſcatur; fruſta in collibus reperiunda acervatim congeſta deprehenduntur, eorum matricem ſive lignum bitumine & pyritis reſolutis fœtum, ſive lutum conſtituit; idem etiam in variis aliis Europæ regionibus interdum repertum eſſe dicunt, ſed interdum etiam ſubſtantias colore & ſoliditate modo ad ſuccinum accedentes, ejus nomine compellare ſolent, * id ſaltem quod ab India Occidentali, nonnunquam etiam ab Oriente denominant, & quod quibuſdam quoque *Gummi Look* audit, odore, colore magis tincto, fragilitate & analyſi chemica evidenter a Succino vero differt, non male G. Copal adſcribendum, cum in Alcohole non diſſolvi queat, teſte Cl. DE NEUPORN.

Cum Succinum bitumen ſit, hinc in ejus ortum hic non ulterius inquiram, fragrantia, duritie, ſubſidentia in aqua, & quod igne liquari ſine deſtructione non poſſit, cum evidenter a reliquis bituminibus

differat, hinc proprium arborum genus oleum, unde ſurgit, largiri, probabile eſt, rationem acidi quoque in eodem evidenter majorem eſſe, experimenta loquuntur. Illud aliquando liquidum fuiſſe evidenter ex ſubſtantiis, quæ ipſi incluſæ deprehenduntur, liquet, quas Veteribus jam notas fuiſſe, ex TACITO & MARTIALI patet.

NEUMANN ſpiritus $\frac{1}{8}$, olei $\frac{3}{4}$, ſalis $\frac{1}{15}$ inde obtinuit, NEUFORN ex viliori ſpiritus $\frac{1}{5}$, olei ultra $\frac{2}{3}$, ſalis $\frac{1}{34}$, ex puriore autem paulo plus ſpiritus, minus olei, $\frac{1}{24}$ ſalis, ego ex raſura $\frac{1}{8}$ olei & $\frac{1}{60}$ circiter ſalis. Acidum ſuccini, vegetabilis indolis eſſe Cl. POTT evicit; acidum ſalis, cujus quoque veſtigia in Succino deprehenduntur, ex mari ipſi videtur accreviſſe.

Magna, qua Succinum ad morbos capitis maxime & nervorum commendatur, fama, ipſi demum Seculo XVI videtur ſurrexiſſe, eam ulla juſta obſervatione evictam eſſe, ego non novi & omnino Cel. TRALLES ſubſcribo exclamanti, *quam immerito prædicatur vis ſuccini antiſpaſmodica, nervina, cephalica!* Veteres illud roborandi ergo duntaxat, & ad catarrhos laudabant; ſaponi junctum, dum intus adhibetur, ob analogiam bituminum cum reſinis, vires abſtergentes & conſolidantes forſan edit & hinc ad ulcera interna conducet, ſed vel hoc in caſu reſinæ vegetabiles ipſi videntur præferendæ eſſe. Ejus ſuffitus diſcutiendi, roborandi, aërem corrigendi, vim nerveam excitandi ergo cum ſucceſſu adhibetur.

Oleum CROLLIUS multum prædicat, cui quoque BOERHAAVE accedit, mihi nulla obſervatio innotuit, qua proprias præ aliis oleis empyreumaticis vires probaverit: *Salis* inter primos AGRICOLA meminit, illum BOERHAAVE antihyſtericorum & diureticorum principem appellat, quo magis depuratum eſt, eo minus humores exagitat, hinc nunquam, niſi albiſſimus fuerit, debet in uſum trahi, & tanquam ſapo

acidus, cui oleum ſumme penetrans junctum eſt, in ſolvenda varia humorum ſpiſſitudine & reſerandis obſtructionibus cum ſucceſſu poterit exhiberi. Doſis ad ſcrupulum dimidium uſque poteſt extendi: *Eſſentia* HELMONT, ea nihil ſtomacho, inteſtinis, nervis, imo cerebro gratius eſſe, HELMONT dicit, quæ BOERHAAVE repetit, & eam præterea ad morbos frigidos multum commendat; ſpiritum vini partibus reſinoſis fragrantibus fœtum, vires roborantes habere non dubito, num promiſſis Auctorum, quos adduxi, reſpondeat, decidat experientia: externe claudendis vulneribus conducit, pro hoc ſcopo *Eſſentia ſine alcali* proſtat, ea quæ intus dari debet optime ad rationem ab HOFFMANN traditam paratur: * *Eſſentia Succini* GMELIN Liquorem anodynum pro menſtruo recipit, reliquis omnino magis ad curandos affectus encephali potens: * *Trochiſci de Carabe* MESUE, varias eorum ingredientium rationes Diſpenſatoria præſcribunt, ſecundum Auctorem $\frac{1}{7}$ circiter Opii vehunt, apud Pariſinos $\frac{1}{19}$ in circa, ad ductum Wurtemberg. $\frac{1}{25}$ abſurda compoſitio, valide quoſcunque fluxus ſiſtens: * *Syrupus de Karabe* Pariſ. ab Opio potius, quam a pauca, quam recipit, ſpiritus ſuccini quantitate denominandus: * *Elæoſaccharum* Wurtemberg. *Balſamum* SCHROEDER, minus bene cum cera parari jubetur, temporibus & vertici in affectibus nervinis illinitur: *Spiritûs ſalis Ammoniaci ſuccinatus* Auguſt. melius deſtillando quam digerendo paratur, eidem jure præfertur * *Eau de Luce* quæ, ſpiritui ſalis Ammoniaci oleum ſuccini commiſcendo paratur, ſapo ex alcali volatili & oleo valde penetrante compoſitus, egregios omnino effectus in reſolvendis humoribus præbebit & naribus admotus vires refocillabit: *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus* MICHAEL eſt ſal ammoniacalis oleo empyreumatico fœtus, hinc valide humores reſolvit & ſolida ſtimulat, ſcopo ſudorifero cum ſucceſſu adhibetur, exulet

omnino in affectibus capitis & nervorum ſanguineis, Datur ad guttas 20. * *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus albus* Wurtemberg. debilior eſt antecedente, nec rite ſaturatus: *Pilulæ de Succino* CRATONIS abſurda compoſitio, cujus baſin Aloë conſtituit: * *Pilulæ de ſuccino auctæ* Wurtemberg. $\frac{1}{4}$ reſinæ Jalappæ prioribus adjiciunt, validius hinc catharticæ: * *Spiritus Bezoardicus* BUSSI vid. *Sal Ammoniacus.*

SULPHUR, Θεῖον, *Soufre*, *Schwefel.* Eſt ſubſtantia ſolida, cum crepitatione fragilis, proprio odore, minus grato, nares feriens, mediocri calore fundenda, & dum fluit, colorem rubrum præ ſe ferens, volatilis, ignem capiens & tunc flamma cærulea, evidenter acidum emittente ardens, per ſe aquam non ſubiens, in oleis & ſpiritu vini ſolvenda.

Occurrit ſulphur I. Nativum 1) in maſſis ſolidis, plus minus coloratis & pellucidis ἄπυρον, *Vivum*, Veterum, Pyrites Nativus L. α) flavum, quale ex America advehitur, in Helvetia ex montibus eruitur, ad montes ignivomos occurrit β) rubrum, quale in Hungaria obtinet. 2) ſub forma pulveris flavi, ad aquas Aquiſgranenſes reperitur. II. Terris immixtum, quæ inde variis coloribus ludunt. III. Cum metallis in formam mineræ concretum, de hoc ſuis titulis dicetur. IV. Aquæ immixtum vid. *Aqua ſulphur.* Quod aliis ſubſtantiis a Natura commixtum occurrit, inde ſeparatur, ſive dum mineræ uſtulantur & efficitur, ut calore liquatum, in foramen, quo acervus uſtulandus pertunditur, confluat, cochlearium ope inde hauriendum, *Sulphur ſtillatitium*, *Tropfſchwefel* vulgo dictum, ſive ſubſtantias eo prægnantes, ollis vel tubis terreis aut retortis ferreis immittendo & illud in appoſita excipula deſtillando; hac ratione obtentum depuratur, modis in *Inſtitut. Chem.* dictis, depuratum in formam cylindraceam cogitur *Sulphur fuſum* Lat. Barb. *Commune*, *Citrinum*,

Vivum noſtris officinis audit, ſordes inde remanentes a recentioribus *Scoria ſulphuris*, *Sulphur caballinum* vel *gryſeum* dicuntur, interdum etiam, ſed valde improprie *Vivum*.

Sulphur ex acidi vitriolici maxima & principii inflammabilis minima ratione efformari, patet ex *Inſtit. Chem.*

Attrahentes ſulphuri vires GALENUS adſcribit, & illud extus ad morſus animalium venenatorum commendat, nec non ad morbos cutaneos, quos abſque periculo repulſionis curare affirmat, aliter videbatur recentioribus Medicis, qui ab eo materiem acrem ſalutari Naturæ conſilio ad exteriora depoſitam, ut ad interiora regurgitet, cogi, graviſſima mala excitari, monent, & ſulphur ſive nunquam, ſive ſaltem nonniſi poſt multorum evacuantium & ſanguinem depurantium uſum, cuti ſcabioſorum inungendum eſſe: Illuſtris VOGEL Veterum auctoritate & ex natura ſulphuris, illud ab omni vi repellente immune eſſe, egregie evincit, & noxas quas ab ejus uſu excitatas obſervarunt, ſiquidem medicamento debentur, potius a vehiculo pingui, poros obſtruente, & hinc perſpirationem ſupprimente, quam a ſulphure eſſe repetendas: ejuſdem accenſi fumum, qui ad corrigendum aërem exhalationibus alcalinis corruptum, commendant, non meminerunt, idem obtineri poſſe per ſuffitus minus nauſeoſos & pectori minus inimicos; eundem fumum ad morbos pulmonum commendantes, craſſiſſimam Chemiæ ignorantiam produnt.

Sed etiam ab omni tempore ſulphur intus cum ſucceſſu fuit datum, DIOSCORIDES illud ad ulcera pulmonum commendat, & eum vix non omnium Seculorum Medici ſequuntur; reſolvendo, abſtergendo, ſolidando dicitur agere & ex ejus cum reſinis vegetabilibus convenientia illuſtratur. Ex eo, quod illi, qui ſulphur aſſumſerunt, illud evidenter oleant,

GEOFFROI, ROSEEN & Cel. BALDINGER annotantibus, & quod aurum vel argentum, quæ geſtant, nigro colore obducantur, evidens eſt, illud intus ſumtum ad inferiores vaſorum ordines penetrare, cum ſucceſſu hinc ad promovendam tranſpirationem datur & in morbis arthriticis egregios effectus edidiſſe dicitur, inde quoque ejus virtutes ad morbos cutaneos videntur pendere, quos illuſtris PRINGLE & ROSEEN obſervationibus confirmant: a vi ejus reſolvente derivandus ejus effectus in alvum ducendam & reſeranda viſcera abdominalia a WERLHOFF obſervatus; Cl. VAN DOEVEREN tæniam inde curatam adducit. Regulum Antimonii & Mercurium inde cicurari, notiſſimum eſt, quod autem idem quoque obtineat, quando ipſis in corpus ingeſtis ſuperingeritur, ego ſaltem multum dubito, cum ſola natura ſulphur cum regulo Antimonii ita miſcere noverit, ut iſtius vis emetica ſuſpendatur, neque exactiſſima mercurii cum ſulphure trituratio & adhuc minus ſublimatio in corpore noſtro locum habeat, & ſi vera ſunt, quæ QUELMALZ de Hydrargyri viribus a ſulphure ſuſpenſis allegat exempla, illa a vi diaphoretica ſulphuris, actionem hydrargyri ad cutim determinante, erunt deducenda. Intus ſi ſulphur datur, ſemper ejus Flores, qui illud puriſſimum ſiſtunt, ſunt exhibendi; præſcribitur ad drachmam dimidiam.

* *Sulphur Lotum* Pariſ. * *Cremor Sulphuris* Pariſ. Vtrique optime flores ſulphuris ſubſtituuntur: *Flores* vid. *Inſt. Chem.* * *Flores Sulphuris compoſiti* JUNGKEN inconcinna compoſitio: *Magiſterium* ſive *Lac Sulphuris*, *Balſamum Sulphuris Aniſatum* vid. *Inſtitut. Chem.* * *Balſamum Sulphuris Amygdalatum* Wurtemberg. *Balſamum Sulphuris* RULANDI ſimpliciter cum oleo nucum parant & inde denominant Pariſini Noſtrates, præeunte SCHROEDER, vinum & acetum adjiciunt, Wurtembergenſes SCHINDLERUM ſequun-

tur, & solutioni sulphuris in oleo Lini, oleum Terebinthinæ addunt, ad hæmorrhoides externas maxime adhibetur. * *Balf. Sulph. Terebinth.* * *Spiritus* vid. *Instit. Chem.* * *Oleum* vid. *Instit. Chem. Sal Polychrestus* vid. *Instit. Chem.* * *Unguentum ad Scabiem* Paris. $\frac{1}{6}$ circiter Sulphuris habet: *Unguentum Bernhardinum* August. $\frac{1}{12}$ Sulphuris recipit: * *Tabellæ de Sulphure* Paris. * *Tabellæ de Sulphure compositæ* Paris. Utræque ad affectus pectoris apprime faciunt: *Æthiops mineralis* vid. *Inst. Chem. Cinnabaris* vid. *Instit. Chem.* * *Emplastrum Diasulphuris* RULAND. Wurtembergenses propius SCHROEDER sequuntur, rationem balsami sulphuris & myrrhæ Nostrates imminuerunt, in ulcere scrophuloso, maligno, egregios inde effectus Cl. PLENK vidit. * *Tinctura Sulphuris* BEGUIN. * *Hepar.* * *Syrupus Sulphuris* Wurtemb. est *Arcanum Becchicum* WILLIS.

§. 29.

IV. FRAGRANTIA.

Corpora validiore, & qui non ingratus est, odore instructa & subitaneo effectu & valde evidenter vires lapsas restituunt, ut copiosis ex observationibus, quarum plures Ill. HALLER collegit, manifestum est; exinde quod corpora multum odora in nervos omnino molles & pia modo matre vestitos agunt, quod adeo evidenter in sensorium commune operantur, & quod adeo celer eorum est effectus, ut nequaquam illo tempore, quod eorum applicationem & operationem intercedit, per vulgares circulationis vias ad encephalum pervenire potuerint, valde probabilis evadit conjectura, subtilissimas, quæ olfactum afficiunt, partes, immediate a nervis resorberi, sensorio communi adduci, & ibi, pro sua, nunquam forsan determi-

nanda natura, influxum fluidi nervei in fibras musculares sive intendere, sive supprimere; prius suaveolentia, alterum graveolentia præstare, docuit experientia. Hæc remedia Recentiores ἀναλέπτικα appellare solent, qua voce Veteres nutrimenta, quibus a morbis convalescentibus vires restituuntur, indigitabant, sed alias quoque substantias analepticis adscribere solent, sequente sectione dicendas.

§. 30.

Exhibentur præcipue fragrantia, ubi vires multum deficientes subitanea refectione opus habent, cum autem id, quod subministrant, subtile valde sit & cito dissipetur, hinc vires inde restitutæ per paucum modo temporis momentum vigent, & hæc medicamenta creberrime palliativæ potius, quam reliquis indicationibus inserviunt. Cum ea vim nerveam augeant, quæ autem excedens omne genus spasmorum & dolorum producat, eadem etiam evidenter sensorium commune afficiant, hinc evidens fit, quantæ noxæ ab iisdem præpostere, sive in nimia quantitate exhibitis possint excitari, vix non omnes Observatores tales casus sistunt, plures Celeberrimi TRILLER & TRALLES collegerunt. A vi nervea cum erectionem penis pendere vulgaris inter Medicos recepta opinio statuat, hinc suaveolentia etiam Aphrodisiacis solent adscribere.

α. VEGETABILIA.

Aromata omnia, Fructus horæi suaveolentes, Resinæ fragrantes.

PRIMULA VERIS, *Paralysis* Lat. Barb. *la Prime vere*, *Schlüsselblumen*, *Himmelsschlüslein.* Flores in-

fundibuliformes, flavi, ſuavi odore, etiam cum exſiccati fuerint, inſtructi & ſapore dulciuſculo.

Primula. Corollam habet infundibuliformem, quinquefidam, calice quinquangulari ſuſtentatam, iſantheram, monogynam, capſulam in qua multa ſemina proprio receptaculo affixa hærent: *Veris officinalis* L. Blacwell 226. foliis rugoſis, dentatis, umbella magis cernua, limbo corollarum concavo & floribus minoribus, ſaturatius flavis dignoſcitur.

Creſcit in omni Europa.

Extracti aquoſi ultra $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{6}$ fere Extracti ſpirituoſi inde obtinuit Cartheuser.

Ob gratum, quo ſcatent, odorem ad infuſa cephalica hi flores præſcribuntur, propriis quod polleant viribus, nullæ ſuccurrunt obſervationes.

Aqua deſtillata Val. Cord. Prouti vulgo proſtat vix aliquid proprii habet: * *Conſerva* Val. Cord. * *Syrupus* Auguſt.

* Rhodium Lignum Recent. *Bois des Roſes*, *Roſenholz*: proſtant hoc nomine fruſta variæ longitudinis & craſſitiei, ſub cortice gryſeo, non raro rugoſo, ſubſtantiam lignoſam, albam, rubris & flavis tæniis percurſam includunt, Roſarum odore inſtructa, varie torta & ramoſa: quo magis colorata ſunt & odorata eo præſtantiora.

Genista. Corolla gaudet papilionacea, carina reliquis petalis majore, vexillo toto reflexo, calice bilabiato ſuſtentata, legumine ſubrotundo, turgido: *Canarienſis* L. folia ternata, tomentoſa & ramos angulatos habet.

Rariſſime & nonniſi ad ſuffitus in officinis uſurpatur.

Innotuit demum Seculo XV. ex Antillis & Canarienſibus inſulis adducitur.

$\frac{1}{50}$ Olei odorati largitur, ſpiritus vini inde abſtractus vix olet, Extractum reſinoſum ſuaveolens eſt,

aquoſum leviſſime amarum. Lewis $\frac{1}{32}$ uſque Olei odorati, $\frac{3}{8}$ Extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{4}$ aquoſi. Cartheuser, Chambers & Neumann ex largiore ligni quantitate vix veſtigium Olei odorati potuerunt ſeparare, his & mea experimenta accedunt, ultimus Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{8}$, aquoſi ultra $\frac{1}{10}$ inde obtinuit.

Oleum deſtillatum Hamburg. ſemper multo oleo unguinoſo adulteratum proſtat, ad $\frac{4}{5}$ ejus Neumann inde ſeparavit: * *Aqua deſtillata* multum gratiæ habet.

Rosarum Flores vid. *Adſtringentia.*

Tilia, φίλυρα, *Tilleul*, *Linde*. Ejus Flores flavicant & inſident pedunculo trifido, qui ex nervo intermedio, proprii foliorum generis oblongi, obtuſi, integerrimi prodit, recentes, fragrantiſſimo odore gaudent, qui ab exſiccatis abeſt, aquam flavicante colore & ſalino ſapore inficiunt.

Tilia. Corolla pentapetala, calice quinquepartito ſuſtentata, polyanthera, monogyna & capſula quinqueloculari gaudet: *Europæa* L. Blacwell 469. defectu nectarii diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem.

Arbor Veteribus notiſſima, XVI ſeculo demum ad uſus medicatos cœpit recipi & multum ad convulſiones laudari, flores exſiccati, inodori, quomodo debeant in nervos agere, ego ſaltem non poſſum hariolari. Num epilepſia chronica, quam Hoffmann inde curatam refert, revera ab infuſo horum florum fuit fugata?

Aqua deſtillata Val. Cord. iners omnino: * *Conſerva* Val. Cord.

Tunica Lat Barb. *Oeillet*, *Nelcke*, *Grasblume.* Ejus Florum petala recipiuntur, ovata, inferne in unguem anguſtata, ſaturate rubra, gratum, qui ca-

ryophyllos redolet, odorem ſpirantia, ſapore dulci inſtructa.

Dianthus. Corolla gaudet pentapetala, regulari, calice quinquefido, cui inferne ſquammæ accedunt, inſtructa, diploſanthera, digyna, capſula polypyrena: *Caryophyllus* L. Blacwell 81 flores ſubſolitarios, ſquammas calicinas, ſubovatas, breviores habet.

Creſcit in Europa Meridionali, cultura innumeras inde varietates produxit.

Evicit Ruellius quod nequaquam διὸς ἄνθος Veterum ſit.

Aqua inde ſuaveolens deſtillat, ſed nullum Oleum odoratum ab ea poteſt ſeparari, Extractum aquoſum leviſſimum, reſinoſum gratiſſimum odorem ſpirat. Lewis. Extracti aquoſi ultra $\frac{1}{4}$, ſpirituoſi $\frac{1}{6}$ Cartheuser.

Rariſſime flores præſcribuntur, quippe qui exſiccati vix odori ſunt.

Aqua deſtillata Schroeder. ſcopo analeptico & antiſpaſmodico crebro præſcribitur, prouti vulgo proſtat iners omnino: *Syrupus* Schroeder ad eoſdem ac aqua uſus adhibetur, utique efficacior: * *Acetum* Quercetan. * *Conſerva* Schroeder.

Viola, ἴον, *Violette*, *Viole*. Ejus Folia, Flores & Semina in officinis occurrunt.

* *Folia Violaria* Barb. cordata ſunt glabra, longis petiolis nixa.

Flores aſſervantur calycibus incluſi, cærulei, ſuaviſſime olentes, ſapore dulci inſtructi.

Semina parva ſunt, rotunda, alba, medullam albam condentia.

Viola. Corollam pentapetalam irregularem, calice irregulari ſuſtentatam, iſantheram, monogynam habet: *Odorata* L. Blacwell 17. habitu acauli & foliis cordatis agnoſcitur.

Crescit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Folia GALENUS refrigerandi ergo commendat, labente ævo emollientibus adscribebantur, hodie raro in usum trahuntur. Flores, qui melius subito clibani calore exsiccantur, quam quod in umbra diu aëris actioni relinquantur, & ita tam colore quam odore priventur, demum inter Latino-Barbaros frequentius in usum fuerunt tracti, eorum, prouti in officinis prostant, vires analepticæ non magnæ videntur esse, cum relaxent & demulceant, hinc, notante jam DIOSCORIDE, ad morbos pectoris adhibentur, eosdem viribus alvum ducentibus pollere, Arabes annotarunt & PECHLIN iteratis experimentis probavit, adscribuntur floribus cordialibus. Seminum vires diureticas, circa quas SCHOLZ & S. PAULI observationes adducunt, experientia non confirmavit.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. * *Conserva* sive *Zuccara violata* MESUE: *Syrupus* minus bene a MESUE sub nomine Julepi descriptus, ad morbos pectoris crebro exhibetur, & gratiæ ergo formulis adjicitur. * *Syrupus Solutivus* Wurtemb. vires catharticas a foliis sennæ maximæ habet: *Julepus* HONESTI suas vires saccharo debet: * *Oleum per Infusionem*, ἰαῖον, ÆGINETÆ nihil proprii habet: * *Mel* MESUE eviluit: *Emulsio Violata* MYNSICHT præ aliis emulsionibus vix aliquid proprii videtur habere.

β. ANIMALIA.

CHERMES Arab. κόκκοι, *Cocci* Veterib. Folliculi qui pisorum magnitudinem habent, unde inferne aliqua portio resecta fuisse videtur, rotundi, splendentes, intus, grana minima sub forma pulveris sive sanguinei sive flavicantis includentes, ex rubro fusci, sapore leviter adstringente & amaricante, odore levissimo instructi.

Coccus. Insectum quatuor alis, superioribus semicrustaceis, rostro pectorali, abdomine postice setoso, feminis apteris gaudet: *Ilicis* L. habitat in *Quercu Coccigera* L. foliis ovatis, indivisis, spinoso dentatis, glabris distincta, Europæ Meridionalis cive. Insecta in Aquitania & Gallo-Provincia occurrentis, reliquis præstant.

Folliculi, qui in usum trahuntur, sunt exuviæ femellarum, quæ Martio mense semine milii non majores, axillis foliorum, & divisionibus ramorum accrescunt; Majo autem sua ova excludunt, succo rubro turgentia, eis exclusis moriuntur & siccescunt; hi folliculi unguibus a frutice derasi, in cubiculo, aëri libero pervio, exponuntur, & aceto, ut ovulorum exclusio impediatur, consperguntur, ne incalescant, linteis, ut exsiccentur expositi, aliquoties de die debent versari, sed ita non potest non fieri, quin multum ovulorum, quæ continent, inde excutiatur, id ipsum, cribri ope, a folliculis separatum, digitis, in pastillos efformatur, qui * *Pastel d'Ecarlate* sive *Ecarlatte des grains* dicuntur.

Hæc insecta, cum facile a paulo majore frigore lædantur, hinc pro varia quæ messem antecedit hyeme, illa sive largior sive mediocris solet esse.

Extracti aquosi salini $\frac{1}{2}$ inde obtinui. CARTHEUSER Extracti aquosi $\frac{1}{3}$, totidem fere spirituosi.

Roborandi ergo a GALENO laudantur, primi Arabes ipsis vires cordiales adscripserunt, in alvi fluxibus, hæmorrhagiis & ad præcavendum abortum præscribuntur ad dimidiam drachmam usque, sed fateor, me parum virium ab exsiccatis exuviis expectare, efficacior est omnino.

Succus, qui in Gallia Meridionali ex recentibus folliculis exprimitur, per subsidentiam depuratur & pari sacchari quantitate ipsi adjecta, contra corruptio-

nem defenditur & per orbem divenditur: huic ſucco $\frac{1}{3}$ ſacchari adjiciendo Noſtrates *Syrupum* Granorum Chermes parans, Wurtemberg. multo majorem rationem ſacchari, Coccionellam quoque & Roſarum & Cinnamomi aquas addunt: *Confectio Alchermes* MESUE correctam primi Monſpelienſes confecerunt; BARTHOLINUS inter primos Moſchum & Ambram, feminarum ergo, juſſit inde exulare, hinc hodie *completa* & *incompleta* proſtat. Noſtratium præſcriptio ſimplicior quam aliorum, hinc magis placet, licet nec ipſa omni numero abſoluta ſit; polychreſtum medicamentum analepticum, quod ad drachmam dimidiam pro doſi exhibetur: *Trochiſci Alkermes* Auguſt.

MOSCHUS, *Muſc*, *Biſam*, Pulverem ex parvis granulis conſtantem refert, ferrugineo gaudet colore, ſapore amaro, odore proprio fortiſſimo, inflammabilis, mox nudus, mox veſiculis incluſus ad nos adducitur, quæ pilis rigidis obſidentur, hi ſi albi fuerint, veſiculæ a Ruſſia denominantur, ſi badii Chinenſes & Tunquinenſes appellantur.

Tanguticus & Sinenſis reliquos multum odore ſuperant.

Probatur Moſchus, quod ferro candenti impoſitus, flammam capiat & vix non totus conſumatur.

TRAGULUS dentibus inciſoriis in maxilla ſuperiore nullis & defectu cornuum agnoſcitur: *Moſchus* BRISSON, *Moſchus Moſchifer* L. dentibus caninis ex maxilla ſuperiore extra os prominulis, & ventris parte, quæ in aliis penem educit, in tumorem prominula diſtinguitur.

In Tataria, Sibiria & China occurrit.

Eſt autem noſtra ſubſtantia ſebi genus, quod in proprium folliculum colligitur, unde tumor inter umbilicum & teſticulos efformatur, duplici foramine extra corpus hians, fibris muſcularibus tectus, & membrana firma efformatus.

Ab

Ab alcohole omni ſua fragrantia privatur, quod tamen non multum odoris inde recipere videtur, aqua a Moſcho abſtracta, multum odorata evadit, ſecus ſpiritus vini. LEWIS. Extracti aquoſi $\frac{2}{5}$, ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ largitur NEUMANN.

Gentes Orientales, quibus odorifera multum placent, a longo retro tempore Moſcho utebantur: DIOSCORIDES in *Europiſt.* ejus mentionem fecit, Arabes & ſequioris ævi Medici illum valde laudarunt, ſed nulla certa obſervatione de ejus viribus medicatis conſtabat; recentioribus demum temporibus inſignes ejus in curatione morborum convulſivorum, deliriorum, maniæ, podagræ retrogradæ, morſus canis rabidi, vires per WALL, PARSON, OWEN, Illuſtris PRINGLE, HAARTMANN, GALEATI, ZANETTI, VAN SWIETEN, Cl. MEDICI, SEBASTIANI, MORGENSTERN &c. experientias innotuerunt: MASSE epilepſiam inde vidit curatam; Moſcho collo appenſo, contra contagium variolaceum infantes Ill. LINNÆUS defendit.

Datur a decem granis ad triginta uſque, ſemper aliquo ſapone mixtus. Feminæ & hypochondriaci ejus odore non raro offici ſolent.

* ZIBETHUM Lat. Barbar. *Civette*, *Zibet.* Eſt ſubſtantia, quæ conſiſtentiam unguenti vel axungiæ habet, odore fortiſſimo, proprio, colore albido gaudet, is quo magis ad brunum accedit, eo vilius reputatur unguen eſſe.

Duplex animalium genus hoc unguen largiri Illuſtr. BUFFON & D'AUBENTON annotarunt, unum *Zibet* eſt *Viverra Zibetta* L. *Meles Zivetta* BRISSON. Aſiæ proprium: alterum *Civette* ſex dentes inciſores in utraque maxilla habent, digitos ad omnem pedem quinque, diſtinctos, unguibus parvis & debilibus inſtructos: hoc ab altero fronte eminente, auriculis minoribus, dorſo ſetoſo, & pollice a reliquis digitis remotiore diſtinguitur.

Per Asiam & Africam multis in locis occurrunt.

Unguen continetur in duobus receptaculis, in communem truncum hiantibus, qui proprio foramine inter orificia sexus & ani hiant, tecta sunt folliculis, qui singuli unguen secernunt & in receptaculum plorant, unde cochlearis ope, bis vel ter per septimanam, hauritur.

Multum unguinis olim ex animalibus, quæ in Belgio alebantur desumtum fuit, illa cum multis retro annis perierint, hinc hodie zibethum insigni valde pretio venditur.

Nec ab aqua, saponibus quoque mixtum, nec in alcohole se dissolvi patitur, utrique tamen menstruo suum odorem affricat.

Medio ævo in Europa innotuisse videtur; interne nunquam datur: externe variis medicamentis, odoris ergo adjicitur; quem exigua ejus ratio, in modum Ambræ & Moschi, per largum materiæ, cui additur, volumen diffundit.

§. 30.

V. SPECIFICA.

Huc illa medicamenta refero, quæ vulgaris opinio analepticis & roborantibus adscribit, etsi ea tales vires possidere, nec ex eorum odore, nec sapore suspicari licet. Virtutes roborantes de ipsis prædicatas, cum nulla fida observatio probaverit, hinc ea, hunc in finem modo allego, ut occasio nascatur monendi, nullum robur inde exspectandum esse, & ne corpora multum diu laudata, neglexisse videar, ut denique quid proprie inde sit exspectandum, exponam.

α. VEGETABILIA.

Borrago Barb. *Bourage*, *Boretsch*. Folia & Flores inde recipimus.

Folia ſunt ovato-oblonga, pilis hirſutis aſpera, odoris & ſaporis expertia.

Flores ſunt rotati, in quinque lacinias ſecti, cærulei, nec ſapidi, nec odori.

Borrago. Corollam rotatam, quinquefidam, quinque eminentiis notatam, iſantheram, monogynam, calice quinquefido ſuſtentatam habet, in quo ſemina rugoſa, ex baſi lata in mucronem acutum terminata, maturantur: *Officinalis* L. Blacwell 36. foliis ovatis, alternis diſtinguitur.

Ex Aleppo olim in hortos Europæos delata, hodie in illis colitur, & ad eos quoque ſponte provenit.

Ex ſucco foliorum nitrum & ſalem communem obtinuerunt Boulduc & Marggraff, ſed alibi notavi, hæc ſalia plantis non propria, ex ſolo, cui innaſcebatur, eas ſubiiſſe.

Cum ſub renatis in Europa litteris hanc plantam Buglosſum Veterum eſſe reputarint, hinc lætificantes ipſi adſcripſerunt vires; folia, neſcio cur, refrigerantibus annumerabantur, & cum nitrum fovere Chemici aſſeruerint, majori quoque cum veri ſpecie id affirmari poſſe credebatur; ſed nulla mihi ſaltem innotuit obſervatio, quæ vel florum vel foliorum virtutem confirmaverit. Flores, ornatus ergo acetariis adjiciuntur. Folia juſculis vernalibus.

Aqua deſtillata Nicol. Præpos. * *Syrupus* Val. Cord. a Wurtemberg. ex floribus, a Pariſinis ex ſucco paratur: * *Conſerva* Val. Cord.

Buglossum, βέγλωσσον, *Bugloſſe*, *Ochſenzunge.* Folia & Flores recipiuntur.

* *Folia* ſunt oblonga, anguſta, in acutum mucronem terminantur, hirſuta, odoris & ſaporis expertia.

Flores parvi, inodori, inſipidi, infundibuliformes.

Anchusa. Corollam infundibuliformem habet, quinquefidam, quinque appendiculis clauſam, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, monogynam,

ſemina gibboſa in calice maturantur: *Officinalis* L. Blacwell 500. Foliis lanceolatis, hirſutis & ſpicis imbricatis agnoſcitur.

Galenus, communi Veterum conſenſu, hilaritatem inde excitari aſſerit, illud ad tuſſim quoque commendat. Eadem de hoc ac de antecedente notanda ſunt.

Aqua deſtillata Val. Cord. * *Syrupus* Val. Cord. ut antecedens parari jubetur: * *Conſerva* Mesue.

* Ninsing Japonenſium, *Ginſem*, *Ginſing* Chinenſium: Eſt Radix quæ calami craſſitiem habet, leviter rugoſa, cornu colore & pelluciditate refert; odorem nullum, ſaporem leviſſime dulcem poſſidet.

Sium. Flores umbellatos habet, involucro utroque inſtructos, ſemina ſubovata & ſtriata: *Ninſi* L. Blacwell 514. foliis caulinis pinnatis, racemis ternatis diſtinguitur.

Creſcit in Corea ad Chinam Septentrionalem & in Japan.

Cum hæc radix inferne biſurcetur, illam inter & hominem, ſimilitudinem quandam intercedere ſtatuerunt, luxurians Chinenſium phantaſia finxit ejus ope calidum innatum, vitæ fontem, ſi languerit inde ſuſtentari & reſuſcitari poſſe, ſumma igitur apud ipſos in exiſtimatione eſt; Europæi ſibi a Chinenſibus imponi paſſi ſunt, has radices ad nos adduxerunt & Medicos repererunt, qui eas tanquam certiſſimum mortis antidotum conſiderarunt, & non obſtante cariſſimo pretio, uncia quippe centum & quinquaginta florenis Amſtelodami venditur, ægrotis exhibuerunt, ſed vel ullum earum ope morti ereptum fuiſſe, ego ſaltem non novi.

Anno 1718 Lafitau Pater Jeſuita ſe in Canada radicem reperiſſe publicavit, eandem cum Ninſin, eſt hæc radix illa Chinenſium craſſior & magis rugoſa, eidem aliquid rufi accedit, nec pelluciditatem habet, id quod a diverſa exſiccationis ratione videtur pendere;

ſaporem ejus primum dulcem, alius, qui evidenter linguam ferit, ſolet excipere, hanc ſeplaſiarii hodie ſub nomine *Radicis Ginſeng* ſolent, & quidem multo minori pretio, quam antecedentem, vendere.

Deſumitur a PANACE, floribus umbellatis, involucro utroque inſtructis & baccas excludentibus, gaudente: *Quinquefolio* L. BLACWELL 513. Canadæ & Virginiæ cive.

Ab hac radice, æque ac ab illa aliquid proprii ut expectemus, nec ratio nec experientia permittunt; Orientalis ad aliquot grana, Canadenſis ad drachmam dimidiam datur.

β. ANIMALIA.

* ÆGAGROPILÆ Recent. *Gemſen-Kuglen.* Sunt pilæ variæ magnitudinis, pugnum uſque æquantes & variæ figuræ, a recrementis variarum plantarum efformatæ, quæ involucrum tenax & ſolidum quod interdum partes calculoſas recipit, obduxit, coloris fuſci vel nigri, odoris leviter aromatici, qualis etiam ſapor eſt, cui aliquid adſtringentis accedit.

Reperiuntur in primo aut ſecundo ventriculo *Capræ Rubricapræ* L. cornubus teretibus, rugoſis & uncinatis diſtinctæ, ad altiorum Alpium Gallicarum, Helveticarum & Carpaticarum vertices habitantis.

Hæ pilæ Seculo XVI ſub nomine *Lapid. Bezoar.* notæ erant, primus WELSCH ipſis nomen, quod nunc habent, dedit.

A concrementis morboſis, formatis ex plantis unde vires digeſtionis omnia principia efficacia extraxerunt, ope liquorum ventriculi animalis, lapides multum lingentis, conglutinatis & cruſta obductis, nullas omnino vires medicatas poſſumus expectare. Auctoritas lapidibus ex animalibus deſumtis attributa, figmentum quod concentratas Alpeſtrium plantarum vires poſſideant, & conjectura de rupicabris inde nulla ver-

tigine laborantibus; hæc concrementa capiti opitulari Medicis persuasit, meliora hodie edocti, medicamentum iners omnino missum facimus, facile curationes a WELSCHIO inde observatas plane aliis rationibus adscribendas esse perspicientes.

BEZOAR LAPIS Lat. Barb. Arabicæ originis vox, quæ apud Arabes *Bedezahar*, *Bezarahat*, *Bezaar* &c. scribitur, vario significatu apud Auctores occurrit, sive latissimo, pro omni medicamento, quod veneno resistit, & hoc in sensu Arabibus usu venit, sive latiore, pro omni calculo animali, effectus medicatos edente, qui Seculo XVI obtinuisse videtur, & hic præter mox dicendam & Lapidem Hystricis, illum qui ex vacca marina ad Coromandel desumitur, Crocodilinum, quem *Caimanum* dicunt, & calculum Simiæ comprehendit, sive stricto, quo Arabes proprium quendam lapidem fossilem, inter nos hodie ignoratum, indigitarunt, sive strictissimo, præeunte VILLANOVANO, lapidem proprium ex proprio animali obtinendum.

Hodie duplex ejus genus in officinis asservatur *Orientale* & *Occidentale*.

* *Bezoar Orientalis.* Variam figuram & variam magnitudinem habet, & pro hac crescente etiam ejus pretium crescit, superficies ejus lævis est, polita, splendens, color nigricat cum aliquo admixto virore, ex stratis sibi invicem incumbentibus efformatur, quorum intimum cavitatem includit, cui ut plurimum aliqua substantia heterogenea inhæret, cum acidis non effervescit, saporis & odoris expers est.

* *Bezoar Occidentalis.* Sub diversissimis figuris & variante multum magnitudine occurrit, evidenter quoque ex stratis compositus, nec splendens, nec politus, cum acidis non effervescit, colorem cinereum plus minus dilutum habet, cui non raro aliquid nigri accedit, nec sapidus, nec odorus.

Primum dicunt desumi ex *Capra Bezoardica* L. quæ cornibus erectis, ab imo ad summum fere annulatis & gula jubata distinguitur, in Persia occurrente.

Alter cum nihil habeat, quo differat a calculis, qui in animalibus ut plurimum obtinent, hinc qui ipsi adscribuntur lapides ex vario brutorum genere videntur desumi, id quod etiam ACOSTA testatur.

Nec aqua nec spiritus vini aliquid ex Orientali recipiunt secundum NEUMANN, qui inde $\frac{7}{12}$ liquoris empyreumatici, nequaquam urinosi, $\frac{1}{40}$ sublimati flavi, salini, empyreuma olentis, $\frac{1}{120}$ fuliginis obtinuit; ex Occidentali autem liquoris empyreumatici urinosi $\frac{1}{5}$ fere, & aliquot guttas olei empyreumatici.

Utrumque concrementum morbosum, ratione, quæ in Pathologia explicatur, surgit; pabulo proprio Capræ bezoardicæ videtur adscribendum esse, quod ipsius calculus superficiem splendentem habeat. Plures qui sub nomine Bezoar Orientalis prostant calculos factitios esse lubenter largior, sed argumenta a NEUMANN adducta, nequaquam mihi persuadent, omnes qui occurrunt arte factos esse, nullum ex animali desumtum, genuinum occurrere, quomodo autem nativi debeant agnosci, non audeo determinare, cum NEUMANN egregie insufficientiam omnium, quæ vulgo huc facere dicuntur, tentaminum evicerit, si id quod Veteres allegarunt criterium in ullo reperire possem, quod nempe animali cui venenum exhibitum fuit, & morti proximo propinatus, vitam reddat, ille mihi vel adamante esset pretiosior.

Cum Pathologia demonstret, calculos quoscunque animales a partibus terrestribus maxime efformari, frustra & ab his calculis aliquid medicati expectari patet; falsæ hypotheses de talibus lapidibus concentratas vires herbarum, quibus animalia pascuntur, possidentibus, de præstantia medicamentorum ex animalibus desumtorum, absurda opinio, corpora quæ

magno pretio venduntur, etiam magnas in corpus humanum vires editura esse, mercium cariorum, quæstus ergo, multa commendatio, omnis generis historiolis suffulta, auctoritas Medicorum qui talibus se falli passi sunt, medentium ardor specifica ad morbos curatu difficiles reperiundi, in causa fuerunt, ut inertia hæc medicamenta, sine ulla suffragante experientia, quis enim fidem adhibebit a C. BAUHINO collectis observationibus? tanquam analeptica, cardiaca, antidota, cephalica &c. fuerint commendata.

Qui eis uti volunt, secure dosin etiam ultra drachmam dimidiam possunt extendere.

* *Bezoar de Goa* BATEI si quas vires habet, eas moscho & ambræ debet.

CORALLIA, κεράλια, κοράλλια, κωράλλια, hoc nomine veniunt duo genera zoophytorum, *Rubrum* nimirum & *Album*.

Rubrum substantiam lapideam refert, in plures ramos divisam, nullis foraminibus pertusam, colore rubro insignitam, saporis expertem.

* *Album* præter colorem etiam eo ab antecedente differt, quod copiosissimis foraminulis hiet, quæ stellæ figuram habent.

Corallia dum per aliquod tempus extra mare asservantur, extima eorum membrana, quæ cortex dicitur, reliquo corpori accrescit, ea ut lævis & splendens evadat, pumice lævigatur.

Corallium rubrum est *Isis* polypus, polycephalus, stirpi lapideæ rigidæ inhærens: *Nobilis* L. BLACWELL 341. stirpe continua æquali, & ramis vagis distinguitur.

Nullibi nisi in Mari Mediteraneo occurrit.

Officinæ nonnisi fragmenta minima & graciliora recipiunt, majora lapidariis & curiosis relinquuntur.

Calcarei omnes qualitates habet, igne quoque in optimam calcem vivam abit, LEWIS. Spiritus urinosi

ultra $\frac{1}{64}$, veſtigium olei empyreumatici deſtillatione fundunt. NEUMANN.

Multi licet Auctores ab omni tempore fuerint in extollendis laudibus Coralliorum, nulla tamen proſtat fida obſervatio, quod præ aliis ſubſtantiis animalibus terreſtribus aliquid proprii habeant, principium martiale, quod in illis obtinere ajunt, & a quo vires adſtringentes derivant, experimentis demonſtrari nequit, præter abſorbentes itaque nullas alias inde expectamus virtutes.

* *Tinctura Corallorum* a PARACELSO præcipue celebrata, evicit ſanior Chemia, quod ad Veterum Alchymicorum ſomnia pertineat, quæ fumivendulum hoc hominis genus circa tincturas in univerſum & illam Corallorum in ſpecie effinxerat; omnes quæ hodie proſtant de Coralliis plane nihil recipiunt, omnes qualitates, quas habent, aliis, quæ Coralliis adjiciuntur, ſubſtantiis debent. Pariſini, præeunte QUERCETANO, ſpiritum vini adhibent ſucco Berberum dilutum, Wurtembergenſes ad mentem KUHNRADT ſpiritum vini, aceti inſpiſſati magmate tinctum, præſcribunt: * *Sal Corallorum*: *Solutio Corallorum* SCHROEDER. ad indolem terræ foliatæ Tartari accedit, eadem omnino inferior: * *Magiſterium* SCHROEDER. vix non totum iners: *Syrupus Corallorum* SCHROEDER præ Syrupo Berberum nihil proprii habet, eodem quoque inferior, cum Corallia ejus acidum imminuerint, Pariſini ſuccum Granorum Chermes adjiciunt: * *Tabellæ* Pariſin.

Corallium album, eſt *MADREPORA*, polypus polycephalus qui ſtirpi lapideæ, ſtellis lamelloſo-ſtriatis ornatæ inhæret: *Oculata* L. BLACWELL 342, 343. habitu ramoſiſſimo, ramis flexuoſis & ſtellis immerſis diſtincta.

Copioſe in Oceano Indico occurrit.

Aliarum etiam Madreporæ ſpecierum fragmenta, in officinis ſub nomine Corallii albi proſtare, obſervavit Cl. PALLAS.

Ratione virium cum Corallio rubro convenit.

MARGARITÆ, *Uniones*, μαργαρῖται, *Perlæ* Barb. ſunt corpuſcula plus minus rotunda & ſplendentia, alba, ex ſquammis ſibi invicem incumbentibus efformata, odoris & ſaporis expertia.

Æſtimantur Margaritæ ab albedine, ſplendore & volumine, ut pro hujus creſcente ratione pretium multiplicetur, prægrandes decem ceratiorum, quæ ſingula quatuor granis æquantur, pondus excedentes *Paragon* dicuntur, tribus granis non leviores *Coronariæ*, *Perles de compte*, *Zahlperlen* appellantur, minores *Textiles*, *Lothperlen*, *Saatperlen*, *Perles à l'once*, *Semence de Perles* vocantur, illæ autem, quarum figura irregularis eſt, *Baroques*; minus ſplendentes denique, colorem lacteum habentes & ſuperficiem irregulariter in tubera elevatam, *Occidentales* dicuntur, cum prioribus *Orientalium* nomen imponant.

Subſtantiæ quæ in conchis eam rationem habere videntur, quam lapides in cancris, in vario concharum genere ſolent occurrere, præcipue autem in *MYTILO* teſta bivalvi, cardine edentulo, quem linea longitudinalis diſtinguit, gaudente: *Margaritifero* L. cujus teſta compreſſo-plana, ſuborbiculata eſt, ſemi auriculata, rugis undatis diſtincta.

Occurrit in magna profunditate Oceani Orientalis, Sinus Perſici & Maris Auſtralis, unde ab Aprili menſe ad Octobrim uſque, reliquo enim anno, nullas margaritas habet, per urinatores piſcatur.

Margaritæ Occidentales, quas paſſim fluvii Europæ exhibent, occurrunt in *MYA* cujus teſtæ bivalvis altera extremitas hiat, cardo dente craſſo, alteri teſtæ non inſerto gaudet: *Margaritifera* L. teſta antice coarctata, cardinis dente primario conico diſtincta.

Teſta Mytuli Margaritiferi *Mater Perlarum*, *Nacre de Perle* dicitur: variæ magnitudinis ſpecimina inde proſtant, quæ extus gryſea ad flavedinem vergunt, intus ſplendore argenteo nitent.

Margaritæ $\frac{1}{17}$ liquoris urinoſi & aliquid Olei empyreumatici fundunt, Mater perlarum $\frac{1}{24}$ liquoris urinoſi & exiguam Olei empyreumatici rationem dimittit. NEUMANN.

Primi Arabes margaritas in uſum traxerunt & ex eo, quod magno pretio veniunt, magnas quoque vires ſibi ſunt polliciti, iiſque cephalicas, cordiales, & venenis reſiſtentes virtutes adſcripſerunt; ſimiles etiam a Matre perlarum exſpectarunt, ſed minores cum minori pretio potuerit comparari, nulla autem experientia Arabum promiſſa confirmavit & prudentes, præter abſorbentes, nullas alias ab iis exſpectant vires.

* *Species Diamargarit. calidæ* AVICENN. Vires roborantes unice ab aromatibus habent: * *Species Diamargarit. frigidæ* Auguſt. Wurtemberg. correxerunt, inconcinna compoſitio: * *Tabellæ de Margaritis* Pariſ. * *Tabellæ de Matreperlarum* Pariſ. abſorbendi ergo conducent: * *Magiſterium Margarit.* SCHROEDER iners omnino medicamentum, ipſi ſimile eſt *Magiſterium Matris perlarum* Wurtemberg. * *Sal perlarum* PARACELSI: * *Sal & Solutio Matris perlarum* Wurtemberg. harum ſubſtantiarum unicam quam habent virtutem, vel imminutam ſiſtunt.

γ. FOSSILIA.

ARGENTUM, ἄργυρον, *Argent*, *Silber*. Metallum album, aqua undecies gravius, inter aurum & regulum antimonii, ratione ignis gradus, quo fluit, inter aurum & ferrum ratione firmitatis, medium locum tenet, poſt aurum maxima ductilitate gaudet, in

acidis ſolubile, igne nihil perdit, nec a vitro ſaturni nec a nitro deſtruendum.

Reperitur Argentum I. Nativum & quidem ſub diverſiſſimis figuris & variante multum magnitudine, interdum moleculæ viſum fugientes matrici inhærent, ut in *Minera Alcalina* JUSTI: II. ſub forma mineræ 1) nigræ A. textura ſolida gaudentis a) cultro ſcindendæ, *Argentum vitreum* Auctorum, quod ad $\frac{4}{5}$ uſque argenti vehit, ex ſulphure & argento concretum b) cultro non ſcindendæ α) zinco gravidæ *Argentum zincoſum* L. *Pechblende*, β) zinci expertis *ſprödes Glas - Erzt* JUSTI: B. texturæ laxæ *Argentum nigrum* L. a) pulverulentæ *Silber - Schwärtze*, *ruſicht Erzt* JUSTI, b) in fibras capillares efformatæ *Minera Argenti*, *antimonialis capillaris* CRONSTÆDT. *Feder-Erzt* $\frac{1}{400}$ argenti habet: 2) rubræ, quæ varios rubedinis gradus habet, cinabarinum ad Fanum divæ Mariæ occurrit, & in varias figuras, non raro in pulcherrimas cryſtallos, concretum *Argentum rubrum* L. *Rothgulden*, ex Argento & Arſenico efformatum ad $\frac{3}{5}$ uſque argenti fovet: 3) gryſeæ, hæc cuprum, ſulphur, arſenicum argento immixta habet, quo magis ratio cupri creſcit, eo magis color ad nigrum vergit A. albidior a) ferri expers *Album* L. *Weisguldig*, hoc in cryſtallos efformatum, quale in Fano D. Mariæ occurrit, Noſtrates *Glasköpfen* dicunt: b) ferrum recipiens *Minera alba* CRONST. Argentum arſenicale L. B. Cinerea *Argentum cinereum* L. *Fahl-Erzt*, in hujus generis mineris ratio Argenti ad $\frac{1}{7}$ uſque ſolet aſcendere. C. Gryſea cum fuſco mixta & ſuperficie granulata inſtructa *Roſchgewæchs* ad $\frac{4}{5}$ Argenti cum arſenico, ferro & cupro commixti continet, nonniſi in Hungaria occurrit. 4) Flavicantis ſemipellucidæ, mollis, *Argenteum corneum* L. *Minera Cornea* vulgo ad $\frac{2}{3}$ Argenti, ope acidi ſalis in mineram redacti, creberrime etiam ſulphur habet, raro

occurrit. III. ſub forma terræ 1) ſolidioris, argillaceæ: flavicantis, cum immixto virore *Ganſekotig-Erzt* vulgo, 2) laxioris quaſi pinguis, rubræ, flavæ, cæruleæ *Silber-Mulm* ad $\frac{1}{100}$ Argenti habet, 3) in ſquammas rigidas, fuſcas, ſplendentes efformatæ *Colophonien-Erzt.* 4) foliola fuſca & laxa ſiſtentis, ad $\frac{1}{200}$ Argenti continentis, *Bergkorck* LEHMANN *Blættel-Erzt*, nonniſi in Hercynia hactenus repertæ.

In America & paſſim per Europam occurrit.

Argentum nativum ſemper ære inquinatum occurrit, finiſſimum quod ex officinis metallicis ad nos mittunt $\frac{1}{16}$ Cupri vehit; puritas Argenti lapide lydio, cupellatione, nitro inquiritur; idem amalgamationis, fuſionis, cupellationis ope ex matricibus obtinetur.

Primi Arabes argentum ad uſus medicatos adhibuerunt & ex eo eaſdem ac ex auro virtutes ſibi ſpoponderunt, vel hic quoque tam ratione, quam experientia refragantibus; ejus ſolutione pro capillis nigro colore tingendis ſolent uti. Folia ejuſdem ornatus ergo variis medicamentis adjiciuntur.

* *Cryſtalli Lunæ* vid. *Inſtitut. Chem.* * *Lapis Infernalis* vid. *Inſtit. Chem.*

* AURUM, χρυσὸς, *Or*, *Gold.* Eſt Metallum, reliqua gravitate vincens, aqua vigecuplo fere gravius, medium inter argentum & æs ignis gradum, ut fundi poſſit, exigit: & fuſum ſmaragdino colore fulget ratione firmitatis medium inter Argentum & ferrum locum tenet, maximam extenſionem patitur, ita ut unum ejus granum in filum quingentorum pedum elongari queat, nonniſi aqua regis & hepate ſulphuris diſſolvi poteſt, igne nihil perdit, nec ſulphuri, vitro ſaturni, nitro, qualeſcunque in illud vires ſunt.

Non aliter niſi Nativum occurrit I. varia figura & varia craſſitie lapidibus, ex vitreſcentium maxime genere, interdum quoque glebis metallicis innatum: II. forma palearum arenæ ſive montium ſive fluvio-

rum commixtum: III. glebis metallicis, moleculis adeo minutis, ut omnem ſenſuum aciem effugiant, innatum, & has glebas *Aurum mineraliſatum* vulgo ſolent dicere.

Multum Auri ex America & Littore Africano (Côte de Guinée) ad nos adducitur; Germania, Hungaria, Scandinavia, Siberia lapides & mineras eo prægnantes fovent, plurimi Europæ fluvii arenam auro ſcatentem vehunt, de Rheno id jam diu notum, nec noſtra Bruſca tali caret.

Aurum, quod natura largitur, nunquam perfecte purum eſt, obſervante jam REAUMUR.

Amalgamationis, fuſionis, cupellationis, ſeparationis cum acido nitri aut ſulphuris ope, a ſubſtantiis, quibus commixtum occurrit, ſeparari ſolet.

Ad uſus medicatos, nullum aliud quam puriſſimum debet recipi.

Arabes, quos omnis Alchemicorum cohors ſecuta eſt, & non pauci Medicorum, qui a majorum præceptis non audent recedere, Auro inſignes vires cordiales ineſſe & illud multum contra melancholiam facere aſſeruerunt, id quod quidem ſenſu morali omnino verum eſt, ſed ullum in corpus humanum inde ſequi effectum, nec ratio poteſt perſpicere, nec experientia confirmat. Ejus folia ornatus ergo aliis medicamentis adduntur. Medicamenta non raro aurum vehere jactant, ut ea majori pretio vendere poſſint, ſolutio ſtanni impoſturam ex tempore detegit.

* *Tinctura Auri* Pariſ. omnes ſuas vires ab oleo Roriſmarini habet, cui omnino conſultius eſſet oleum Cinamomi vel Ætherem ſubſtituere: * *Crocus Solis* MYLII ab Auro ratione virium non differt: * *Aurum fulminans* vid. *Inſtit. Chem.*

* CRYSTALLUS, κρύςαλλος, hoc nomine proſtant hodie in officinis varia fragmenta pellucida, duriſſima,

alba, angulata, inodora, insipida, nec aqua, nec acidis, nec igne fundenda, limam non admittentia.

Sunt fragmenta *Crystalli montanæ* AUCTOR. *Quarzi crystallisati* CRONSTÆDT, *Nitri Crystalli montanæ* L.

Pluribus in Europæ regionibus occurrit, non raro aliorum lapidum cavitates replet, interdum in profundioribus telluris recessibus, interdum in terra corticali, interdum in fluviis reperitur.

Omnibus figura est hexagona, ita ut utrinque pyramide hexagona terminentur, inter quas columna hexagona intercipitur, interdum columna, interdum pyramis inferior deficit, interdum numerus laterum augetur, interdum unus aut alter angulus deest; variant multum volumine, & colore, interdum nihil, interdum varias substantias in sua cavitate includunt, interdum solitariæ, interdum plures aggregatæ occurrunt; color earum ab artificibus *aqua* dicitur.

Volumen, puritas, immunitas a fissura & maculosa nube, pretium augent, tales PLINIUS *Acenteta* dixit, nostri lapidarii *Mediolanenses*, illas quæ levius inde recedunt *halbe Wahr*, viliores *Rottan* dicunt, exiguas, npn coloratas, pellucidas *Pseudo-adamantes* solent vocare.

Inter primos MATTHIOLUS crystallo vires adstringentes adscripsit, lithontripticas, absorbentes &c. alii, a substantia, quæ nullo menstruo cedit, frustra vires medicatæ exspectantur; *præparatæ*, qualis in officinis prostant, non raro partes de marmore supra quem tritæ fuerunt, adhærent.

* LAZULUS Lat. Barb. κυανὸς Veterum, *Cæruleus* Eorund. quo tamen nomine etiam alios lapides comprehenderunt, *Azur*.

Cuprum Lazulus L. *Zeolites cæruleus* CRONSTÆDT. Lapis vitrescens opacus, polituram admittens, in oleo Vitrioli coctione solubilis, ex chalybe nullas

ſcintillas eliciens, pulcherrimo colore cæruleo gaudens, ſaporis & odoris expers; creberrime flavas maculas habet, quæ interdum moleculæ auri ſunt, creberrime autem a pyrite efformantur.

Verus Lazulus vix in officinis pharmaceuticis occurrit, creberrime ejus in locum *Cuprum Armenum* L. aſſervant, eo quod majoribus fruſtis occurrat, mollius ſit, cum acidis effervefcat, vera gleba cupri, a lapide Lazuli diverſiſſimum.

Ex Oriente & Regno Peruviano ad nos adducitur.

Lapidem Lazuli nec veſtigium cupri vehere Ill. MARGGRAFF & CRONSTÆDT experimenta evincunt.

Cum creberrime Lapis Armenus pro lapide Lazuli fuerit adhibitus, hinc non pauci ipſi vires evacuantes adſcripſerunt & eum contra melancholiam laudarunt, Seculo ſuperiore & nervinis & analepticis annumerarunt, ſaniores, medicamentum pro quo creberrime ſubſtantiam corpori humano perniciofam ſubſtituere ſolent, & quod ſincerum, nullos proprios effectus poteſt edere, ex penu pharmaceutica jubent exulare.

* PRETIOSORUM QUINQUE LAPIDUM FRAGMENTA. MESUE, *Granati* nimirum, *Hyacinthi*, *Smaragdi*, *Sapphiri* & *Sardi*.

Granatus Barb. Eſt lapis pellucidus, colore obſcure rubro inſtructus, igne fundendus, limæ exquiſitiori cedens, varia ratione angularis, ferro ſemper non raro etiam ſtanno ſcatens.

Qua magis tranſparet, quo propius color ad flores balauſtiorum accedit, eo pretioſior, quo magis fuſcus, eo vilior reputatur gemma.

Borax Granatus L. *Granatus* CRONSTÆDT, eo quod per ſe igne fluat, a reliquis cryſtallis differt.

Ex Oriente ad nos adducitur, Saxonia, Sileſia, Hungaria, Suevia, Hiſpania, eos quoque largiuntur, Bohemia duriſſimos exhibet.

Hyacin-

HYACINTHUS ab illo Veterum diverſus: eſt Cryſtallus igne liqueſcens, colore rubro, cui flavedo admixta eſt, diſtincta, quo magis color ad melleum vergit, eo vilior eſſe reputatur, quo magis rubedo eminet, eo pretioſior.

Nitrum fluor purpureo-fulvum L.

Ex India Orientali præſtantiſſimi adducuntur, occurrunt quoque in Luſitania, Hiſpania, Bohemia, Sileſia, Saxonia, Haſſia.

SMARAGDUS, σμάραγδος, *Emeraude*, Cryſtallus grenato durior, ſapphiro mollior, igne colorem non mutans.

Borax gemma viridis L. *Smaragdus gemma* CRONSTÆDT ſe viriditate diſtinguit.

Illi qui ex Oriente ad nos adducuntur, quo non ſolum Indicos ſed etiam Peruvianos & Braſilienſes referunt, Bohemicis, Helveticis, Anglis dilutiores ſunt.

SAPPHIRUS, σάπφειρος ab illa Veterum, quæ noſter Lazulus fuiſſe videtur, diverſa: eſt Cryſtallus, duritie propius ad Rubinum accedens, colore cæruleo ſplendens, igne colorem perdere dicitur.

Alumen, gemma pretioſa, cæruleum L. *Sapphirus gemma* CRONSTÆDT: colore diſtinguitur, quo profundior, eo majori pretio venit gemma.

India Orientalis pretioſiſſimos nobis mittit, Saxonia, Sileſia, Bohemia, Gallia, Occidentales ſubminiſtrant.

Creberrime in ejus locum *Muria Chryſolampis* L. *Fluor ſpatoſus* CRONSTÆDT cæruleſcens ſubſtituitur.

SARDUS, σάρδιον, σάρδιος λίθος, *Carneolus* Recent. *Cornaline*: eſt Silex variæ magnitudinis, qui politura ſemipellucidus evadit, colorem carneum plus minus dilutum habet.

Silex Carneolus L. & CRONSTÆDT colore rubro uniformi diſtinguitur.

Asiatici & Americani, quos Orientales dicunt, magis fulgent, præ Europæis, quos Hungaria, Bohemia, Silesia, Saxonia &c. subministrant.

Arabes, quos Latino-Barbari secuti sunt, vires cordiales horum lapidum multum extollunt, adstringentes quoque & roborantes ipsis adscribunt, sed facile patet, de eis idem ac de reliquis lapidibus, ad classem vitrescentium pertinentibus judicium esse ferendum, nec aliquid a principio metallico, quod dicuntur vehere est exspectandum, si enim & tale in illis hærere esset evictum, non liqueret tamen, quomodo illud per vires corporis nostri inde posset educi.

Confectio de Hyacintho, absurdissimam AVICENNÆ compositionem correxerunt quidem, sed non parum tamen inconcinnam adhuc reliquerunt Monspelienses apud RENODÆUM, Mediolanenses moschum & ambram addiderunt pro *Completa* reddenda: Monspeliensem formulam, Wurtembergenses & Nostrates receperunt, magis placet Parisina; quæ simplicior est, in omnibus displicet, quod Syrupum acidum recipiant: ingredientia sicca sub forma pulveris quoque asservantur & *Specierum de Hyacintho* nomine veniunt, vires leniter adstringentes inde exspectamus, in alvi fluxu, hæmorrhagiis, sudoribus colliquativis Confectionem ad drachmam dimidiam, Species ad grana quindecim pro dosi exhibemus: * *Species de Gummis frigidas* VAL. CORD. inconcinnam & inertem compositionem, paucis mutatis, Wurtembergenses receperunt.

§. 31.

VI. ADSTRINGENTIA.

Adstringentium titulo comprehenduntur omnia reliqua corpora naturalia, quæ soliditatem fibrarum augent: ea, cum eorum actionis intensitas multum diversa sit, optime pro hujus vario modo distinguuntur, hunc autem non male ab eorum in lin-

guam actione determinamus, ea, quæ linguam levi modo ratione adstringunt, *Subadstringentia* appellamus; *Adstringentium* nomen illis relinquimus, quæ linguæ imposita, eandem evidenter constringunt.

§. 32.

a. SUBADSTRINGENTIA.

Subadstringentia levi valde modo partium terrestrium fibræ rationem videntur augere, hinc parum evidens est eorum effectus: ut plurimum solummodo adhibentur, ubi ab usu emollientium, quem indicatio suadet, nimiam relaxationem metuimus, vel ubi morbus roborantia quidem exigit, sed neque validiores stimulos, neque fortiora adstringentia admittit. In universum, eorum virtutes non admodum evidentes sunt, sed nec magnum discrimen inferunt, nec adeo stricta est eorum dosis.

ADIANTUM, *ἀδίαντον*, *καλλίφυλλον*, *τριχόμανὲς*, *καλλίτριχον*, *πολύτριχον*, *Capillus Veneris* Barb. *Capillaire*, *Frauenhaar*: officinæ appellant plantas cauliculis teneris instructas, quibus foliola parva insident, & quæ nullos flores perfectos excludunt.

* *Adiantum album*? *Ruta muraria* TRAG. *Sauvevie*; *Mauer-Raute*: sistit cauliculos teneros, teretes, solidos, herbaceos, albidos, superne ramosos & tribus foliolis vestitos, quæ parva sunt, rotundato-oblonga; crenulata, maculis seminalibus lineatibus, quæ in foliis exsiccatione contractis totum discum occupant, obsessa, cum cauliculis insipida, inodora.

ASPLENIUM Maculas seminales in lineas ad nervum folii convergentes habet: *Ruta Muraria* L. BLACWELL 219. frondibus non pinnatis gaudet.

Crescit copiose per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem.

Parisini pro Adianto albo *Polypodium fragile* L. præscribunt.

Adiantum Americanum Recent. *Adiantum Canadense*, *Capillus Veneris Canadensis* efformatur a petiolis rubris, ramosis, quibus pinnatim insident folia oblonga, inferne integra, superne crenis majoribus crenata, dulciuscula cum levi adstrictione.

Adiantum: maculas seminales apicibus foliorum subjectas habet: *Pedatum* L. frondibus ramosis, foliolis in uno latere rotundo incisis, distinguitur.

Crescit in Jamaica, Virginia, Canada.

Adiantum aureum Tabern. *Percemousse*, *golden Wiederthon*: cauliculi inferne raro ramosi, foliis angustis & acutis obsessi, quæ exsiccatione multum contrahuntur & rubiginosum colorem induunt, rubri, longi, superne capitulum quadratum gerunt, calyptra laxa, in villos terminata tectum, leviter adstringunt.

Polytricum. Muscus relativus diphytus, calyptra villosa: *Commune* L. Blacwell 375. foliis serratis & capsula quadrata distinguitur.

Vulgaris per omnem Europam.

* *Adiantum nigrum* Veterum? *Capillaire commun*, *Frauenhaar*: Petioli rubri, foliis majoribus quam in reliquis Adiantis obsessi, pinnatis, triangularibus, utrinque incisis, saporis leviter adstringentis.

Asplenium Adiantum nigrum L. Blacwell 220. frondes duplicato pinnatas, pinnas inferiores majores, folia lanceolata habet.

In Europa temperata occurrit, in Saxoniam usque ascendit.

Ipsi creberrime Nostrates sequens substituunt.

* *Adiantum rubrum* Lonicer, τριχομανὲς, *Trichomanes*: efformatur a cauliculis rubris, utrinque foliolis parvis, rotundis obsessis, saporem præcedentis habet.

Aſplenium Trichomanes L. foliis pinnatis, pinnis rotundis gaudet. Vulgatiſſima ad rupes in omni Europa planta.

Adiantum verum TRAG. *Capillus Veneris* SYLVII. Cauliculos habet fere nigros, ramoſos, veſtitos foliolis ex fine anguſtiore, in finem ovatum terminatis, in averſa, quæ reflexa eſt, foliorum parte maculas albas habet

Adiantum Capillus Veneris L. frondibus decompoſitis, foliolis alternis, pinnis cuneiformibus, lobatis diſtinguitur.

Creſcit in Gallia Meridionali, Helvetia & Anglia.

Cum hoc & Canadenſe reliqua, gratia anteant, & Canadenſe præ ipſo quoque majorem gratiam habeat hinc ſolo Canadenſi poſſumus omnino contenti eſſe.

Adiantum HIPPOCRATES reſolvendi & urinam ducendi ergo commendat, craſſos & viſcoſos pectoris humores digerere & ad ſcreatum diſponere, a GALENO dicitur, ab hac etiam virtute ad noſtra uſque tempora ſolet commendari, ea ſub ratione qua Adianta in uſum trahuntur, eorum vires potius ab aqua quam ab Adianti mucilagine videntur pendere, num aliquid roboris pulmonibus inde accedit? alvum inde ſtringi, male contra HIPPOCRATEM contendit GALENUS, qui vires calculum frangendi & incrementum capillorum promovendi, ex loco natali cauliculorum & eorum forma potius finxit, quam obſervatione hauſit.

Syrupus PLANTII gratia ſe commendat: * *Syrupus compoſitus* Auguſtan. a Brandeburg. auctus magis medicatus eſt.

* AGNUS CASTUS Barb. ἄγνος, Agnos: Capſulas inde recipimus tomentoſas, rotundas, parvas, aliquot ſeminibus fœtas, ſapore aromatico, ad cardamomum accedente, inſtructas.

VITEX. Corollam ringentem habet, calice quinquefido ſuſtentatam, labium utrumque trifidum, ca-

psulam tetrospermam: *Agnus Castus* L. BLACWELL 139. foliis digitatis, serratis, gaudet.

Crescit in Europa Meridionali.

Arboris virgulta, matronæ Athenienses castitatem custodientes in thesmophoriis lectis substraverunt, inde τȣ̃ ἄγνȣ nomen ipsi surrexit, ab omni dein tempore ejus fructus, quos vulgo semen dicere solent, venerem extinguere crediti fuerunt, absurdissimum commentum, per plura secula inter Medicos se sustinuit; semen ab HIPPOCRATE attenuandi ergo, a GALENO ad discutiendos flatus & aperiendas obstructiones viscerum abdominalium commendatur, quibus scopis medicamentum aromaticum etiam magis aptum esse videtur, quam adstringentibus, quibus a Recentioribus fuit dicatum.

AGRIMONIA Barb. εὐπατώριον, *Aigre moine*, *Odermenning*. Folia exhibet longa, pinnis inæqualibus, & quarum margines incisi sunt, obsessa, inferne incana, odoris expertia, sapore salino prædita.

AGRIMONIA. Corollam pentapetalam habet, duplici calice sustentatam, polyantheram, digynam, calix semina includit: *Eupatoria* L. BLACWELL 21. foliis pinnatis & fructu hispido distinguitur.

Occurrit in omni Europa.

A GALENO medicamentis aperientibus & roborantibus adscribitur, FORESTUS ea intus assumta, hæmorrhoides & prolapsum alvi sanatum, & lapidem vesicæ ita comminutum, ut per frusta cum lotio exierit, ejusque usu externo ulcus cruris malignum curatum, se vidisse affirmat. Hodie ad usus externos maxime adhibetur, gargarismatibus quoque adjicitur.

ALCHYMILLA HIERON. BRUNSVIC. *Pied de Lion*, *Sinau*, *Frauenmantel*. Folia largitur officinis quæ rotunda sunt, margine crenata, inferne albida, inodora, sapore adstringente instructa.

ALCHEMILLA. Corolla gaudet octofida, tetran-

dra, monogynia, gymnofperma: *Vulgaris* L. BLACWELL 72. foliis lobatis agnofcitur.

Vulgaris per Europam planta.

Extracti aquofi, quod odorem mellis & faporem acidulo-aufterum habet $\frac{7}{17}$, refinofi, aufteri & balfamicum odorem emittentis $\frac{1}{4}$ circiter, largitur. CARTHEUSER.

Vires leniter adftringentes poffidet, ejus autem ope vafa claudi, mammis & vaginæ rigiditatem, quam perdiderunt, reftitui, ad muliercularum commenta pertinet; ad hæmorrhagias internas, & ulcera vifcerum folet præfcribi.

* *Emplaftrum Defenfivum* FELICIS WURZ. Ab Alchemilla vires adftringentes habere & affluxum humorum ad partes, quibus imponitur, creditur arcere.

* ALKANNA Arab. ἄγχουσα, *Anchufa* Veter. *Orcanette*, *rothe Ochfenzunge*. Recipiuntur Radices fibrofæ, longæ, ad calami anferini craffitiem accedentes, fub cortice fanguineo, fubftantiam albam includentes, fapore adftringente præditæ.

Anchufa tinctoria L. habitu villofo, foliis lanceolatis obtufis & ftaminibus corolla brevioribus diftinguitur.

Crefcit in Europa Meridionali, nec a noftra hyeme læditur.

Extracti aquofi rubro fufci, acriufculi & fubadftringentis $\frac{3}{9}$ fere, fpirituofi autem rancorem olentis, rufo-fubfufci ultra $\frac{1}{7}$ inde obtinuit CARTHEUSER. Cortex fpiritum vini & olea rubedine tingit, aquam nequaquam. LEWIS, aut poft longam demum digeftionem BERGIUS. Ad nullos alios quam tinctorios ufus adhibetur.

Alkanna, quæ fub *Orientalis* nomine in officinis proftat, ex capite craffo copiofas lamellas fibi invicem incumbentes dimittit, profundiore quam priores rubedine tinctas a *LAWSONIA*, Corolla tetrapetala, calice

quadrifido ſuſtentata, diploſanthera & capſula globoſa, quadriloculari inſtructa: *Inermi* L. racemis inermibus diſtincta, Orientis cive, deſumtas.

AURICULÆ JUDÆ CLUS. *Fungi Sambuci* TRAG. *Oreilles de Judas*, *Holderſchwæmmchen*. Fungi membranacei ſubnigri, ſubrotundi, quorum ſuperficies in ſulcos elevata & in ſinus his reſpondentes depreſſa eſt, ſuperne villo obſeſſa, inferne glabra.

PEZIZA. Fungus eſt uniformis, membranaceus, gelatinæ formis: *Auricula* L. BLACWELL 334. figura auriformi & colore nigricante diſtinguitur.

Autumno ad varias arbores per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem, reperitur.

Fungis pernicioſis, præeunte CLUSIO, adſcribitur, intus nunquam datur, extus ad morbos faucium & oculorum, diſcutiendi ergo, adhibetur aqua infuſa & parti affectæ impoſita.

AURICULA MURIS LONICER. *Piloſella* JAC. DE MANLIIS, *Pes Cati* PARCKINS, non eſt μύς ὦτα DIOSC. *Pieds de Chat*, *Katzendæplein*. Inde recipimus Folia & Flores.

* *Folia* ex anguſtiore origine, in finem obtuſum & ellipticum terminantur, ſuperne viridia, inferne tomentoſa, odore nullo, ſapore leviſſime adſtringente inſtructa.

Flores tubuloſi ſunt, compoſiti, calice ſicco comprehenſi, roſei coloris, ſaporis expertes.

GNAPHALIUM. Flores compoſitos tubuloſos, calice ſquammis imbricatis ſiccis efformato, comprehenſos, receptaculum nudum, ſemina papposa habet: *Dioicum* L. calice argenteo, caule & corymbo ſimplici diſtinguitur.

Occurrit in omni Europa.

Vires leniter roborantes habet, folia interdum, flores crebrius ad infuſa pectoralia recipiuntur.

* *Conſerva* Pariſ.

Bellis, *Marguerite, Zeitlosen, Mazlieben.* Ejus integri Flores asservantur, qui parvi sunt, radiati, radio mox albo, mox roseo, disco luteo; exsiccati odorem nullum, saporem lenissime salinum habent.

Bellis. Flore composito mixto, calice cujus squammæ duplicem seriem formant, receptaculo nudo, seminibus nudis gaudet: *Perennis* L. Blacwell 200 & 530. scapo nudo distinguitur.

Habitat in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

$\frac{3}{8}$ Extracti salini inde obtinui.

Multum hi flores ad affectus pectoris laudantur, leniter incidendo & roborando videntur agere, vulnus thoracis eorum ope curatum apud Koenig & phtisin, quam per illos Wepfer sanasse dicitur, ab ipsis solis non auderem deducere. Multi, præeunte Minderer, folia sub forma acetarii illis commendant, qui æstuanti corpori frigidam ingesserunt.

* *Aqua destillata* Schroed. iners: * *Conserva* Nostrat. * *Syrupus* Nostrat. * *Tinctura* August. si quas vires habet, illas debet spiritui vitrioli.

* Betonica, βετονική, *Betoine*, *Betonien*: Inde Folia & Flores officinæ asservant.

* *Folia* sunt oblonga, profundius crenata, rugosa, inodora, insipida.

Flores labiati obtinent, purpurascentes, odoris & saporis expertes.

Betonica. Calice quinquefido sustentat corollam labiatam, cujus tubus incurvus est, labium superius integrum & erectum, inferioris lacinia media latior, rotunda, emarginata: *Officinalis* L. Blacwell 46. spicam habet interruptam.

Num revera Cl. Lewis oleum odoratum inde obtinuit? Extracti aquosi insipidi $\frac{5}{8}$, resinosi fere $\frac{1}{2}$. Neumann. Extracti aquosi subsalsi, balsamico-amari $\frac{1}{4}$, resinosi subacris & balsamici $\frac{1}{6}$. Cartheuser.

GALENUS resolventes ipsi virtutes adscribit, ad comitialem morbum & morbos convulsivos quoque laudat, inde Recentiores eam cephalicis annumerare permoti fuisse videntur, nulla has vires fida observatio probavit, nec confirmati fuerunt ejus effectus ad fugandam arthritidem, circa quas HILDANUS maxime multus est.

* *Aqua destillata* NICOL. PRÆPOS. meas saltem nares nunquam odore feriit: * *Conserva* VAL. CORD. * *Emplastrum Luminar. Majoris.* Parisini habent, a KALDE correctum, Wurtembergenses & Nostrates; a resinis, quas recipit, potius quam a Betonica efficax. Quis credet S. PAULI hujus cerati ope vulnus sub quo falx cerebri discissa erat & cerebrum pure diffluebat, fuisse curatum.

* CETERACH Lat. Barb. *Ceterac*, *Milzkraut.* Efformatur a Foliis pinnatifidis, parvis, quæ tota maculis ferrugineis obsessa sunt, odore nullo, sapore adstringente gaudent.

Asplenium Ceterach L. BLACWELL.216. frondibus pinnatifidis, pinnis alteris confluentibus agnoscitur.

Crescit in Europa Meridionali.

Herbis vulnerariis vulgo adscribitur, ratione saporis propius ad linguam cervinam accedit, MORAND, egregios effectus antinephriticos inde editos fuisse, refert: ejus infuso nullam aliam plantam, ad depellendum ex renibus sabulum, aptiorem esse, asserit Cl. CRANTZ.

* FILIX, πτερὶς, βληχρὸν, *Fougere*, *Farren.* Recipiuntur inde Radices, quæ fibrosæ sunt, extus nigræ, intus rufæ, sapore adstringente instructæ.

POLYPODIUM. Planta epiphyllosperma, cujus fructificationes in puncta subrotunda, ad nervum folii parallela colliguntur: *Filix Mas* frondibus bipinnatis, pinnis obtusis crenulatis distinguitur.

Crescit in omni Europa. Non raro pteris filix cujus fructificationes in lineas, margini frondis subjectas ordinatæ sunt: *Aquilina* L. BLACWELL 325. frondibus multum divisis, pinnis integerrimis, ultimis lanceolatis, ubique per Europam occurrens radices subministrat.

Ad lumbricum latum GALENUS laudavit, sed inertem ad vermes SCOPOLI observavit, rhachiticis tam interne, quam externe laudatur, fœtum inde pelli, se expertum esse OLIVIER contendit; in summa anonæ caritate panem inde coxerunt; ejus usus hodie eviluit.

* GALEGA Barb. *Geisrauthen.* Folia exhibet, pinnis oblongis pinnata, angusta, saporis & odoris expertia.

GALEGA. Corollam papilionaceam habet, vexillo & alis fere æqualibus, calice quinquefido sustentatam legumen longum, compressum, seminibus turgens: *Officinalis* L. BLACWELL 92. foliolis lanceolatis & glabris distinguitur.

In Italia & Hispania crescit, nostras hyemes impune fert.

In peste, quæ anno 1576 Lombardiam vastavit, cum non sine successu ut ajunt adhibita fuerit, a multis vis ejus alexipharmaca fuit laudata, sed cum nulla se fida observatione probaverit, hodie jure eviluit.

* *Aqua destillata* SCHROEDER. iners omnino.

HEDERA arborea æque ac terrestris in usu est.

Arborea, κισσὸς, κίσος, *Lierre*, *Epheu*, inde folia, baccas & gummi recipiunt.

Folia firma sunt, coriacea, cordata, viridia, sive angulata, sive integra, pro varia plantæ ætate, odore nullo, sapore adstringente gaudent.

* *Baccæ* nigræ sunt, rotundæ, umbilicatæ, stylo ex medio umbilico prodeunte instructæ.

* *Gummi* prostat sub forma frustorum majorum, rotundorum, ex granis semipellucidis, ad granatorum

colorem accedentibus, efformatorum, quibus variæ ſordes intermixtæ ſunt, aridorum, ſapore leviter aromatico inſtructorum.

HEDERA. Corollam habet pentapetalam regularem, iſandram, monogynam, baccam globoſam, polypyrenam: *Helix* L. BLACWELL 188. foliis ſimplicibus agnoſcitur.

Occurrit ubique.

Europææ arbores, etiam interdum Gummi ſudeРunt, id quod in officinis proſtat, ex Oriente adducitur.

Gummi $\frac{11}{16}$ Extracti reſinoſi, $\frac{1}{4}$ aquoſi, cui multum reſinoſi adhæret, exhibuit. NEUMANN. Extracti gummoſi $\frac{1}{8}$, reſinoſi $\frac{5}{8}$ CARTHEUSER.

De baccarum viribus plane nihil certi conſtat: Gummi obſcure adurere & depilare aſſeritur; tanquam acrimoniam nec ſapor prodit, nec experientia confirmat, a STAHL intus ſcopo emmenagogo commendabatur. Folia ad uſus externos adhibentur & maxime pro deligandis fonticulis uſurpantur: pulverem ad aliquot ſcrupulos de die datum egregie in atrophia infantum ſe gerere NEBEL vidit.

Terreſtris Barb. *Lierre terreſtre*, *Tarette*, *Gundelreb*, Folia ſiſtit, quæ reniformia ſunt, crenata, leviſſime hirſuta, cum exſiccata fuerint vix odora, ſapore proprio leniter aromatico inſtructa.

GLECOMA L. BLACWELL 225. Calice bilabiato, ſuſtentat corollam ringentem, cujus labium ſuperius bifidum, inferius majus & trifidum eſt, lacinia intermedia majore, ſemina nuda maturat.

Creſcit in omni Europa.

Aqua inde odorata deſtillat, ultra $\frac{3}{8}$ Extracti aquoſi multum acris, Extractum reſinoſum mitius largitur. CARTHEUSER.

Reſolvente & roborante virtute ſe commendat, hinc calculoſos juvaſſe, obſervata eſt, notantibus S.

PAULI & REUSNER, hydropicis profuisse, ETTMÜLLER refert, in phtisi salutares ejus effectus WELSCH vidit, & a MORTON phtisicis hæmopticis multum commendatur. Optime exhibetur sub forma Infusi aquosi.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. prouti vulgo in officinis prostat inodora est: * *Conserva* Paris. * *Syrupus* VAL. CORD. * *Extractum* Paris. ut ulterius tentetur, videtur mereri.

HEPATICA, hoc nomine triplex plantarum genus Latino-Barbaris venit, unum quod a fontibus denominant, alterum Nobile dictum, & tertium, quod a situ foliorum Stellaris nomine insignitur.

* *Fontana*, *l'hépatique d'eau*, *Steinleber-Kraut*, constituitur a foliis subrotundis, quæ in modum squammarum cohærent, superne viridia sunt, inferne copiosissimas radiculas emittunt, lobata, sapore & odore nullo prædita.

MARCHANTIA. Alga relativa monophyta, flores mares habet pedunculatos, ex communi calice eo numero prodeuntes, qui est calicis laciniis, monandros; feminas sessiles, corolla nuda integra instructas & infundo semina gerentes: *Polymorpha* L. calice communi octo vel decemfido distinguitur.

Crescit sub aquis in omni Europa.

Adstringens planta, cum ex genio vegetabilium sub aqua crescentium, etiam aliquid acris habeat, hinc a multis Auctoribus aperiendi scopo commendatur.

* *Nobilis* Folia exhibet in tres lobos rotundos divisa, petiolo longo indentia, cum petiolo tomentosa, insipida, inodora.

ANEMONE. Corollam polypetalam habet, nudam, polyantheram, polygynam & semina nuda: *Hepatica* L. BLACWELL 207. foliis trilobis integerrimis gaudet.

Occurrit in omni Europa.

Exiguarum virium planta, raro a Medicis præſcribitur.

* *Aqua deſtillata* SCHROED.

* *Stellata*, pro ea quidam primam recipiunt, ſed vulgo, præeunte TABERNÆMONTANO, *Matriſylva* TRAG. hoc nomine adhibetur, quam *Muguet de bois*, *Waldmeiſter* appellant, ejus Folia ſunt oblonga, acuta, anguſta, levi ſalino ſapore inſtructa, recentia multum & grate olent, exſiccata parum odoris ſpargunt.

ASPERULA. Calice quadrifido, ſuſtentat corollam infundibuliformem quadrifidam, iſantheram, monogynam, fructus a duabus capſulis efformatur: *Odorata* L. BLACWELL 60. foliis octonis diſtinguitur.

In omni Europa obtinet, præter maxime Septentrionalem & Belgium.

Aperiendi ergo laudatur, rarius in uſum medicatum trahitur, a quibuſdam vino immittitur.

HYPERICUM, ὑπέρικον, *Millepertuis*, *Johannis-Kraut*. Summitates inde proſtant, floribus flavis, qui exſiccati odorem nullum & ſaporem adſtringentem habent, inſtructæ & foliis ovatis, inodoris & inſipidis.

HYPERICUM. Corolla inſtruitur pentapetala regulari, calice quinquefido nixa, polyanthera, tri-vel pentagyna, capſula polyſperma: *Perfoliatum* L. BLACWELL 15. foliis ovatis, perforatis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Omnia menſtrua inde rubrum colorem extrahere Cl. GUDD probavit: Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{2}$, aquoſi adſtringentis $\frac{5}{8}$ obtinuit NEUMANN.

HIPPOCRATES Hypericum abſtergendi & aperiendi ergo adhibebat. GALENO ad conſolidanda vulnera & ulcera laudabatur, & hanc virtutem etiam per omnem ætatem probavit, eandem ratione reſinæ, qua ſcatet, videtur edere; datur quoque interne tam vulnerario ſcopo, quam aperiente, hinc melancho-

licis commendabatur, & *Dæmonum fuga* appellabatur, ab hac denominatione dein, præeunte PARACELSO ad abſurdiſſimos uſus adhibebatur. Cum habeamus balſamica efficaciora, hinc hodie vix ulterius ad uſus internos adhibetur.

* *Tinctura* ANGELI SALÆ: eam ad lumbricos pellendos facere, BARTHOLINUS vidit: * *Oleum* JAC. DE MANLIIS crocum & terebinthinam habet, vulnerarium egregium & polychreſtum: * *Oleum ſimplex* VAL. CORD. * *Extractum* aquoſum & ſpirituoſum commixta Wurtemberg. * *Syrupus* QUERCETANI: * *Balſamum Magicum Pforzheimenſium* illis, qui medicamenta antimagica quærunt, dignum.

* LIGUSTRUM *Troëſne*, *Hartriegel*: coloni noſtrates *Dintenhœlzel* dicunt, & Cornum ſanguineam L. ſub nomine *Hartriegel* indigitant: proſtant inde Flores, qui infundibuli formes ſunt, anguſti, parvi, ſub exſiccatione flavi evadunt, omni colore & ſapore privantur.

LIGUSTRUM L. BLACWELL 140. Corolla crebro quadrifida, ſimili calice comprehenſa, dianthera, monogyna, & bacca uniloculari diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Minus conſulto omnino, flores inertes ſcopo adſtringendi in officinis aſſervantur, cui fini folia omnino melius reſponderant. WELSCH mulieris meminit, quæ ex his floribus, cum pauxillo olei olivarum in ſole colliquatis, balſamum paraverat, quod in Italia magnam famam ad curationem ſcrophularum & ulcerum putridorum erat adeptum.

Aqua deſtillata VAL. CORD. ad morbos faucium & roborandas gingivas laudatur, iners omnino.

* LINGUA CERVINA Barb. non eſt σκολοπένδριον ſed potius φυλλίτις Veterum *Scolopendrium*, *Scolopendre*, *Langue de Cerf*, *Hirſchzunge*. Recipimus inde Folia

oblonga, fine leviter acuto terminata, ora integerrima instructa, firma, odoris expertia, saporis leviter adstringentis.

Asplenium Scolopendrium L. BLACWELL 138. frondibus simplicibus cordato-linguiformibus, integerrimis gaudet, stipitibus hirsutis.

Habitat inter rupes Europæ, præter maxime Septentrionalem.

Adstringendi scopo ad diarrhœas & dysenterias a GALENO laudatur, vires aperientes, si quas habet, quas ego saltem ne unica quidem fida observatione stabilitas novi, debentur ejus virtuti roboranti.

Folia recentia interdum ad juscula aperientia recipiuntur, exsiccatorum usus eviluit.

LYCOPODIUM DODON. *Pied de Loup*, *Bærlappe*. Semen officinis relinquit, quod pulverem impalpabilem refert, flavum, inodorum, linguæ aliquem adstrictionis sensum imprimens, & per flammam trajectum in flammam abiens.

LYCOPODIUM. Muscus est capsulis pulverulentis, in foliorum alis sessilibus instructus: *Clavatum* L. BLACWELL 535. ramis prolixis & spicis petiolatis, gemellis agnoscitur.

In sylvis montanis omnis Europæ crescit.

Extracti spirituosi $\frac{1}{8}$ inde obtinuit NEUMANN, qui etiam vidit aquæ nullas in illud vires esse.

GARMANN hoc semen a mulieribus Misnensibus, infantibus cardialgia & torminibus flatulentis laborantibus exhiberi asserit, difficultatem mingendi inde tolli LENTILIUS & WEDEL observarunt, qui ultimus illud etiam calculo opem ferre annotavit: extus non modo ad intertriginem curandam facit, & hoc scopo nostratibus in frequenti usu est, sed ad ulcera manantia exsiccanda etiam multum facere DE HELWIG observavit. Decantatus a multis Lycopodii usus

uſus ad curandam plicam polonicam non tam de ſemine, quam de ipſo muſco eſt intelligendus.

MILLEFOLIUM, Ἀχίλλειος, *Millefeuille*, *Schaafgarben*. Folia largitur, quæ longa ſunt, viridia, hirſuta, pinnis tenuiter ſectis inſtructa, odorem ſpirant aromaticum, ſapor ex amaricante leviſſime ſalinus eſt.

ACHILLEA. Floribus compoſitis mixtis, calice oblongo, ovato, imbricato ſuſtentatis, receptaculo paleaceo, ſeminibus non papposis gaudet: *Millefolium* L. BLACWELL 18. foliis bipinnatis, dentatis, congeſtis diſtinguitur.

Creſcit ubique per Europam.

Oleum mox cæruleum, mox viride, mox flavum, pro vario ſolo, quo colebatur, inde obtineri LEWIS monet, nunquam aliud, quam flavum & quidem in minima ratione accepi; CARTHEUSER ex floribus $\frac{1}{3}$ circiter Extracti aquoſi ſalini, & $\frac{1}{5}$ fere ſpirituoſi acris & amaricantis ſeparavit; NEUMANN $\frac{5}{12}$ Extracti aquoſi, $\frac{5}{8}$ ſpirituoſi largita eſt.

Herba olim ad peſtem præcavendam celebris, KOELICHEN teſte, STAHL & HOFFMANN auctoritate, valde ad obſtructiones viſcerum abdominalium & inde oriundos motus præternaturales ſopiendos fuit commendata, HOFFMANN per longum uſum infuſi ex Millefolio parati, non paucos ab affectione calculoſa, cui diutius obnoxii fuerunt, liberatos vidit. Extus ad vulnera ſolidanda ab omni ævo fuit laudata.

Non tam folia quam ſummitates debent recipi, & *Achillea Millefolio* L. *Nobilis* L. camphoram evidenter ſapiens & olens, eſt præferenda.

* *Aqua deſtillata* NIC. PRÆPOS. * *Syrupus* VAL. CORD. * *Oleum deſtillatum* Wurtemberg. * *Eſſentia* Brandeburg. ei ad effectus hypochondriacos exhibendæ, SCHULZ rectiſſime Infuſum aquoſum præfert.

* MOMORDICA Barb. Pomum in medio ventricosum, utrinque contractum, pulchra rubedine tinctum, plurimis nodulis aspersum, multis seminibus turgens, exhibet.

MOMORDICA. Planta relativa monophyta, Corolla quinquefida, simili calici insidente, maribus triandris, connatis, feminis monogynis, pomo sicco, triloculari, vi elastica, dissiliente gaudet: *Balsamica* L. BLACWELL 539. pomis angulatis, tuberculatis, foliis palmatis, glabris distinguitur.

Crescit in India, inter nos hinc inde in hortis colitur.

Seculo demum XVI in Europa innotuit.

A multo retro tempore oleum quoddam unguinosum cum fructibus Momordicæ infusum, tanquam medicamentum dolores leniens & vulnera consolidans fuit laudatum, sed vix oleum aliquid a fructibus præter paucum mucilaginosi videtur recipere.

* *Oleum* Paris. de ejus vi vulnera & ulcera solidandi multas observationes collegit FRANCUS, ejus interne sumti usum ad curandam dysenteriam HERMANN observationibus probat, & Cl. DELIUS uberius confirmat.

* MUSCORUM, βρύων, ὕπνων, σπλάχνων *Usnearum* Arab. *Mousse*, *Moos* varium genus, quibus quoque Lichenes quosdam annumerant, asservare solent officinæ.

Muscus albus quernus Wurtemb. efformatur e filis aphyllis, inæqualibus, ramosis, varie contortis, plicatis, gryseis & per senium crusta alba tectis; est *Lichen plicatus* L. habitu filamentoso, pendulo, multum ramoso & albo agnoscitur. Ab arboribus, maxime a fagis, solet pendere.

Muscus arboreus Paris. *Muscus Acaciæ* Wurtemb. Est Lichen ex foliis latiusculis varie sectis, cornu damæ referentibus efformatus, mollis, superne cinereo glaucus,

inferne incanus & lanuginoſus, ſapore, ſi ad quercus creſcit, amaro, alias fatuo inſtructus: *Lichen Prunaſtri* L. figura foliacea & ſuperficie ſubtus tomentoſa dignoſcitur. Ad varias arbores, prunos maxime creſcit.

Muſcus Pyxidatus Pariſ. formam cruſtæ in folia ſuperne vireſcentia, inferne candicantia, abeuntis habet, edit ſcyphos infundibuliformes, ex cinereo caneſcentes: *Lichen Pyxidatus* L. habitu ſicco & ſcyphis crenatis agnoſcitur. Terræ & arborum truncis adhæret.

Muſcus Vulgaris Pariſ. Eſt *Hypnum triquetrum* L. quod caulibus ad dimidium uſque pedem æquantibus, ſuperne vage ramoſis, foliis triangularibus, diſtantibus, luteſcentibus gaudet. Ubique ad truncos arborum & in paſcuis naſcitur.

WILLIS contra tuſſim convulſivam remedium vulgatiſſimum eſſe dicit.

Muſcus terreſtris vulgo, ex foliis magnis & latis, mox ſolitariis, mox ſibi invicem incumbentibus, ſinuatis & quorum margines deorſum flexi ſunt, efformatur, cinereus, cinereo-glaucus, interdum obſcure virens ſuperne, inferne tenuiſſima lanugine obductus. Plerumque terram tegit, ad ſepes & loca ſylvarum umbroſa, non raro ad truncos arborum alios muſcos tegit, mucidum faſtidioſum ſaporem habet. *Lichen Caninus* L. habitu coriaceo plano, lobato, obtuſo, pelta marginali gaudet. MOREY anno 1679 Academiæ Londinenſi obſervationes de viribus hujus Lichenis adverſus morſum canis rapidi enarravit, his cum recentiore ætate MEAD ſuum calculum adjecerit, ejus vires antilyſſæ in Anglia maxime celebrantur.

Uſneæ Cranii humani nomine varium Muſcorum & Lichenum genus ſolet venire, cum omnes, qui ſubſtantiis terreis innaſcuntur, etiam cranio, libero aëri expoſito, poſſint accreſcere, hinc jam a BERNIZ, uſneam cranii humani, in herbaceam & cruſtaceam

distinxit. Sed mitto medicamentum, quod deliriis PARACELSI, explosa jam diu generatione æquivoca, & nescio quo spiritu in partibus hominum, maxime si carnificis manu necati fuerint, inhærente, nititur.

Omnes hi musci a vi adstringente laudantur, apud nos in usu non sunt, cum nulla fida observatio aliquid proprii medicati illis inesse probaverit. Mu-
scos HIPPOCRATES tanquam medicamenta uterina ex-
tus adhibuit.

* *Syrupus a Musco querno*, FULLER demulcens, roborans, balsamicus, ad effectus pectoris laudatur: * *Pulverem Antilyssum* Londin. crebro sine successu adhibitum fuisse, observationes docent.

* PERFOLIATA Lat. Barb. *Percefeuille*, *Durchwachs*; Folia & semina officinis relinquit:

Folia sunt ovato-oblonga, obtuse terminata, glabra, integerrima, omni sapore & odore carent.

Semina parva sunt, nigra, duriuscula, inodora, sapore adstringente austero gaudent.

BUPLEURUM. Flores habet umbellatos, involucro polyphyllo sustentatos, semina ovato-oblonga, con-
vexo-plana, striata: *Rotundifolium* L. BLACWELL
95. involucro universali nullo & foliis perfoliatis di-
stinguitur.

Obtinet in Europa temperata, in Saxoniam usque ascendit.

Adstringendi ergo ad hernias commendatur, sed norunt Medici, quam parum adstringentia in universum ad hunc scopum faciant, nec ulla observatio has Perfoliatæ vires confirmat, cæterum eandem scopo adstringendi usurpaturus, semina omnino præ foliis debebit adhibere.

PLANTAGO, ἀρνόγλωσσον, στελεφοῦρος, *Plantain*, *Wegerich*. Inde Radices, Folia & Semina ad usus medicatos recipiuntur.

* *Radices* parvæ sunt, ex capitulo minore emittunt

fibrillas copiofiffimas, fapore leviffime falino, quem e dulci fatuus excipit, gaudent.

* *Folia* e duplici fpecie defumunt, quam a Veterum ufque ætate in *Majorem* & *Minorem* diftinguunt: illa *Breitwegerich* funt ovata, ad aliquot pollices ampla; longis petiolis fuftentata, glabra, feptem nervis percurfa, fapore vix ullo, qui diftingui poffit, inftructa, odoris expertia, margo eorum mox integer eft, mox finuatus; hæc *Spitzwegerich* evidenter lanceolata funt, angufta, longa, acute terminata, quinquenervia, ora ferrata, fapore & odore carent.

* *Semina* exigua funt, rubra, lævia, odorem nullum, faporem mucilaginofum habent.

Plantago. Corollam habet hypocrateri-formem, quadrifidam, regularem, calice quadrifido fuftentatam, ifandram, monogynam, capfulam ovatam, bilocularem, polypyrenam: *Major* L. Blacwell 35. foliis ovatis & fcapo tereti diftinguitur: *Lanceolata* L. Blacwell 14. folia lanceolata & fpicam ovatam fiftit. Parifini quoque *Plantaginem mediam* L. habent.

Occurrit ubique in Europa.

Succus infpiffatus evidenter falinus eft.

Planta, quam primus Themison in ufum traxiffe dicitur, a Galeno ad referanda vifcera abdominalia & fanandas fluxiones, dyfenterias & hæmorrhagias laudatur; eandem ulcera & finus quoque glutinare & radices ad dentium dolores valere ait; vires quas recentior ætas prædicavit antipeftilentiales & antifebriles, quas Gerbez obfervationibus confirmare annititur, experientia non probavit; Schulz fibi compertum effe, febres hecticas inde curatas fuiffe, affeverat; folia recentia puncturis infectorum cum fucceffu imponuntur.

Aqua deftillata Val. Cord. iners omnino: * *Syrupus* Val. Cord. non alias, quam quas a faccharo

accepit, vires habet: * *Extractum* Wurtemb. resolventes potius, quam adstringentes effectus videtur editurum.

* POLYGONUM, πολύγονον, *Centumnodia* Barb. *Sanguinaria*, *Sanguinalis* Recent. *Renouée*, *Trainasse*, *Weggras*. Cauliculi inde recipiuntur nodulis exiguis instructi, qui singuli par foliorum ovato oblongorum emittunt, sapore leviter adstringente instructi.

Polygonum Aviculare L. Caule procumbente & foliis ovato-oblongis distinguitur.

Copiosissime ad vias provenit.

Præeunte GALENO per plurima secula ejus qualitates adstringentes & discutientes laudabantur, prostant observationes, ab eodem sive axillis supposito, sive manibus detento, hæmorrhagias fuisse coërcitas, sed quis talibus fidem adhibebit; Cl. SCOPOLI, se ejus ope diarrhœas sanasse, narrat.

PRUNELLA Barb. *Bonette*: Recipimus inde Folia, quæ elongata sunt, subrotunda, crenata, leviter hirsuta, sapore salino, neque styptico, neque amaro instructa.

PRUNELLA. Calice quinquefido sustentat corollam labiatam, cujus labium superius integrum est, inferius in tres lacinias sectum, media reliquis latiore, semina nuda sunt: *Vulgaris* L. BLACWELL 24. foliis omnibus crenatis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Adstringentes ejus vires laudant, a primis Germanis ad gargarismata contra anginam adhibitam & inde denominatam fuisse, sunt qui contendunt, ad vulnera & ulcera tam interna quam externa deprædicata etiam fuit, & hinc a MATTHIOLO *Consolida minor* appellata, hodie ad gargarismata maxime recipitur.

Aqua destillata VAL. CORD. iners, in collutiones & gargarismata recipitur. * *Syrupus* Wurtemberg.

PULMONARIA. Duo plantarum genera ſub hoc nomine MATTHIOLUS in officinas introduxit, Maculoſam nimirum & Arboream.

Maculoſa, *Pulmonaire*, *geſleckt Lungenkraut.* Folia ſiſtit ex ovatis lanceolata, hirſuta, maculis albis obſita, facie ſupina albicantia, inſipida, inodora.

PULMONARIA. Corollam habet infundibuliformem, quinquefidam, cujus faux pervia eſt & quæ calice pentagono ſuſtentatur, iſandram, monogynam, ſemina nuda ſunt: *Officinalis* L BLACWELL 376. tubo corollæ calici æquali & foliis ovatis gaudet.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem

Nulla, quantum ego ſaltem novi, fida obſervatio, quas MATTHIOLUS huic plantæ adſcribit vires pulmones & hæmoptoën ſanandi, confirmavit.

Arborea, *Pulmonaire de Chêne*, *Lungenmoos* eſt Lichen e latis & varie laciniatis foliis efformatus, flavicans, una facie levi tomento tecta, eminentiis, quæ veſiculas æmulantur, obſeſſus, quibus in altera totidem foveolæ reſpondent, odore nullo, ſapore ſalino, cui leviſſima amarities accedit, inſtructus.

LICHEN defectu verorum foliorum & fructificationibus ſcutiformibus agnoſcitur: *Pulmonarius* L. BLACWELL 335. habitu foliaceo & quod una facies foveolas, altera colliculos habeat, dignoſcitur.

Per omnem Europam in ſylvis, majoribus arboribus adhærens, deprehenditur.

Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{8}$ fere, quod facile ſitum contrahit, $\frac{3}{8}$ aquoſi dedit NEUMANN.

Vires ad morbos pulmonum, huic plantæ, ex ſignatura potius, quam ex experientia fuerunt adſcriptæ: ejus ſapor reſolventes potius ut inde exſpectemus ſuadet: eam in curando ictero pertinaci efficacem fuiſſe, BREYNII obſervatione & Illuſtris LINNÆI auctoritate conſtat.

* PYROLA Barb. *Wintergrün.* Folia ſiſtit rotunda, petiolata, leviter ſerrata, ſapore adſtringente prædita.

PYROLA. Corolla gaudet pentapetala, regulari, calice quinquefido nixa, diploſanthera, monogyna, capſula quinqueloculari *Rotundifolia* L. piſtillo declinato diſtinguitur.

Occurrit in omni Europa.

Scopo roborandi & adſtringendi intus datur, extus ad gargariſmata & injectiones conſolidantes uſurpatur.

* SANICULA Lat. Barb. Folia duriuſcula ſiſtit, variæ profunditatis lobis lobata, ſerrata, altera facie pallida; ſaporis leviter adſtringentis, cui aliquid ſalini jungitur.

SANICULA. Flores umbellatos in globum coactos habet, utroque involucro ſuſtentatos, ſemina hirſuta & aſpera: *Europæa* L. BLACWELL 63. floſculis omnibus ſeſſilibus diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Tam intus qnam extus exhibita, multum ad uſus vulnerarios laudatur, nec non ad ſiſtendas hæmorrhagias; SALERNE, ſe inde largos ſudores motos & ſanguinem effuſum diſſolutum obſervaſſe, contendit.

* *Aqua deſtillata* SCHROED.

* SANTALUM Arab. Ejus tres ſpecies Album, Citrinum & Rubrum aſſervant officinæ, omnes in magnis & craſſis fruſtis ad nos adducuntur, rubrum in maximis.

Album ponderoſum eſt, nullo vel odore vel ſapore gaudet.

Citrinum colorem flavicantem habet, & fragrantem, ſi fricatur, ſpargit odorem.

Rubrum extus obſcurius rubet, intus intenſius rubrum, ita ut ſanguineum colorem præ ſe ferat, linguam levi adſtringente ſapore afficit, ejus fibræ evidenter criſpæ ſunt.

Santalum. Corolla quadrifida gaudet, calice fupero inftructa, diplofanthera, monogyna, fructu bacca.

Grefcit in India, maxime in Timora.

Citrinum, effe meditullium arboris, quod album tanquam alburnum ambit, teftatur RUMPH: Santalum rubrum etiam meditullium alicujus trunci effe facile ex ejus forma patet, a proprio arboris genere defumi, IDEM fidem facit, ex Coromandel & Africæ regionibus Orientalibus ad nos mittitur.

Santalum citrinum largitur Oleum butyraceum, cujus odor ad ambram accedit, fpiritus vini inde plures quam aqua partes recipit, rubrum aquam vix tingit, fpiritum vini large. LEWIS. Ex Santalo citrino $\frac{1}{64}$ Olei odorati, $\frac{1}{8}$ Extracti aquofi, $\frac{5}{32}$ fpirituofi; ex rubro $\frac{7}{16}$ Extracti fpirituofi, ultra $\frac{1}{8}$ aquofi obtinuit NEUMANN. Santalum citrinum $\frac{1}{64}$ Olei odorati, Extracti aquofi $\frac{1}{12}$, fpirituofi $\frac{1}{6}$; rubrum Extracti aquofi falfo fubadftringentis $\frac{1}{8}$, fpirituofi $\frac{1}{4}$ circiter dederunt CARTHEUSER.

Primi Arabes tria Santala in Medicinam receperunt, citrinum ob fragrantiam, qua in regionibus Orientalibus maxime gaudet, ab analepticis virtutibus laudarunt, cum autem efficaciora cordialia inter nos proftent, ejus ufus eviluit; quæ Rubro adfcribuntur vires in hepar, denuo ex fignatura defumtæ fuiffe videntur & cum ardores ab affecto hepate furgere finxerint, hinc medicamentum, quod hepati opem fert etiam refrigerantes vires editurum effe fibi perfuadebant. Sanior pathologia etiam hoc medicamentum expunxit, illud unice adhuc coloris ergo adhibetur.

* *Aqua deftillata Santal. citrin.* Parif. * *Oleum deftillatum* Eorund. * *Diatrion. Santalon.* MYREPS. inconcinnam compofitionem, a Rofis potius quam a Santalis denominandam, fub titulo *Specierum* Wurtembergenfes recipiunt, fimpliciorem Parifini *Pulveris* nomine: *Emplaftrum Santalinum* five *Incognitum* Au-

gustan. inconcinna compositio, quam a resolvente virtute valde laudant, si quas vires habet, Croco, quem recipit, erunt adscribendæ: * *Unguentum Santalinum* Viennens. minus laudanda compositio.

SCABIOSA Lat. Barb. Inde Radices, Folia & Flores solent prostare.

* *Radices* sunt fibrosæ, ex parvis capitulis, quorum ad latus germen novi caulis accretum, quasi morsu notatæ essent, quibusdam imposuit, emittunt plurimas fibrillas capillares, gryseas, ex rufo-flavicantes, evidenter amaras.

* *Folia* ex ovatis oblonga sunt, hirsuta, odoris expertia, eorum sapor herbaceus, aliquid amari in recessu habet.

Flores tubulosi, cærulescunt; omni sapore æque ac odore carent.

SCABIOSA. Corollas quadrifidas vel quinquefidas habet, irregulares & proprio calice singulas instructas, & plures calice communi comprehensas, tetrantheras, monogynas & semina coronata: *Arvensis* L. BLACWELL 185. quæ Folia & Flores officinis subministrat, corollis quadrifidis, foliis pinnatifidis & laciniis distantibus agnoscitur; omnis Europæ civis: *Succisa* L. Barbaris *Succisa* seu *Morsus Diaboli*, *Mors de Diable*, *Teufels Abbiss* BLACWELL 142. Radices largitur, corollis quadrifidis, vix irregularibus, foliis lanceolato-ovatis, integerrimis distinguitur: Ubique præter Europam maxime Septentrionalem occurrit.

Herbam & flores a vi bechica & vulneraria solent laudare, flores priore scopo in frequenti usu sunt & videntur demulcendo agere. Absurdum commentum de radice a dæmone morsa, occasionem dedit, ut a non paucis, qui sibi plus fictionibus quam veri studio placent, ad gravissimos morbos fuerit commendata, sed nulla observatio circa eam aliquid, præ reliquis amaris præstantius detexit.

Aqua destillata VAL. CORD. ab aqua ſimplici deſtillata nequaquam diverſa. * *Conſerva foliorum* Wurtemberg.

VERONICA Lat. Barbar. *Veronique*, *Ehrenpreis.* Ejus Folia ovata ſunt, crenata, leviter hirſuta, ſapore inſtructa leniter adſtringente, cui levis, grata, & quæ aliquid aromatici habere videtur, amarities accedit.

VERONICA. Corolla inſtruitur quadrifida; irregulari, ſimili calice ſuſtentata, dianthera, monogyna, fructu cordiformi: *Officinalis* L. BLACWELL 143. Spicis lateralibus, foliis ovatis, crenatis, caule decumbente diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa.

Extractum aquoſum & reſinoſum in pari ratione ſubminiſtrat, hoc magis amarum eſt, teſtibus LEWIS & CARTHEUSER. Extracti aquoſi $\frac{2}{3}$, ſpirituoſi $\frac{1}{2}$ fere, deſtillatione liquorem alcalino-urinoſum, $\frac{1}{23}$ ſalis alcali fixi, cui non paucum ſalis communis commixtum erat, inde NEUMANN obtinuit.

Crebro omnino in uſu hæc planta ſolet eſſe, apud Germanos vix non ad omnia infuſa pectoralia recipitur, pulmones roborando & ita expectorationem juvando agere videtur; ejus ope tuſſes quæ phtiſin minabantur curatas adducit HOFFMANN, in ſuffocationibus, catarrhalibus nocturnis uſu fuiſſe, vidit Ill. HALLER, ſcabiem inde curatam HOFFMANN adducit, ELSNER calculum renalem ejus ope ad veſicam promotum, eodem extus applicato ulcera cacoëthea ſanata S. PAULI recenſet; præ reliquis plantis Europæis propius ad theam videtur accedere.

* *Conſerva* VAL. CORD. * *Extractum* Wurtemb. * *Aqua deſtillata* VAL. CORD. iners omnino: * *Aqua deſtillata cum Vino* Auguſt. nec de hac aliquid proprii expectandum: * *Syrupus* Auguſt.

* VIRGA AUREA MATTHIOL. *Confolida Sarracenica* THAL. *Verge d'or, heidnifch Wundkraut.* Ejus Folia longa funt, angufta, fine acuto terminata, ferrata, leviter hirfuta, pallidius viridia, fapore gaudent leviter adftringente, cui aliquid amari accedit.

SOLIDAGO. Floribus compofitis mixtis, calice imbricato, oblongo comprehenfis, receptaculo nudo, feminibus pappofis gaudet: *Virgaurea* L. caule angulofo, racemis paniculatis, erectis diftinguitur.

Ubique in Europa occurrit.

Ab ANDREA DORIA Genuenfi ex Africa in Europam, tefte CÆSALPINO, allata eft, cave tamen putes, eam tunc demum Europæ indigenam evafiffe, fed ex quo Dux Genuenfis in Africa ejus vires eft expertus, illa ex eo tempore femper ob virtutes traumaticas laudari cœpit, quas tam in externis quam in internis vulneribus confirmatas viderunt PONTEDERA & Cl. SCOPOLI, ejufdem vires vias urinarias ab arenulis liberandi, vulnera folidandi & graves pectoris morbos fanandi, propriis obfervâtionibus probat LISCHWIZ; BURGGRAFF mictum cruentum inde vidit curatum.

* *Vinca per Vinca*, χαμαιδάφνη, *Pervenche*, *Inngrün*, *Sinngrün.* Folia fiftit ex ovatis oblonga, integerrima, duriufcula, faturate viridia, inodora, leviffime fapida.

VINCA. Corolla infundibuliformi, calice quinquefido fuftentata, ifanthera, monogyna, folliculis duobus, teretibus, acuminatis agnofcitur: *Minor* L. BLACWELL 59. foliis ovato-lanceolatis diftinguitur.

Crefcit in Europa temperata, ad Boruffiam ufque afcendit.

A vi adftringente quibufdam laudatur, eam non notabilem effe fapor evincit, interdum recipitur ad infufa pectoralia.

VISCUS, ἰξία, *Gui*, *Miſpel*, proſtant hoc nomine in officinis ſurculi lignei, mox recti, mox incurvi, ramoſi, qui ſub cortice fuſco & rugoſo, ſubſtantiam includunt lignoſam, ex ruſo flaveſcentem, leviter adſtringentem.

VISCUM habitu relativo diphyto, corolla quadrifida, in maribus tetrandra, in feminis monogyna & bacca globoſa, monopyrena agnoſcitur: *Album* L. BLACWELL 184. foliis lanceolatis obtuſis & floribus axillaribus gaudet.

Paraſitica planta per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem, vario arborum generi, apud nos Pyris maxime innaſcitur.

In plantis Americanis, fructificationem ab ea, quæ in Europæis obtinet, differre, LOEFLING annotat: Illuſtris DU HAMEL præ reliquis vegetationem illuſtravit & quod nonniſi a cacantibus turdis ſeminari poſſit, Veterum figmentum eſſe, oſtendit.

Extracti aquoſi ſalſi & amaricantis ultra $\frac{1}{4}$, reſinoſi auſteri, nauſeoſi $\frac{1}{5}$ fere dedit CARTHEUSER.

Viſcum pro varia arbore, cui innaſcitur, variare, & quernum reliquis præſtare aſſerunt, & omnino inde differentiam ſurgere poſſe, tam ea quæ circa arbores pro varia matre, quibus inoculantur, variantibus obſervamus, quam ipſum Viſcum diverſis arboribus ſuſtentatum colore, craſſitie &c. evidenter diverſum, curate annotante CARTHEUSER, videntur ſuadere.

HIPPOCRATES folia viſci reſolvendi fine adhibuit; ipſum viſcum roborantes vires edere WEISMANN obſervationibus probat, idem comitialibus proficuum eſſe PLINIUS monuit, ad epilepſiam etiam multum PARACELSUS laudavit, BOYLE feminam epilepticam eo curatam adducit, COLBATCH proprio tractatu multis obſervationibus id idem probare annititur, ſimiles BOERHAAVE, CARTHEUSER, LOESEKE, Cl. VOGEL ſubminiſtrant; fateor me multum ſuſpicari,

hunc visci usum a Druidarum superstitione originem habere, his cum Viscum, teste PLINIO, sacrum fuit, hinc illud etiam sacro morbo medelam allaturum præsumebant, ejus memoria conservata fuit inter eos, quibus magica placebant: cum nonnunquam exhibitum fuerit epilepticis, quorum morbum vel antecedens medicatio vel Natura curaverat, quoque rationales Medici, sub ejus usu morbum cedere videntes, illud magni fecerunt; innumera, quod sine fructu datum fuerit, exempla præsto sunt.

Substantia glutinosa, quam olim ex baccis parare solebant, hodie teste Ill. DU HAMEL ex cortice separant * ἰξὸς, *Viscus*, *Vogelleim*, *Glu* a Veteribus; monente GALENO, rubefaciendi ergo adhibebatur; hodie ejus usus inter Medicos eviluit.

β. *ANIMALIA.*

* COCCIONELLA Recent. *Cochenille.* Prostant inter nos hoc nomine Insecta, duas circiter lineas æquantia, utrinque rugosa, coloris intus punicei, extus atro-rufi, odoris nullius, saporis leniter adstringentis, cui aliquid nauseosi empyreuma referentis accedit.

Primus HERNANDEZ ejus mentionem fecit; DE ROUSCHER documentis etiam judiciariis, quæ ad naturam, collectionem & culturam faciunt, probat.

COCCIONELLA. Insectum alas quatuor, quarum superiores crustaceæ sunt & marginatæ, antennas extrorsum incrassatas, truncatas, thoracem marginatum & abdomen planum habet: *Cacti* L. Alis superioribus nigris, utrinque macula rubra notatis distinguitur.

In Regno Mexicano, Carolina & Georgia, obtinet; ad Antequera in valle Guaxaca maxime colitur.

Hæc animalcula per hyemem in domibus asservantur, tempore verno, propriis corbibus commissa va-

riis *Cacti* L. ſpeciebus admoventur, quas conſcendunt & ſpatio aliquot dierum novam prolem edunt, matres moriuntur, proles ſeſe Cacto ſuſtentat; cadavera matrum, proles quæ tertium aut quartum ætatis menſem attigit, hujus quoque progenies tri-vel quadrimeſtris, reſervatis eis quæ ſequente anno gentem propagare debent, ſive aqua ebulliente, ſive calentibus laminis ferri enecata, nobis mittitur.

Extracti aquoſi $\frac{3}{4}$, ſpirituoſi, magis rubri paulo minorem quantitatem, ultra $\frac{1}{11}$ aquæ, $\frac{1}{7}$ ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{22}$ fere ſalis volatilis, ultra $\frac{1}{3}$ Olei empyreumatici inde obtinuit NEUMANN. Ejus colorem ab acidis exaltari, ab alcalinis profundiorem reddi compertum eſt.

Ab uſu diuretico maxime laudatur, in comminuendo calculo veſicæ efficacem vidit STISSER, in Iſchuria LISTER, in incontinentia urinæ STRUVE. Ad infucanda medicamenta inter nos præcipue adhibetur.

* ERINACEUS Barb. ἐχῖνος, *Herinaceus* Veter. *Heriſſon*, *Igel.* Eſt animal quadrupes, cujus omne corpus præter ventrem, qui pilos habet, & pedes, aculeis ex fuſco & albido variis obſidetur, inſidias metuens, totum corpus in globum undique aculeatum contrahit, noctu modo incedit, interdiu quieſcit, digitis quinque unguiculatis inſtructum.

ERINACEUS dentibus inciſoriis in utraque maxilla duobus, quibus & canini accedunt & corpore aculeato gaudet: *Europæus* L. auriculis erectis diſtinguitur.

Occurrit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

In cibum nunquam recipitur, AVICENNA ejus carnem pueris in lectum mingentibus commendavit, Latino-Barbari adhuc magis abſurde, animal in cineres redactum, pro hoc ſcopo laudarunt, & doleo vel hodie adhuc hoc commentum obtinere, prudentius

omnino GALENUS hos cineres ad excreſcentias & ulcera ſordida abſtergenda adhibuit, & carnem & cineres Poloni in plica adhibent. ERNDL.

LACCÆ GUMMI Arabum. Ejus triplex genus vulgo in officinis proſtat:

* *Lacca in baculis*, *Stocklack*, cruſta obſcure rubra, inodora, fruſtulis ligneis teretibus accreta, accenſa ſuavem odorem emittens, evidenter ex cellulis ſibi invicem agglutinatis efformata.

Lacca in granis, *Gomme Lacque*. Grana irregularia, parva, læte rubra refert, ſaporis & odoris expertia, igni commiſſa in carbonem abeuntia, non fundenda, ſuavem dimittunt ſuffitum, inter dentes lenteſcunt.

* *Lacca in tabulis*, *Schellack*, fruſta refert majora, profundius rufa, quæ evidenter fuſionem paſſa eſſe videntur, inſipida, inodora, calore liquanda & ſuffitum non ingratum emittentia.

Laccam in baculis a formicis colligi & ramulis arborum agglutinari, GARTIAS AB HORTO vidit & GEOFFROI uberius probat; qui primus ſagax perſpexit, eam ſpeciem favorum eſſe, in quos propria inſecta ſuam prolem deponunt, & hanc ipſam pulchrum Laccæ colorem conſtituere.

Laccam in granis, *Croton Lacciferum* L. foliis ovatis, tomentoſis, petiolatis & calicibus tomentoſis diſtinctum, Indiæ civem, ſubminiſtrare, ſunt Auctores qui contendunt: Utrumque ex Aſia Meridionali, Bengala maxime & Pegu ad nos adducitur.

Laccam in tabulis ex Lacca in baculis, in tabulas fuſa, unde pro uſibus baphicis color extractus fuit, efformari, facile Auctoribus credo, nequaquam vero illorum opinioni poſſum ſubſcribere, qui illam ex Lacca in granis parari dicunt, quippe quæ colliquari nequit.

Lacca in tabulis tota a ſpiritu vini diſſolvitur, plane nullæ ſunt aquæ in eam vires.

Lacca

Lacca in granis $\frac{1}{9}$ Extracti aquosi, $\frac{7}{8}$ spirituosi & cum destillata fuerit $\frac{5}{8}$ fere Olei butyracei, $\frac{1}{8}$ fere liquoris aquosi, non salini, exhibuit NEUMANN.

Omni laccæ aliquid flavi accedit, rubedinem acida extollunt, alcalia deprimunt.

Multi fuerunt Arabes occupati circa laudandas Laccæ vires roborantes, hodie ea quæ in granis prostat, ad dentifricia maxime adhibetur: Lacca in tabulis unice ad ceram sigillatam reciditur.

Tinctura G. Laccæ MYNSICHT alumen recipit, Parisini minus bene spirituosam præscribunt, Nostrates majorem justo rationem Aluminis ei addere videntur.

SEPIÆ Os Lat. Barb. Σήπιον, *Sepiæ testum* Veter. *Os de Sèche*, *weiss Fischbein*. Est testa e squammis coalitis efformata, albissima, oblonga, utrinque angustata, dura, cujus faciei concavæ substantia inhæret alba, pulverulenta, laxa, insipida, quæ cum ipsa testa saporem salsum habet.

SEPIA. Corpore nudo instructus vermis est, brachiatus, cujus corporis alterum latus os efformat; *Officinalis* L. tentaculis duobus & corpore ecaudato agnoscitur.

Copiosissime in Oceano æque ac in Mari Mediterraneo occurrit.

Substantia pulverulenta $\frac{1}{40}$ Extracti spirituosi, $\frac{1}{12}$ aquosi salini, destillata autem $\frac{1}{8}$ spiritus urinosi, pauxillum Olei empyreumatici exhibuit; testa, similia extracta & eadem proportione dedit, destillatione inde $\frac{1}{12}$ spiritus urinosi & $\frac{1}{96}$ olei empyreumatici prodierunt. NEUMANN, qui quoque utramque substantiam in acidis solubilem esse vidit.

Vires, quæ ipsi adscribuntur vel adstringentes, vel diureticæ, & ob quas ad gonorrhœam laudari solet, nulla fida observatio probavit; abstergentes, quas GALENUS inde prædicat, a caustica, quam in modum omnium testarum, dum calcinantur, induit, indole

pendent; abſorbentes inde vires recte exſpectantur; præcipuus ejus ab Eodem jam annotatus uſus eſt ad mundandos dentes, & hoc fine ſubſtantia ejus ſpongioſa maxime adhibetur.

γ. *Fossilia.*

Ferrum, Σίδηρος, *Fer*, *Eiſen*. Eſt Metallum aqua octuplo gravius, præ reliquis difficillime fundendum & majore elaſticitate inſtructum, inter aurum & cuprum mediam firmitatem habet, rite curſum malleabile evadit, & ſe in tenerrima fila duci patitur, a nitro & vitro ſaturni deſtruitur, igne ſcintillas evomit & in ſcoriam nigram abit, ab omni ſale, ab ipſa quoque aqua ſolubile, & hinc in aëre rubiginem contrahens, a magnete attrahitur, cum liquoribus inſtringentibus nigreſcit, cum alcali principio inflammabili ditato cæruleſcit, difficillime cum Mercurio jungitur, majori principii inflammabilis ratione ditatum *Chalybs* evadit.

Rariſſime *Nativum* occurrit, in Senegal integras rupes efformare dicitur, quod ſine ulla ulteriore præparatione in perticas cudunt, annotantibus Cl. Courtivron & Bouchu. Mineræ ferri optime diſtinguuntur in tales I. quæ formam glebæ metallicæ habent 1) ſubflavæ, *Pyrites cryſtallinus*, *figuratus*, *ferri*, *cupri* L. 2) nigræ ſubcæruleſcentes A. granulatæ a. granis lamellatis, *Ferrum granoſum & commune* L. *Hæmatites niger* Cronstædt. b. granis angulatis *Sidereum & arenoſum* L. B. totæ uniformes, a. magneti obſequioſæ, *Ferrum chalybeatum*, *rhombeum*, *ſelectum* L. *Minera ferri Retractoria* Cronst. *Nigricans*. Waller. b. magneti non cedentes, *Minera Ferri gryſea* Waller. c. polituram admittentes *Ferrum chalybeatum* L. *Minera ferri ſpecularis* Waller. C. in formam ſtalactitarum ſive ſtiriarum cryſtalliſatæ, *Ferrum hæmatites ni-*

grum L. *Hæmatites nigrescens* CRONSTÆDT, *Hæmatites turritus* WALLER. D. figura prysmatica, *Molybdæna spuma lupi* L. *Spuma Lupi* Auctorum, *Wolfram* vulgo. E. figura cubica vel octoëdra, *Ferrum tessellare*, *crystallinum* L. *Minera ferri crystallisata* WALLER. 3) albæ, *Arsenicum album* L. *Mispickel* CRONSTÆDT, *Pyrites albus* Auctor. II. tales quæ forma terræ aut lapidis gaudent, 1) forma pulveris a. flavi aut rubri, *Ochra ferri*, *martis* L. *Ochra* vulgo, b. cærulei, *Cæruleum Berolinense nativum* CRONSTÆDT c. arenæ nigræ, *Arena ferrea* L. 2) forma lapidis mollioris a. in lamellas efformati α) rubri, *Argilla rubrica* L. *Rubriga* vulgo, β) rubiginosi, *Minera lacustris numismalis* WALLER. *Pfenning*- vel *Blættel*- *Erzt*. γ) nigri splendentis *Ferrum talcosum*, *virens*, *squammosum*, *micaceum* L. *Mica ferrea* WALLER. *Eisenrahm*, *Eisenmann*, b. in globos figurati, *Minera lacustris globosa* WALLER. *Ferrum glomeratum* L. *Mine en feves*, *Bohn-Erzt* vulgo. 3) forma lapidis durioris a) rubri plus minus ad cæruleum vergentis α) figura angulari, *Granatus metallicus* CRONSTÆDT β) substantia radiata instructi, *Hæmatites* Auctorum *Sanguine*, *Blutstein*, *Glaskopf*, γ) substantia irregulari *a.* cum chalybe scintillas evomens *Synople* CRONSTÆDT, *b.* mollior *Minera lapidea* VOGEL. b) flavi, *Hæmatites flavus* CRONSTÆDT. c) albi α) figura angulari, *Stannum crystallisatum album* CRONSTÆDT, *Spuma lupi cudica* WALLER. β) nulla figura regulari, *Ferrum spatosum* L. *Minera ferri alba* CRONSTÆDT, *Stahl*- *Erzt* vulgo, d) cærulei *Lapis Lazuli*, e) nigri angularis *Schoerl* vulgo, f) grysei α) ferrum attrahentis *Magnes*, β) durissimi ad polienda metalla apti *Smiris* Auctorum *Emery*, *Smyrgel*, γ) laxioris *Minera ferri grysea* WALLER. g) rubiginosi *Minera ferri palustris* WALLER. *Stuf-Erzt* Nostrat.

Pyrita, Rubrica, Mica ferrea, Lapis Lazuli, Magnes, Granatus, Sinopel. non adhibentur ad excoctionem ferri, cum ſive ſub forma nativa majori quæſtu queant vendi, ſive difficilius fundi poſſint, ſive ferrum pejoris notæ largiantur.

Vix aliquis occurrit terræ angulus, ubi non variæ mineræ ferri occurrunt, Suecia multas habet, quas Magnes attrahit, & quæ optimum ferrum largiuntur. Pyrites, hæmatites, ochra, rubrica, arena nigra, minera lacuſtris utraque, minera alba, gryſea, & lapidea apud nos copioſe occurrunt.

Ferrum ex multis terris obtineri, non quod in iis hæſerit, ſed quod demum ſub excoctione formetur, monui in *Inſt. Chem.*

Ferrum, quod candens malleum non fert, dicitur *Rothbrüchig* & hoc vitium ab immixto acido vitriolico dicitur habere, id quod frigidum, dum malleo percutitur, diſſilit, *Kaltbrüchig* appellant, & id arſenico adſcribunt.

Ferrum jam MELAMPUM intus roborandi ergo adhibuiſſe, patet ex APOLLODORO, GALENO integri metalli virtus roborans, & ejus calcium vis adſtringens fuit nota: MENGHINI experimentis, tam circa homines quam bruta inſtitutis, ferri efficaciam in roborandas fibras evicit, ab ejus uſu in omnibus numerum pulſuum augeri eſt expertus, qua hunc effectum edat ratione, non audeo decidere, id ſaltem mihi videtur, hoc metallum nexum elementorum fibræ modo, qui noſtræ naturæ præ reliquis reſpondet, augere, cum reliqua ſive minus ſufficienter agant, ſive rigiditatem, quæ præter naturam eſt, inducant, in chloroſi derepenter pulſum ab uſu Chalybis majorem & celeriorem fieri, exteriora corporis incaleſcere, vividum faciei reddi colorem, SYDENHAM obſervavit, VAN SWIETEN numeroſiſſimos caſus vidit, ubi ſolo ferro ſuperabatur cachexia, Cel. TRALLES ſæpius phlegma-

ticis & mucosis dedit, & pro summo remedio habuit, inter hactenus cognita, ad instaurandam vim hæmatopoieticam, quoties hæc ex sola debilitate solidorum, aut ex humorum aquosa, frigida, inerti indole surrexit; ob hanc vim roborantem ferrum, cum viscera fuerint obstructa, & in omnibus morbis inde oriundis cum magno successu exhibetur, efficit enim, ut vasa obstructa se validius contrahant, & spissum quo obsidentur ulterius promovere queant, arteriis præterea inde roboratis, spissum humoribus inhærens attenuatur, in materiæ podagricæ anomaliis egregios inde effectus WERLHOFF vidit; inter emmenagoga & certissimum & securissimum esse, innumeræ observationes docuerunt. Nec male ferrum ad corrigendam acrimoniam acidam facit, illam absorbendo, & debilitatem ventriculi, unde surrexerat, corrigendo; idem etiam vermibus mederi, WERLHOFF & Cl. VAN DOEVEREN observationibus patet.

Dum intus assumitur, fæces ab eo solent nigrescere.

Datur secure ad grana viginti pro dosi; sed probe cavendum, ne limaturæ sordes, maxime de cupro, adhæreant, ipsa in tenerrimum pollen reducenda, & in vitro probe clauso asservanda est, ne rubiginem contrahat.

Mineræ ferri, quas medicamentis adscribunt, cum foveant ferrum principio inflammabili privatum, hinc Crocorum adstringentium vires edunt. Magnetem dentibus admotum odontalgiæ mederi, BORELLUS jam annotavit, recentius id ipsum varii Auctores confirmare sunt annisi in *Gœttingische Anzeigen von gelehrten Sachen*, & apud GLAUBRECHT allegati, nec non apud REICHEL & LUDWIG, qui Auctores quoque observationes salutares ejus effectus in rheumatismo, arthritide & affectibus nervorum testantes recensent.

* *Æthiops Martialis* LEMERY, si rite paratus fuerit, est limatura ferri in tenuissimum pollen redacta.
* *Balsamum Chalybeatum*, BEAUME *d'Aiguilles* Paris.

ad usus externos scopo adstringendi adhibetur: * *Chalybs Sulphure præparatus* ROLFINCK est Crocus Martis ad indolem vitrioli accedens: * *Bezoardicum Martiale*, *Pulvis Cachecticus* LUDOVICI, *Antimonium diaphoreticum martiale* Wurtembergens. vid. *Instit. Chem.* * *Crocus Martis adstringens* ad mentem ROLFINCK a Parisinis & Nostratibus paratur, ferrum, ope ignis, principio inflammabili privando, Wurtembergenses pro illo vitriolum ad rubedinem calcinatum recipiunt: * *Crocus Martis aperiens cum Sulphure* ROLFINCK evidenter aliquid vitriolici recipit: *Crocus Martis aperiens* a Parisinis & Nostratibus paratur ferrum, secundum POTERIUM, ope aquæ in rubiginem reducendo, Wurtembergenses ad præcepta STAHL ferrum ex vitriolo ope alcali dejiciunt: * *Crocus Martis cum sulphure & nitro*, * *Pulvis cachecticus* BOECLER est Crocus martis Sali polychresto unitus: * *Crocus Martis Antimoniatus* STAHL. Cum omnes croci sint ferrum evidenter alteratum, hinc evidentius quam limatura martis adstringunt, & ipsi, ubi moderate roborandi & adstringendi scopus est, debent postponi: * *Electuarium Chalybeatum* August. cachecticis & scopo emmenagogo olim ad drachmam unam pro dosi præscribebatur: * *Essentia Martiata aperitiva* Wurtemberg. est spiritus vini aromatibus & ferro imbutus: * *Extractum Martis pomatum* Wurtemb. evidenter adstringit: *Flores Salis Ammoniaci Martiales* vid. *Inst. Chem.* * *Liquor Vulnerarius mineralis*, *Balsamum Vulnerarium* DIPPEL. vix differt a *Tinctura Martis adstringente* Wurtemb. *Globuli Martiales* a sex circiter retro lustris in Gallia cœperunt in usum trahi, tam interne quam externe adhibentur, ferrum vehunt, cui tartarus unitus est: * *Pilulæ aperientes* STAHL. *Pilulæ cachect.* Wurt. * *Pilulæ chalybeatæ* Paris. Aloën recipiunt: magis omnino placent *Pilulæ Martiales* SYDENHAM, utinam optimum medi-

eamentum semper recens pararetur, ne ferrum ab extracto vegetabili ad croci indolem deflectere posset: *Pulvis Cacheticus* QUERCET. ad roboranda solida, incidendum mucum, absorbendum acidum facit; ambram & margaritas adjiciendo *Completum* reddunt Wurtemberg. minus placet * *Pulvis de Chalybe* Parisin. * *Sal Martis* RIVERII proxime ad Vitriolum martis accedit: * *Tabellæ de Chalybe* Paris. in parca nimis ratione videntur ferrum recipere: *Tartarus Chalybeatus* v. *Inst Chem.* * *Tinctura Hæmatitæ* Paris. non differt a *Mynsichtiana*: * *Tinctura Martis adstringens* Wurtemb. parum recedit ab *Aperiente nigra* ROLFINCK. * *Tinctura Martis aperiens tartarisata* LEMERY momentum spiritus vini adjiciunt, ut arceatur corruptio, prolixo labori optime solutio Tartari chalybeati in aqua substituitur: * *Tinctura Martis cydoniata* WEDEL. Wurtembergenses aquam cinamomi spirituosam, nostrates $\frac{1}{3}$ spiritus vini adjiciunt: *Tinctura Martis pomata* ROLFINCK: * *Tinctura Martis cærulea* ETTNER ad morem Wurtemb. si paratur, non evadit cærulea, curiositati unice inservit: * *Tinctura Martis helleborata* WEDEL hypochondriacis olim multum laudabatur: * *Tinctura Martis Mynsicht. Aperitiva* Wurtemb. *Azoph.* PARACELSI a ZWOELFFER reputata, non illepidum medicamentum aperiens videtur esse, sed fateor, in medicamentis aperientibus, spiritum vini semper mihi suspectum esse: * *Tinctura Stomachica martialis Edinburg.* præter ferrum, aromata, & amara recipit, non contemnendum medicamentum stomachicum: * *Tinctura Martis cum vino malvatico & pomis aurantiorum* Wurtemb. *Tinctura Vitrioli Martis* LUDOVICI vid. *Instit. Chem.* Wurtemberg. aquam Cinamomi adjiciunt, Nostrates coloris ergo flores Papaveris Rhœad. gratum medicamentum, olim in multo usu fuit pro roborando ventriculo: ab hac ratione virtutis medicatæ parum

differt. *Tinctura Martis ex vitriolo* ZWOELFFER. Omnes hæ tincturæ cum habeant ferrum per acida magis ſtypticum redditum, hinc manifeſtius adſtringunt, & inter nos ſaltem exoleſcere cœperunt: *Vinum Chalybeatum* FALLOPII ſummis laudibus a BOERHAAVE extollitur, & egregium omnino medicamentum eſt ad vim hæmatopoieticam reſtituendam: datur ad aliquot uncias vel ante vel poſt paſtum: *Vitriolum Martis* vid. *Inſtit. Chem.*

* MARCASITA Barbar. *Biſmuthum* vel *Wiſmuthum* Eorund. Eſt Semimetallum plumbo magis album, rigidum, in pulverem reducendum, ex teſſulis majoribus efformatum, aqua decuplo circiter gravius, cum cobalto & zinco fuſione non coiens, præ omnibus reliquis metallis minore igne fluens, ab acidis nitri & ſalis diſſolvendum, in vaſis clauſis ſub forma metallica ſublimandum, ope ignis in vitrum flavum fundendum.

Occurrit I. Nativum. II. mineraliſatum 1) facie Galenæ α) ſquammis majoribus *Viſmutum iners* L. β) ſquammis exiguis *Viſmuthum commune* L. hoc vulgo occurrit, 2) ſquammis cuneatis *Viſmuthum Martiale* L.

Paſſim per Europam occurrit, creberrime cobalto junctum.

Vires Marcaſitæ in corpus humanum nondum liquent, qui vina inde mangonizata colicam Pictonum excitaſſe contendunt, videntur plumbum pro marcaſita habuiſſe, hæc enim, dum cum acido vegetabili acidum & ſtypticum ſaporem contrahat, nunquam certe tanquam vini mangonium poteſt adhiberi.

Magiſterium BASIL. VALENT. *Blanc d'Eſpagne* ad coſmeticos unice uſus adhibetur, frequentius uſurpatum cutim defœdaſſe obſervatum eſt, poſt ejus uſum internum inſignes anxietates præcordiorum ſurrexiſſe, POTT obſervavit.

* PUMEX, κισσηρὶς, *Pierre Ponce*, *Bimſenſtein*. Eſt Lapis variæ magnitudinis, aqua levior, multis foraminibus pertuſus, non admodum durus, ejus habitus, quod aliquando calore liquatus fuerit, evidenter evincit, ſapor & odor, ſi quos habet, ipſi non proprii ſunt, ſed a mari, cui innataverat, accreverunt.

Pumex Vulcani L. Occurrit in mari, in quod ex montibus ignivomis, in quibus ſolis formatur, ejici ſolet, illi qui in fluviis reperti fuerunt, eo plures per cauſas fuerunt delati.

Efformatur evidenter a vario terrarum genere, igne validiſſimo fuſo & quod ſubito aqua extinctum fuit.

Tanquam medicamentum quod dentes detergit, nec non tanquam ſarcoticum a GALENO laudatur, meliora hodie de regeneratione carnis edocti, eum ad hunc ſcopum non ulterius adhibemus, nec ad dentifricia laudandum ducimus, cum inde non modo ſordes, ſed etiam cruſta lapidea, ad conſervationem dentium adeo neceſſaria, abradatur. Num illi fidem merentur, qui lapidem nulla aqua ſolvendum, ad decocta ſanguinem depurantia laudant?

* STANNUM, κασσίτερος. *Plumbum album* Veterum, qui proprie plumbum ex glebis argento divitibus excoctum, *Stannum* dixerunt. Eſt metallum, biſmutho & zinco exceptis, leviſſimum, albedine & elaſticitate plumbum vincit, leviori calore funditur, poſt plumbum metallorum molliſſimum, in omnibus acidis nec non per alcali ſolubile.

Occurrit I. Nativum in Anglia & Suecia II. Sub forma glebæ 1) non figuratæ α) ſplendentis *minera hermaphrodita*, *Zwitter*, β) non ſplendentis *Stannum amorphum* L. 2) cryſtallina α) nigra *Stannum cryſtallinum & granulatum* L. *Graupen* β) rufeſcente *Granatus* CRONSTÆDT. γ) alba *Stannum ſpatoſum* L.

In America, Anglia, Suecia, Saxonia, Bohemia & Silesia occurrit.

Omnes glebæ stanni arsenico fœtæ sunt, quod ipsum etiam stannum adeo pertinaciter retinet, ut ejus aliquid, vix non ex omni, quod vulgo prostat, ratione ab Illustri MARGGRAFF indicata, inde possit separari. Præterea notandum, quod stannum nunquam sincerissimum in tabernis occurrat, eidem semper alia metalla adjecta sint, ut in *Inst. Chem.* monui, a quibus quoque effectus, qui inde in corpus humanum fluunt, erunt dijudicandi, rarior hinc ejus est usus internus & omnino optandum esset, ut metallum vix non semper substantiis homini evidenter noxiis instructum, parcius ad supellectilem cibarium reciperetur.

Primus PARACELSUS stannum contra vermes laudavit, ALSTON ejus usum ab Empirica quadam Belgica accepit & eum pluribus observationibus, ad ipsam etiam tæniam cucurbitaceam fugandam facere vidit, primo die stanni comminuti unciam unam cum syrupi simplicis unciis quatuor exhibet, secundo & tertio die singulis unciam dimidiam cum Syrupi unciis duabus propinat, quarto die eccoprotico alvum laxat. MEAD asserit, se jam pluribus retro annis stannum rasum cum successu contra vermes exhibuisse; sed idem non semper votis respondere Cl. VAN DOEVEREN annotat

* *Bezoardicum Joviale* Wurtemb. est Bezoardicum minerale, cui aliquid calcis stanni accrevit: * *Antihecticum* POTERII vid. *Inst. Chem.* ad sudores colliquativos hecticorum commendatur; nonne absurdum est ad sudores sistendos calcem antimonii exhibere?

ZINCUM Recent. *Spiauter*. Est substantia metallica, cujus primus PARACELSUS meminit, nec malleabilis, nec in pulverem terenda, ejus color ad cæruleum vergit, fusum in flammam viridescentem erumpit,

totum in floccos albos vertitur, cuprum flavo colore tingit, ejus gravitas ſeptuplam circiter rationem habet, ab omnibus acidis ſolubile, ab alcali nequaquam.

Occurrit I. ſub forma lapidis καδμεῖα, *Cadmia*, *Lapis Calaminaris* Lat. Barb. *Gallmey*, *Zincum Calaminare* L. qui vario colore ludit, in Polonia, Anglia, Sileſia, Germania Inferiore obvius. Obiter hic annotandum duco, Veteres Cadmiam dixiſſe, quicquid parietibus fornacum, dum glebæ metallicæ fundundur, adhæret, ſeculo demum quarto hoc nomen illi, de qua nunc loquor, ſubſtantiæ inditum fuit: occurrit Zincum II. ſub forma mineræ 1) in cryſtallos efformatæ *Zincum cryſtalliſatum* L. 2) non cryſtalliſatæ A. compactæ *Zincum Swabii*, *ſtibiatum*, *ſterilum* L. B. ſquammoſæ *Zincum rapa* L. II, 1. & II. 2. B. rarius, II, 2. & vix non ubique ad metallifodinas ſub nomine *Galenæ ſterilis*, *Blende* reperitur.

Zinci maxima quantitas ex India Orientali adducitur, in Europa, Goſlariæ proprio fornacum apparatu, a SCHLÜTER deſcripto, paratur. Cum Zincum igne fuſum in flores reſolvatur, hinc, dum ſubſtantiæ eo prægnantes funduntur, illi & parietibus vaſorum & vaſis, in quibus fuſio inſtituitur, ſolent accreſcere, quia autem ipſis illis ſubſtantiis variæ aliæ vix non ſemper junctæ eſſe ſolent, quæ vi ignis agitatæ in ſublime quoque aguntur, & Zinco accreſcunt, hinc iſtud hac ratione obtentum diverſiſſimum occurrit, de cadmia fornacum nihil in univerſum poteſt determinari, illa nunquam ad uſus medicatos eſt adhibenda.

Pulvis albus, qui fornacibus & crucibulis, in quibus Lapis Calaminaris ſive zincum liquatur, adhæret πομφόλυξ Veterum, *Nil* medio ævo audire cœpit, hodie creberrime terra qualicunque alba & macra ſolet adulterari; hic idem cum penitus exuſtus non ſit, gryſeus, & fornacis lateribus ſive virgis accre-

ſcendo in formam laminarum efformatus σποδὸς Veterum eſſe videtur, & ab Arabibus *Thutia* dicitur, eam cum hi ab Alexandria petierint, hinc & hodie adhuc inde denominatur.

Zincum ſub forma metallica nunquam in uſum medicatum recipitur, Lapis Calaminaris, Nihilum & Thutia ſcopo adſtringendi & exſiccandi extus adhibentur & his ſcopis in morbis oculorum præcipue uſurpantur, Thutia partes excoriatas aſpergere ſolent: cum autem Nihilum vix non ſemper adulteratum & Thutia variis heterogeneis inquinata proſtent, hinc illis melius ſubſtituuntur, quos in officinis parant.

* *Flores Zinzi*, qui obſervante Illuſtri GAUB, ad aliquot grana de die dati, epilepſiam fugare ſolent: *Empl. Diapomphol.* vid. *Plumbum*: *Empl. Gryſeum* vid. *Plumbum*. * *Unguentum de Thutia* Pariſ. proxime accedit ad *Unguentum ad oculos* Auguſt. ſed nullam Camphoram habet, non contemnendum ad lippitudinem feroſam medicamentum: * *Unguentum Diapompholygos* NICOL. Exſiccandi ergo ad vulnera & ulcera oculorum, diſcutiendi ſcopo ad ophthalmiam adhibetur: *Unguentum Nihili* Auguſt. ad omne ophthalmiæ genus præſcribitur, abſorbentia non male ex eo expungerentur: * *Unguentum Ophthalmicum* Noſtrat. antecedente validius repellit & abſtergit.

§. 33.

β. ADSTRINGENTIA FORTIORA.

Hæc cum vix non omnia, quando ſanguini adjiciuntur, eundem cogant, hinc quoque *Incraſſantium* vel *Coagulantium* nomine veniunt, eadem dum exhibentur, ut orificia vaſorum anguſtent, στεγνωτικὰ, συπτικὰ appellantur: cum cutis inde denſior reddatur πυκνωτικῶν ſeu *Condenſantium* nomen accipiunt, ad vulnera & ulcera ſolidanda dum adhibentur, *Trau-*

matica, *ἐπελωτικὰ*, *Cicatriſantia*, *Sarcotica* dicuntur, vaſis, in quibus error impactorum obtinet, applicata, *Repellentium* vices ſubeunt, dum autem eorum ope vaſa conſtringere tentant, ne humores noxios admittant, *Defenſiva* ſive *Intercipientia* audiunt; horum medicamentorum agendi modus evidenter ex eorum effectu in pelles animalium eluceſcit, quippe quæ inde in corium denſantur; videntur agere, gluten ex fibris imbibendo.

§. 34.

Indicantur Adſtringentia fortiora, quando aliquis humor cum magno periculo excernitur, ut vaſa con. ſtringendo effluxum moderentur, vel inhibeant, adhibentur porro cum ſucceſſu, quando ope repulſionis diſcuſſio poteſt obtineri. Contraindicantur autem omnino, quoties a retento intus humore graviores noxæ metuendæ ſunt, aut obſtructio eo uſque eſt progreſſa, ut nonniſi reſolutione aut ſuppuratione poſſit vinci. Per eandem fibræ non tam roborantur, quam potius rigidæ redduntur, hinc ab eorum imprudentiori uſu omnia, quæ a rigiditate & ab immeabilitate humorum metuenda ſunt mala, ſurgere ſolent, læſæ vires digeſtionis præcipue & varium obſtructionum genus, maxime in ſyſtemate Venæ Portarum.

α) VEGETABILIA.

ACACIA, *ἀκακία*, *Schlehen*; hoc nomine Succi, Fructus exſiccati & Flores proſtant.

* *Succus.* Ejus duplex genus officinæ aſſervant, Ægyptiacum & Noſtratem. *Ægyptiacus* occurrit ſub forma panum rotundorum octo unciarum pondus uſque æquantium, ex rufo nigricantium, in ore liquantium & ſapore auſtero, adſtringente inſtructorum,

Adducitur ex Ægypto, ubi exprimitur, obſervante jam DIOSCORIDE, & confirmantibus ALPINO & HASSELQUIST, ex fructibus immaturis.

MIMOSÆ. Corolla quinqueflda ſimili calice ſuſtentatæ, ut plurimum polyanthera, monogyna, fructu longo inſtructæ: *Niloticæ* L. ſpinis patentibus, foliis bipinnatis, partialibus extimis glandula diſtinctis, ſpicis globoſis pedunculatis diſtinctæ.

Primi Arabes huic ſucco ſubſtituerunt

Noſtratem magis nigricantem, cæterum ſapore & reliquis qualitatibus priori ſatis ſimilem, eum ſive in tabulas efformatum, ſive veſicis incluſum olim aſſervabant Solent etiam aſſervare ipſas * *Acacias exſiccatas* quæ nigræ ſunt, parvæ, rugoſæ, & cum ob adſtringentem, qui inde expectatur, virtutem, immaturæ ſoleant adhiberi, ſapore acerbo præditæ, hi fructus enim, quando ſub finem demum Octobris decerpuntur, ſatis mites ſolent eſſe, & a plebe tanquam fructus horæi comedi; ſed proſtant quoque

Flores, qui ſunt albi & exſiccati, parum ad flavedinem vergunt, ſuavi odore & amaricante ſapore inſtructi.

Prunus ſpinoſa L. BLACWELL 494. foliis lanceolatis glabris & ramis ſpinoſis agnoſcitur.

Creſcit in omni Europa præter maxime Septentrionalem & Meridionalem.

Ex floribus Extracti aquoſi & amari $\frac{1}{2}$, reſinoſi ſalini & amari $\frac{1}{4}$ obtinui.

Fructus immaturi & uterque Acaciæ ſuccus valide adſtringunt, a fructibus ſtomachum lædi & dolores capitis excitari GALENUS monet, SCHWENCKFELD inde dyſenterias ſuſcitatas obſervavit. Flores cathartico ſcopo adhibere ſolent, hunc effectum ratione principii reſinoſi, quo ſcatent, videntur edere, hinc obſervavit Cl. VOGEL, quod non raro tormina excitent; apud nos obtinet mos, tempore verno eorum

manipulum unum cum ſero lactis infundere, & hoc medicamentum per aliquot continuos dies exhibere, ut ſordes per hyemem collectæ evacuentur; exſiccatos infuſis laxantibus adjiciunt.

Aqua deſtillata florum HIERONYM. BRUNSVIC. grato, quem a nucleis denominant, gaudet, odore, præeunte TRAGO, ad affectus pectoris adhibetur: * *Syrupus florum* WITTICH cum Syrupo florum Perſicorum ratione virium convenit.

ACETOSÆ RADICES vid. *Olera.*

AGARICUS QUERCUS Pariſ. Non raro pugnum aliquoties magnitudine ſuperat, portione, qua ex arboris trunco eminet, ventricoſus, ex oblongo rotundus, hinc inde in tubera non multum eminentia elevatus, baſi gaudet plana extremitatibus tubulorum fuſcis obſeſſa, præter baſin tegitur cuticula umbrina, ſicca, tenaci, ſub qua caro fulva hæret, ex tubulis arctiſſime congeſtis efformata, ut continua eſſe videntur, medium fungi & ejus baſin fines tubulorum magis diſtantes efformant, odor ipſi nullus eſt, ſapor adſtringens.

BOLETUS fungus eſt, qui ſubſtantia poroſa gaudet: *Igniarius* L. colore cinereo & carnis majore parte viſui continua & habitu acauli diſtinguitur.

Frequens antiquarum arborum truncis accreſcit.

A longiſſimo retro tempore hujus fungi caro, coctione & malleo emollita, pro fomite igniario inſervit, pro hoc ſcopo ipſi quidam nitrum, quidam pulverem pyrium, quidam plane nihil adjiciunt. Fomitem igniarium, bibulam ſubſtantiam vaſis diſſectis applicare, jam diu in more eſt, ut ſanguinem recipiat, ipſis vaſis arctiſſime adhæreat, & illis tempus, quo ſe contrahere & claudere queant, concedat; Anno 1751. Cl. BROSSARD Chirurgus oppidi Chartres in Ducatu Bituricenſi, munere honorifico & ſtipendio

annuo ab augustissimo Rege fuit donatus, quod eundem, ad sistendam ex præcisis majoribus etiam arteriis hæmorrhagiam adhibere docuerit, sed prolixa quam præcipit fungum præparandi ratio, a vulgari, qua in fomitem vertitur, vix differt: Brossardianum remedium suis observationibus confirmarunt Cl. MORAND, FAGET, WARNER, SHARP, ACRELL, WATSON, MOLINELLUS, RIVERIUS, ROCHARD, CHABRON, DE HAEN, MONTET, ANDOVILLET, FORD, THORNHILL, PARSON, PLENCK &c. varii etiam fungum ex quacunque arbore desumtum efficacem sunt experti; LE CAT ob insignes, quos inde oriri vidit dolores, eum rejicit.

AGRESTÆ SUCCUS vid. *Uvæ.*

BISTORTA Lat. Barb. *Schlangen- oder Natterwurzel.* Recipimus inde Radices, quæ pollicis crassitiem habent, extus profundius rubræ, cum vestigio flavi, transversim rugosæ, incurvæ, interdum aliquoties flexæ, saporis evidenter adstringentis.

Polygonum Bistorta L. BLACWELL 254. Caule simplicissimo monostachyo, foliis elliptico-lanceolatis, petiolis alatis distinguitur.

Crescit in omni Europa, præter magis Septentrionalem.

Tam spiritus vini, quam aqua, ejus principia adstringentia recipiunt, & Extracta multum adstringentia largiuntur. LEWIS. ⅜ Extracti aquosi exhibuit CARTHEUSER.

Recipiuntur hæ radices ad infusa & decocta, quibus valide volumus adstringere, dosis vix ultra sesqui drachmam extenditur, externe quoque ad eosdem scopos in usum trahitur.

* BOLETUS CERVINUS Latin. Barb. *Hirschbrunst.* Est Tuberis genus quod ad magnitudinem Juglandis usque

usque ascendit, exsiccatum sub cortice sicco, tenaci, flavicante, copiosissimum pulverem nigrum includit, odoris & saporis expers.

Lycoperdon Cervinum L. quod sub terra hæreat & farinam includat, distinguitur.

Occurrit passim per Europam, diversissimis figuris ludens.

Primus MATTHIOLUS fabulam, hunc fungum a cervis libidinosis e terra erui, adduxit, eam dein alii magis exornarunt, fingendo eum ex liquore seminali cervorum surgere, unde ad rem veneream facere creditus fuit. Sed omnino præ Bovista nullas alias vires habet.

BOVISTA Barb. *Crepitus Lupi*, *Bubenvist*, *Vesse de Loup*, *Bovist*. Hoc nomine prostat substantia laxa, spongiosa, levissima, ferruginea, odore nullo, sapore adstringente instructa, inclusa fungi generi quod dicitur.

Lycoperdon Bovista L. eo, quod supra terram eminet, extus glabrum est & laciniis irregularibus dehiscit, agnoscendum.

Crescit per omnem Europam.

Ad sistendas hæmorrhagias a longo retro tempore in usu fuit; substantia bibula vulneri applicata sanguinem recipit, vulneri accrescit & illud obturat; Cl. LA FOSSE hæmorrhagias post amputationem femoris in equis ejus ope stitit, naribus quoque sanguinem fundentibus admovetur.

* CUPRESSUS, κυπάρισσος, *Cyprès*, *Cypressen*, inde recipimus Nuces, quas Veteres *Galbulos* dixerunt, Folia & Lignum.

Nuces sunt Coni subrotundi, qui dimissis seminibus, ex squammis clavos referentibus, uni communi axi affixis constant, superne gryseis, inferne rufis, sapore gaudent adstringente, cui aliquid resinosi & salini accedit.

Folia pinnata ſunt, pinnis imbricatis, non raro denuo ſectis, viridia, ſapore reſinoſo adſtringente, nequaquam amaro, inſtructa.

Lignum ſub cortice ferrugineo ex albo flavicat, odore nullo gaudet, nec ego ſaltem aliquem proprium in illo potui detegere ſaporem.

Cupressus. Relativa monophyta, floribus gaudet amentaceis, maribus tetrantheris, feminis ſtylis evidentibus carentibus, nucem angulatam excludentibus: *Sempervirens* L. Blacwell 127. folia imbricata quadrangularia habet.

Græciæ & Aſiæ indigena arbor, noſtræ hyemis quoque patiens eſt.

Galenus fructus ad alvi fluxus laudavit adſtringendi ergo, ſequior ætas eis ad fugandas febres uſa eſt, & in pulverem redactos ad drachmam dimidiam adhibuit, hodie una cum foliis, ipſis minus efficacibus, eviluerunt, æque ac lignum, Hippocrates ramentorum ſuffitum ad morbos uterinos laudat.

Cydonia vid. *Fructus horæi*.

* Equisetum, ἵππουρις, *Prêle*, *Queue de Cheval*, *Katzenwadel*. Hoc nomine proſtant Cauliculi virides, nodis diſtincti, ex quibus prodeunt ſetæ prælongæ cauliculis nonniſi craſſitie cedentes, ſapore gaudent mediocriter adſtringente & leviter ſalino.

Equisetum. Fructificationibus imperfectis clavæformibus, polline fœtis, in ſpicam collectis gaudet: *Arvenſe* L. Blacwell 217. ſcapo folioſo ſterili & foliis prælongis diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam.

Pariſini *Equiſetum hyemale* L. adhibent.

Arabes adſtringentem plantam eſſe reputarunt, hinc a variis Auctoribus ad ſiſtendos alvi fluxus & diarrhœas commendatur, ſed Illuſtri Haller vacca ab ejus uſu diarrhœa periit, evidentius in renes agere

videtur ex obſervatione HOYER, & quod armenta eo paſta, urinam ſanguineam minxerint *Verhandl. der Holland. Maatſchapp.* & in nephritide calculoſa prodeſſe, teſtatur HOFFMANN; ſed eodem ſe mictum cruentum in puella curaſſe DE HELWICH, *Vratislavienſes*, BURGMANN teſtantur. Medicamentum incerti uſus, a quo ego ſaltem reſolventes potius, quam adſtringentes effectus exſpectarem, jure exſolevit.

FRAGARIA vid. *Fructus Horæi.*

FRAXINUS vid. *Amara.*

GRANATUM vid. *Fructus Horæi.*

* HYPOCISTIDIS SUCCUS, χύλος τῆς ὑποκίστιδος, conſiſtentia, colore, ſapore, Succo Acaciæ adeo ſimilis eſt, ut vix ab eodem poſſit diſtingui.

CYTINUS L. Corollam quadrifidam habet, calice diphyllo ſuſtentatam, diploſantheram, monogynam, baccam polypyrenam.

In Europa Meridionali,ad radices Ciſtorum creſcit.

Totus fere in ſpiritu vini diſſolubilis, LEWIS.

Eaſdem cum Succo Acaciæ vires habet.

JAPONICA TERRA vid. *Amara.*

MALVA ROSEA vel ARBOREA, *Roſe tremiere*, *Erndtroſe.* Hoc nomine officinæ recipiunt flores pentapetalos nigricantes, duplici calice ſuſtentatos, odore nullo, ſapore adſtringente præditos.

ALCEA L. BLACWELL 45. Corolla pentapetala regulari,calice duplici,externe ſexfido, interne quinquefido, cincta, polyanthera, monadelpha, monogyna, ſeminibus circa receptaculum commune articulatis agnoſcitur.

Sponte in Aſia creſcit, Seculo XVI demum in Italia innotuit, ex innumeris ejus varietatibus, nigra modo, præ reliquis quippe magis adſtringens, in uſus medicatos recipitur.

Ob vim adſtringentem, qua gaudent, ad gargariſmata, ubi fauces roborandæ ſunt, ſolent aſſumi,

earum ſex drachmæ hoc ſcopo, cum una menſtrui aquoſi libra decoquuntur.

MESPILI vid. *Fructus Horæi.*

* MYROBALANI, *μυροβάλανοι* nequaquam veterum ſed recentiorum Græcorum. Sunt Fructus carnoſi, exſiccati, nucem includentes, ſapore adſtringente præditi. Quinque ſpecies Arabes & Græci recentiores recenſent & officinæ adſervant: *Citrinæ* L. BLACWELL 401, 3. ſunt rotundæ, pollice longiores, ad nigricantem colorem vergunt, utrinque obtuſæ, ſtriatæ, tenaces, amaræ, auſteræ, continent ſub oſſiculo ſcabro, anguloſo, obtuſo, nucleum corneum: *Chebulæ* 401, 2. Citrinis majores ſunt, turbinatæ, ad colorem fuſcum vergunt: *Belliricæ* BLACWELL 401, 1. Nucem moſchatam ſubrotundam referunt, pedunculo inſtructæ, pallidiores: *Emblicæ* BLACWELL 400 antecedentibus minores, figuram habent hexangularem, irregularem, nigricant, potius fruſta quam integri fructus videntur eſſe: *Indæ* BLACWELL 401. 4. quas quoque *Nigras* appellant, ex ovatis oblongæ ſunt, non ſtriatæ, ſed rugoſæ, foris nigræ, intus ſubſtantia quaſi picea refertæ, omnium minimæ.

Omnia hæc Myrobalanorum genera ab eadem arbore ſubminiſtrari, ratione maturitatis maxime differre, olim jam creditum fuit, conf. MESUE, & noſtra ætate autoptis Patribus KERNER, COEURDOUX & BOURDIER confirmatum, ſecus aliis autoptis videtur GARCIA AB HORTO, RUMPH &c. Lis ſolis oculis decidenda, in Europa non poteſt decidi. RUMPH teſte, Emblicam ſubminiſtrat.

PHYLLANTHUS. Planta relativa monophyta, corolla ſexfida non colorata, in maribus trianthera, in feminis trigyna & nectario ornata, capſula triloculari gaudens: *Emblica* L. foliis pinnatis floriferis, caule arboreo, fructu baccato diſtinguitur.

Creſcit in Java, Malacca & Macaſſar.

Primi Arabes hos fructus inter medicamenta receperunt, evidenter adstringentes, ita ut Indi eis pannos imbuant, quo melius pigmenta retineant, & observante ALTSON, cum Vitriolo atramentum efforment, hinc pro corrigenda virulentia purgantium adhibebantur. Multi ex eo, quod Veterum φοινικοβαλάνοις, quibus purgantes vires adscripserunt, cum μυροβαλάνοις Recentiores confuderint, has quoque catharticis adscripserunt; hodie eviluerunt.

MYRTUS vid. *Aromata*.

QUERCUS, δρῦς, *Chêne*, *Eiche*. Inde Folia, Glandes, Gallæ, officinas ingrediuntur.

* *Folia* sunt oblonga, firmula, laciniis pinnatis sinuata, lingua inde multum adstringitur.

* *Glandes*, βάλανοι, *Eicheln* ovato-oblongæ sunt, ventricosæ, continent sub cortice sicco & fragili nucleum ovatum, intense amarum & adstringentem.

Gallæ, κηκίδες, sunt substantiæ rotundæ, tuberculis obsessæ, foramine perforatæ, extus colore albido, rufescente, nigricante instructæ, varia magnitudine ludunt, intus substantia mox fungosa, mox densa & nigra fartæ, saporem habent adstringentem & acerbum; non raro accidit, ut substantia nigricans in proprium corpus colligatur, quod in modum nuclei Gallæ medium a reliqua substantia fungosa liberum occupat.

QUERCUS. Planta relativa monophyta, flores mares hex-ad decantheri in amentum collecti; feminini corollam ex foliolis imbricatam habent, monogyni, capsulam uno nucleo fœtam maturant: *Robur* L. BLACWELL 487. foliis semipinnatis, pinnis obtusis, sinubus acutioribus distinguitur.

Crescit per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem, nec in altiores montes ascendit.

Multum genus *Cynipis* L. insecti quatuor alis membraceis instructi & cujus femella aculeum in cauda habet, genus, teneras quercuum partes suo aculeo perforare; eo ovulum deponere, & ita efficere solet, ut pars vulnerata copiosiores humores accipiat, magis dilatetur, in tumorem excrescat; vermis ex ovulo exclusus, cum ad justum incrementum pervenerit, carcerem erodit & foramen, per quod exierat, relinquit, si autem vermis, antequam potuerit evolare, perit, Galla imperforata manet, & tales olim ὀμφακίδες appellabantur; in usum trahuntur illæ gallæ, quæ ad basin petiolorum hærent, & quarum Cynips colore nigro, pedibus gryseis & femoribus fuscis distinguitur.

Quo calidior est regio, quæ gallas producit, eo ipsæ reputantur meliores, hinc Orientales præferuntur Europæis, & illæ, quæ ex Aleppo adducuntur, reliquis omnibus solent anteponi; pondere, quod multis tuberculis quasi spinosæ sint, diffractæ nucleum fuscum includant, & extus flavæ sint, probantur; gryseas ad nigrum accedentes solent cæruleas appellare.

$\frac{7}{8}$ Extracti aquosi, $\frac{3}{4}$ fere Extracti resinosi exhibuerunt NEUMANN.

Omnes quercus partes, adstringentes vires habere rectissime GALENUS monet,& earum decoctum ad omne genus fluxuum commendat; a foliis autem, præeunte HIPPOCRATE, discutientes effectus exspectat, solis foliis magnum vulnus solidavit RENEALME. Idem GALENUS gallas ad drachmam unam pro dosi, pro fugandis intermittentibus commendavit, quam præpostere autem hic adhibeantur alibi monetur; easdem tanquam medicamentum uterinum externum HIPPOCRATES in usum traxit. Hodie nulla ulterius quercus pars intus propinatur, folia & gallæ ad decocta roborantia externe interdum adhibentur, gallæ, præ-

cipue cum validius adſtringendi mens eſt, cortices ad debilitatem poſt hydrocelen, ad ulcera inveterata & putrida cum ſucceſſu extus adhibitos Cl. PLENK adducit. Glandibus dum primas gentes vixiſſe legimus, id non de *Quercus Roboris* L. fructibus, ſed de ſpeciebus quibuſdam exoticis, quarum fructus edules ſunt, & quarum unam PARCKINSON allegat, erit intelligendum.

* *Aqua deſtillata foliorum* VAL. CORD.

* PENTAPHYLLUM, πεντάφυλλον, *Quinquefolium*, *Quinte feuille*, *fünf Fingerkraut.* Radices inde & Folia recipimus.

Radices ſunt fibroſæ, earum modo cortex, qui rufus eſt, & ſapore evidenter adſtringente gaudet, in uſum trahitur.

Folia in quinque, interdum in ſeptem lacinias ſecta, laciniæ variam magnitudinem habent, viridia, ſerrata, leviter modo linguam ſtringentia.

POTENTILLA. Corolla pentapetala gaudet, calice decemfido ſuſtentata, polyanthera, polygyna & ſeminibus nudis: *Reptans* L. BLACWELL 454. foliis digitatis, caule repente, pedunculis unifloris diſtinguitur: *Anſerina* L. foliis pinnatis, inferne tomentoſis, pedunculis ſolitariis diverſa, a quibuſdam quoque recipitur, priori ratione ſaporis & virtutis medicatæ omnino ſimilis.

Utraque per Europam vulgaris.

Radicem deſiccandi ſcopo GALENUS laudat, adſtringendi ergo interdum ad decocta recipitur; foliorum, quæ leviores vires habent, uſus eviluit.

ROSA, ῥόδον, variarum ejus ſpecierum Flores, aliquarum quoque Fructus recipimus, nec non Excreſcentiam morboſam.

Roſæ rubræ, *Roſes de Provins*, *Eſſig-Roſen* aſſervantur petala, calice, qui Veteribus *Alburnum* dicebatur, exempta, nondum expanſa, quæ κάλυκες Veteres dixerunt, & unde ungues reſecti ſunt, profundius ru-

bra, odorata, ſapore adſtringente inſtructa; deſumi proprie debent de

Rosa. Corolla pentapetala regulari inſtructa, calice quinquefido ſuſtentata, polyanthera, polygyna, calice in fructum carnoſum umbilicatum abeunte gaudente: *Gallica* L. quæ floribus ſolitariis, calicis foliis ſex paribus pinnarum inſtructis, petiolis & pedunculis aculeis mollibus obſeſſis diſtinguitur; ad vicum Provins non procul Pariſiis occurrit.

Sed ut plurimum inter nos ſaltem & in Germania ſubſtituuntur flores *Roſæ ſativæ rubræ* C. B. BLACWELL 78. cujus calicis folia, paucioribus pinnis inſtruuntur, & flores congeſti præcedente minores ſunt & minus ad nigredinem vergunt.

In hortis & ad vicum *Mittel-Hausbergen* ad vineta colitur.

Roſarum pallidarum, bleiche Roſen, leibfarbene Roſen nomine, petala variarum Roſarum ſpecierum, quæ colore rubro dilutiore gaudent aſſervantur, odore ſuavi nares feriente gaudent, ſapore dulci, cui aliquid adſtringentis accedit.

Roſa Damaſcena L. BLACWELL 82. floribus congeſtis, ex albo rubellis, calicis laciniis tribus, totidem paribus pinnarum laciniatis, & pedunculis ſpinoſis diſtincta & *Roſa Centifolia* L. præcedente major & petalis magis rubris inſtructa.

Utraque in hortis colitur, ultima verſus finem Seculi XVI innotuit.

Roſæ albæ petala, colore albo, nec non odore remiſſiore, ab antecedentibus differunt; apud Pariſinos petala minora ſunt, gratiſſimo odore inſtructa.

Roſa alba L. BLACWELL 73. flores congeſtos, tres lacinias calicis pinnatas, & pedunculos ſpinoſos habet. Pariſienſes adhibent *Sempervirentem* L. floribus racemoſis, calice oblongo, hirſuto, reflexo agnoſcendam, Galliæ Meridionalis civem, & quæ

in noſtris hortis culta contra graviores hyemis rigores defendenda eſt.

* *Roſæ Rubræ vulgares, gemeine oder Zucker-Roſen* Wurtemberg. dilutius rubent, odorem multum fundunt, ſaporem dulcem, cum levi adſtrictione habent.

Roſa Canina L. BLACWELL 8. calicis cylindracei folia reflexa, ejus tres lacinias pinnatas, flores congeſtos, pedunculos molles habet.

Creſcit per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem.

Ab hoc ultimo frutice etiam deſumuntur *Fructus*, *κυνόσβατοι*, *Cynoſbati*, quibus vocibus autem non raro Veteres Ruba indigitarunt: *Cynorrhoda*, *Hagenbutten* vel *Butten* ſimpliciter; qui aſſervantur ſecundum longitudinem bipartiti, ſeminibus & hirſutie, quibus a natura obſidentur, privati, carnoſi, ex purpureo nigricantes, leviore odore & ſapore inſtructi: Cupediarii recipiunt fructus *Roſæ villoſæ* L. cujus folia utrinque levi villo obſidentur, fructus reliquis multo majores ſunt & ſpinulis obſeſſi, paſſim in hortis cultæ.

* *Fungus Roſarum*, *Spongiola*, *Bedeguar* Barb. *Schaffkuntzen*, *Schlaffapfel*: Subſtantia rotunda, intus cava, variis ſinibus inſtructa, ornamento retiformi cincta, coloris roſei, ſaporis & odoris nullius. Eſt excreſcentia, eodem modo ac galla quercus efformata, a *Cynipe Roſæ* L. abdomine ferrugineo, poſtice nigro & pedibus ferrugineis gaudente.

Flores Roſarum pallidarum $\frac{1}{2560}$ olei odorati albi, in aëre temperato ſpiſſi largiuntur *Inſt. Chem.* Ejuſdem $\frac{1}{2133}$. CARTHEUSER; partes gummoſas majori in quantitate continent quam reſinoſas, LEWIS.

Vario ex principio Roſæ in corpus humanum ſolent agere, ob fragrantiam, qua pollent, vim nerveam excitant, analepticas vires edunt & ad refocillandas vires adhibentur, ſed ob eandem fragrantiam etiam caput turbare, ſyncopes excitare, ſunt obſervatæ, a

SCHENCK, HOEER, LEMERY, LEDEL, HÜNERWOLF, KHON &c. cum Rosæ pallidæ præ reliquis fragrantiores sint, hinc illas maxime analeptico scopo adhibemus; eædem cum succum saponaceum largiorem habeant, hinc resolvendi & alvum leniter ducendi ergo adhibentur, hoc scopo, recentium manipulus, siccarum pugilli duo, cum menstruo aquoso infunduntur, Nostrates eas uti flores acaciarum vel persicorum solent exhibere. Rosæ rubræ, quas solas Veteres in usum traxerunt, cum Arabes pallidas demum receperint, evidenter, vel sapore teste, adstringunt, & non bene a GALENO dicuntur relaxare, usurpantur tam intus, quam extus ad partes roborandas vel evacuationes moderandas, extus præterea ad scopos discutientes adhibentur. Rosas albas a vi ophthalmica maxime solent laudare, nescio quo jure.

Fructus Cynosbatos vim urinam pellendi possidere & hinc in nephritide & hydrope proficuos esse BORELLUS, SCHELHAMMER, RIEDLIN, REISEL, Cl. HOEER &c. observationibus probant.

Spongiolæ vires diureticas, adstringentes, somniferas, antilyssas, cum nulla fida observatio probaverit, hinc ejus usus eviluit.

Aqua Rosarum primum ab Arabibus memorata, ob fragrantiam, qua pollet, scopo analeptico in usum trahitur, aliis quoque medicamentis gratiæ ergo adjicitur; *Aquam Rosarum albarum* VAL. CORD. ad collyria præcipue recipiunt: * *Aqua destillata ex Rosis rubris* VAL. CORD. optime caremus, æque ac *Aquis destillatis ex calycibus* Paris. * *Oleum destillatum Rosarum*, quod tanquam medicamentum summe vires reficiens HOFFMANN extollit, ipso cum oleum Cinamomi omnino præstet, hinc pretiosum nimis medicamentum vix præscribitur: *Oleum Rosarum per infusionem* MESUE illud Parisini tam ex Rosis rubris, quam ex pallidis jubent prostare, Wurtembergenses & Nostra-

tes non male pallidas præscribunt, minus bene coctione jubetur parari; medicamentum jam ab HOMERO memoratum, ab HIPPOCRATE ad morbos uterinos commendatum, multum ad dissipandas inflammationes a GALENO laudatur & hoc scopo hodie adhuc adhibetur: *Ceratum refrigerans* GALENI vid. *Cera. Unguentum Nutritum* vid. *Plumbum*: *Unguentum Rosarum* MESUE a COSTÆO correctum adhuc simplicius redditum Paris. & Wurtemb. recipiunt, omnes minus bene coctionem præcipiunt; in nostris officinis receptum est, axungiam porcinam cum aqua rosarum lotam, cui aliquot guttas olei citri aut jasmini adjiciunt, sub nomine *Unguenti Pomati* asservare, pro unguento rosato adhibere & scopo cosmetico maxime usurpare: * *Unguentum Rosatum simplex* Viennens. perplacet ad usus cosmeticos: * *Mucharum Rosarum Damascenarum* MESUE hodie eviluit, cum pharmacopolæ justo tempore eam ex recentibus Rosis parant Syrupi quantitatem, quæ ipsis per annum sufficit: *Tabulæ seu Rotulæ Manus Christi* GUAINERI veteres Margaritas addiderunt, Wurtembergenses matrem perlarum, hinc etiam * *Saccharum perlatum* dicuntur, SYLVIUS eas *Saccharum Rosatum* vocavit: * *Syrupus Rosatus simplex* VAL. CORD. vix differt a * *Syrupo Rosarum solutivo* AVICENNÆ, & est *Syrupus e Rosis pallidis* Paris. * *Syrupum de Rosis solutivum* MONTANI correctum sub nomine *Syrupi de Rosis pallidis cum Senna & Agarico* receperunt Parisini, cum hujus medicamenti integræ unciæ, foliorum sennæ unus circiter scrupulus, & dimidius Agarici respondeat, quorum vires evacuantes, etiam carminativis, quæ præterea recipit, infringant, hinc vix antecedente validius alvum ducit: *Julepus Rosarum* AVICENNÆ, *Syrupi Alexandrini* nomine in Gallia maxime olim venit, gratiæ ergo adjicitur medicamentis: * *Electuarium de Succo Rosarum* MYREPSI Parisini sub forma

tabellarum aſſervant, inconcinnum medicamentum; quod ob Diagrydium, quod vehit, alvum movet, ad unciam dimidiam, pro doſi præſcribitur: * *Spiritus Roſarum* Wurtemberg. & Pariſin. per fermentationem, a Noſtratibus abſtractionis ope paratur: * *Conſerva Roſarum pallidarum* SCHROEDER. alvum ducendi ergo aſſumitur: *Conſerva Roſarum* a MESUE ſub nomine *Sacchari* præſcribitur, Latino Barbari, qui primi Conſervæ nomen effixerunt, tres partes ſacchari receperunt, a SYLVII temporibus duas modo partes adjiciunt: Pariſini ad modum MANARDI & COSTÆI ſuccum roſarum per ſetaceum trajectum cum ſaccharo in conſiſtentiam tabulandi cocto miſcent & ſic conſervam molliorem parant; vix differre Pariſienſium * *Conſervas Roſarum rubrarum omni tempore parandas* patet; hoc medicamentum roborandi ergo crebro adhibemus, id cum AVICENNA multum phtiſicis commendaverit, hinc per longum tempus ad hunc morbum fuit laudatum: aliquot guttas ſpiritus vitrioli adjiciendo, eam magis adſtringentem reddunt & * *Vitriolatam* SCHROEDERI dicunt: * *Saccharum Roſatum* MANARDI cum pulvere florum loco ſucci hodie paratur, Pariſini illud *Conſervam Roſarum rubrarum ſolidam* dicunt, & præeunte ZWOELFFER, leviſſime acidulum reddunt, parciſſima cum in eo ſit Roſarum ratio, hinc præter odorem, vix aliud quid roſis proprium inde poteſt expectari: * *Syrupus de Roſis ſiccis* a MESUE ſub *Julepi* titulo adducitur, eſt ὑδροῤῥόσατον AETII, qui pro more ſui temporis mel recipit, optime placet præſcriptio Wurtembergenſium: *Mel Roſarum*, *Rhodomel* PALLAD. denuo Wurtembergenſium ratio reliquis videtur præferenda eſſe, cum Pariſini loco aquæ decoctum calycum recipiant, hinc medicamentum magis adſtringens accipiunt; utimur eo frequenter, ubi ſine nimia partium relaxatione abſtergere volumus, vulgo ad morbos oris.

& faucium adhibetur : * *Mel Rofarum laxativum* WELSCH ad clyfmata olim adjiciebatur : *Acetum Rofarum* NICOL. PRÆPOS. ob vires fragrantes naribus eorum, qui deliquium patiuntur, folet admoveri, fcopo cofmetico quoque in ufum trahitur : *Tinctura Rofarum* SCHROEDER Wurtembergenfes eam acidiorem reddunt, Noftrates, ipfi non levem quantitatem facchari adjiciendo, julapium faciunt; fallendæ fitis & virium reftaurandarum ergo adhibetur : *Rob Cynosbati* SCHROED. *Conferva Cynarrhodon* Parif. ob gratiam vel menfis fecundis imponitur.

SANGUIS DRACONIS Barb. *Sang de Dragon*, *Drachenblut*. Eft Refina quæ in variis maffis ad nos adducitur, coloris fanguinei, odoris & faporis fere expertibus, non tenacibus, & quæ accenfæ non ingratum fuffitum emittunt.

Optimus in maffis, quæ Juglandis magnitudinem habent, ad nos vehitur & colore fanguineo probatur; hunc fequuntur tales, quæ nucem myrifticam æquant, tegminibus junceis involutæ, in modum articulorum inter fe nexæ; evidentiffime fpuriæ funt, quæ fub forma tabularum proftant, & figura gaudent, qua fatis fuperque patet, quod fufionem fubierint, & odore heterogeneo, mangonium produnt.

Varium in Oriente, æque ac Occidente occurrit arborum genus, quod hanc refinam fundit; de quo optime Cl. CRANZ meruit : triplex ad nos fpectat.

DRACÆNA. Corolla fexpartita, ifanthera, monogyna, erecta; bacca triloculari gaudet : *Draco* L. caule arboreo, foliis fubcarnofis, apice fpinofis, diftinguitur. Crefcit in Canariis & paffim in Oriente. *PTEROCARPUS* Corollam papilionaceam habet, calice quinque dentato fuftentatam, legumen fubrotundum, oblongum, planum; femina appendiculata includens. Indiæ & Americæ civis. *CALAMUS*. Corolla hexaphylla nuda, ifanthera; monogyna, fructu drupa monofperma, agnofcitur. Indiæ proprius.

Occurrit in India.

Obtinetur tam arbores vulnerando, quam fructus cum aqua coquendo & ita resinam inde eliciendo.

Vix in aqua, multo largius in spiritu vini & oleis solubilis. LEWIS. Non levia argumenta suadent, hanc resinam non esse κινάβαρι DIOSCORID. ideo verosimile est, eam demum ab Arabibus in usum receptam esse.

Laudatur a vi adstringente, absurdissime in casu ab alto commendatur, rarius intus datur, adhibetur præcipue ad dentifricia.

* SUMACH Græc. Recent. ῥοῦς, *Rhus*, Prostant ejus fructus exsiccati, racemo adhærentes, rubri, multo villo obducti, includentes semina nigra, acido & multum adstringente sapore prædita.

RHUS. Corollam pentapetalam habet, calice quinquefido sustentatam, isantheram, trigynam, baccam monopyrenam: *Coriaria* L. BLACWELL 486 & 541. foliis pinnatis, obtuse serratis, subtus villosis distinguitur.

Crescit in Europa Meridionali & Oriente, nostras hyemes impune fert.

Rami teneriores cum foliis comminuti, in tabernis prostant pro usibus tinctoriis, integros agros eo apud Hispanos conseri, ut semper sufficiens ejus copia pro parando corio prostet, CLUSIUS testatur. Semina ad præcepta GALENI tam intus quam extus, cum valide adstringendi animus est, adhibentur.

TERRA CATECHU vid. *Amara*.

THEA Recent. Hoc nomine ad nos adducuntur Folia varie contorta, variæ magnitudinis, colore mox læte viridi, mox profundiore instructa, sapore plus minus adstringente, odore vel rosas vel violas spirante.

Plurimæ ejus in commercio prostant species, quæ ad duo genera *Viridem* nimirum & *Boe* reducuntur: illi folia sunt viridia, violas redolentia, aquam cum qua infunduntur virescente colore tingentia, huic

folia minus contorta, quorum color magis ad nigredinem vergit, ſapore gaudent magis adſtringente, roſas ſpirant, infuſum cum martialibus nigreſcit.

THEA L. BLACWELL 351, 352. ex obſervatione Cl. LETTSOM Corolla ſexfida gaudet, calice quinquefido ſuſtentata, polyanthera, trigyna, capſula tricocca.

Creſcit in China Septentrionali & Japan.

Folia tenella exquiſitiſſima eſſe, eorum triplicem meſſem fieri, ea, quæ ultima meſſe colliguntur, reliquis viliora eſſe, omnia ſupra laminas ferreas ignis ope exſiccari, aſſerunt autoptæ, inter quos TEN RYNE & KÆMPFER præcipui ſunt, a vario igitur collectionis & exſiccationis modo variam bonitatis Theam ſurgere facile liquet; his ſi addimus, folia a frutice ſylveſtri æque ac culto colligi, eundem cum per longum tractum terræ obtineat, pro varia regione differentia folia exhibere, id quod etiam itineratores teſtantur, varia præterea mangonia his foliis addi, non mirum, eundem fruticem adeo multum inter ſe differentia foliorum genera nobis præbere, quæ melius ex odore & ſapore, quam denominatione, dijudicantur. Ut autem omnem Theæ gratiam poſſimus experiri, requiritur, ut eam juſta doſi, in aqua optimæ notæ, exquiſite ebulliente, per aliquot modo minuta infuſam, ex vaſis porcellaneis ſorbeamus.

Aqua a foliis Theæ abſtracta omnem ejus odorem recipit. LEWIS. Extracti aquoſi, amari, ſtyptici, adſtringentis $\frac{3}{4}$ fere obtinuit LETTSOM. $\frac{7}{12}$ Extracti aquoſi & $\frac{7}{17}$ Extracti ſpirituoſi NEUMANN.

Folia Theæ anno 1666 primum in Europam allata, ex eo tempore gratia, qua pollent, adeo ſe commendarunt, ut quotannis eorum circiter quinque milliones librarum ad nos advehantur, multum ad eorum famam contribuit, quod mox poſtquam in Europa innotuerunt, BONTEKOE & WALDSCHMID auctori-

tate fuerint ſuſtentata. Plurima & in laudem & in vituperium eorum dicta ſunt & litteris evulgata; ea principio odorato, quo ſcatent, aliquem ſtimulum excitare poſſe, unde in quibuſdam propria ſymptomata ſurgunt, & quorum non pauca Cl. LETTSOM collegit, non inficias eo, hunc ſtimulum autem in aſſuetis negligi poſſe innumeris exemplis nixus, certus ſum, & mihi in univerſum videtur, pro illa, qua Thea vulgo aſſumi ſolet, ratione, effectus, qui ejus uſum ſequi obſervantur, aquæ calidæ potius, quam foliis adſcribendos eſſe.

TORMENTILLA Radices nobis ſiſtit nodoſas, tuberoſas, ex omni ambitu copioſas fibrillas emittentes, extus ferrugineas, intus pallide rubras, ſapore evidenter adſtringente inſtructas.

TORMENTILLA. Corollam tetrapetalam regularem habet, calice octofido ſuſtentatam, polyantheram, polygynam, & ſemina nuda: *Erecta* L. BLACWELL 445. caule erecto & foliis ſeſſilibus agnoſcitur.

Creſcit per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem.

Maxima ſtypticitas in Extracto ſpirituoſo hæret, decoctum aquoſum turbidum fit & partes reſinoſas ad fundum dimittit; LEWIS. Extracti reſinoſi $\frac{3}{8}$ circiter, aquoſi $\frac{5}{8}$ fere, lenius adſtringentis inde obtinuit NEUMANN; $\frac{1}{4}$ Extracti aquoſi valde adſtringentis CARTHEUSER.

Adhibetur ejus decoctum tam intus quam extus in omnibus affectibus, ubi validiora adſtringentia indicantur, vires alexipharmacas, quas ſuperioribus ſeculis ipſi adſcripſerunt, experientia non confirmavit; ejus uſum ad rem coriariam, apud Feronenſes, teſte BARTHOLINO, obtinentem, confirmant experimenta recentiora.

* *Extractum* VAL. CORD.

UNA

Uva Ursi Clusii, qui hanc plantam, & quidem non ſine veri ſpecie, τὴν ςαφυλὴν ἄρκ Veterum eſſe reputavit, *Bouſſerole*, *Steinbeer*; exhibet Folia parva, ovato-oblonga, ad finem evidentius anguſtata, glabra, duriuſcula, ſuperne viridia, inferne pallida, integerrima, evidenter cum quadam amaritie adſtringentia.

Arbutus. Corolla ovata, quinquefida, ſimili calice exiguo ſuſtentata, decanthera, monoſtyla, bacca rotunda, ſuperne leviter compreſſa & puncto notata, quinqueloculari agnoſcitur: *Uva Urſi* L. Caulibus procumbentibus & foliis integerrimis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, calidiore quoque.

Exhibet Extracti aquoſi valde amari & adſtringentis $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi intenſe amari, paulo plus quam aquoſi, Murray.

Primos Medicos Monſpelienſes ejus vires ad vitia viarum urinariarum celebraſſe, teſtatur Illuſtris Linnæus, eaſdem novis & multis obſervationibus confirmarunt Editor *Formul. Medic.* Barbeyrac, Werlhoff, Cl. Vogel, Taube, Pallas, de Haen, Quer, Murray & Girardi, qui ultimus etiam multis experimentis ejus vim calculum ſolvendi probare annititur. Datur foliorum pulvis ad drachmam unam uſque, quater de die, vel drachmæ duæ decoquuntur cum una aquæ libra pro doſi.

β. *Fossilia.*

Alumen, Στυπτηρία, *Alun*, *Alaun*. Eſt Sal in magnas maſſas concretus, ex cryſtallis polyedris, majoribus efformatus, evidenter linguam adſtringens, calore intumeſcens & pelluciditatem deponens, trigecuplo circiter aquæ ſolubilis, ſuccorum vegetabilium colorem non mutans, dum in aqua funditur aliquid frigoris gignens.

Reperitur Alumen ſive Nativum, & tale Veteres præcipue in uſum traxiſſe videntur, ſive ope artis ex

propriis glebis eductum. De Nativo Veteres plures ſpecies adducunt, quas & a conſiſtentia & figura diſtinxerunt: *Liquidum* erant illis aquæ, quæ Alumen in majore quantitate vehunt, tales in Europa nullæ hodie notæ ſunt, TOURNEFORT in inſula Melos, GMELIN in Sibiria detexerunt: Alumen ſponte efflorefcens, cum varias figuras aſſumat, *Schiſti* ſeu *fiſſilis*, *Trichitis* ſive *plumoſi*, *Strongyli* ſive *rotundi* meminerunt, quia autem etiam vitriolum ex pyritis reſolutis exſudans, album colorem & adſtringentem ſaporem habet, hinc valde ſuſpicor, hoc ſæpe cum illo fuiſſe confuſum. ALBERTUS MAGNUS primus *Aluminis petroſi*, quod hodie vulgo proſtat & ab Italorum voce *Rocca* denominatum fuit, mentionem fecit; rudibus his ſeculis quaſdam etiam gypſi ſpecies Alumini annumerabant, quia eorum figura ad Rupeum accedit & a forma ſquammoſa, Italica vernacula *Scagliæ* ſive *Scajola* appellarunt; Alcali fixum quoque Alumen dixere & illud *Catini* epitheto diſtinxerunt, imo lapidem Amiantum pro Alumine ſciſſili vel plumoſo exhibere cœperunt.

Omne quod hodie in tabernis proſtat Alumen ex propriis glebis paratur, quæ ſunt 1) Selenites ſpecies, ex flavo gryſea, quæ calcinata demum, unde rubra evadit, alumen edit, occurrit Tolſæ ad Centum cellas, Alumen inde paratum a *Roma* denominatur & aliquid rubedinis habet, BRASSAVOLÆ jam memoratum, ratio illud parandi optime a Cel. FOUGEROUX DE BONDAROY deſcribitur. 2) Carbones foſſiles ſive integri, ſive reſoluti 3) Lignum foſſile 4) Pyrites (5 Ardeſiæ 6) Turfæ.

Glebæ Aluminis ſatis copioſe per omnem Europam occurrunt.

Alumen ex ejus glebis ſeparaturi, glebam juſto caloris gradui exponunt, ut acidum in ſubſtantiam, cum qua in alumen concreſcat, agere poſſit, ſal hac

ratione ortus, elixivationis ope extrahitur, cum autem experientia docuerit, acidum terra aluminis ſaturatum difficilius in cryſtallos abire, niſi aliquod alcali ipſi adjiciatur, hinc lixivio ſive urinam putridam ſive lixivium cinereum addunt; glebæ, quæ aëri expoſitæ alumen exhibuerunt, denuo poſt aliquod tempus novum largiuntur, non quod acidum ex aëre hauſerint; ſed quod acidum, quo ſcatent, & quod in motum actum fuit, denuo terram alumini propriam diſſolvit. Alumen Romanum præ reliquis puriſſimum eſſe reputatur, ſed etiam urina ipſi adjicitur teſte Cl. FERBER.

Alumen ultra dimidium ſui ponderis aquæ, $\frac{1}{6}$ acidi & $\frac{1}{4}$ terræ vehit: acidum idem eſt cum eo, quod in vitriolo obtinet, terra ab omnibus reliquis differt, non eſt argilla, ſed in argilla occurrit, & ipſi proprias ejus qualitates largitur. MARGGRAFF.

Alumen valide adſtringere ab omni tempore notum fuit, hinc externe tàm ad ſiſtendas hæmorrhagias, quam etiàm ſcopo diſcutiendi magno ſemper fuit in uſu, ad medicamenta ſtomachica quoque fuit adhibitum; recentiores quoque illud intus exhibere cœperunt, & ad grana octo vel decem pro doſi propinare, primus MYNSICHT illud cum dimidia ratione ſanguinis draconis miſcuit & ſub nomine *Aluminis tincti* ad febres & alvi fluxus commendavit, HELVETIUS partibus quatuor aluminis unam ſanguinis draconis adjecit, inde pilulas formavit & eas ad drachmam dimidiam uſque in omni hæmorrhagiæ genere cum ſucceſſu dari, affirmavit: CULLEN ab alumine cum aromatibus mixto & ante paroxyſmum exhibito febrem intermittentem vidit curatam.

* *Alumen Saccharinum* BRASSAVOLÆ eſt Alumen cum aqua Roſarum & albumine ovorum in parvas pyramides efformatum, id quod Wurtembergenſes habent, validius adſtringit & repellit, in collyria anti-

phlogiſtica, multa aqua dilutum recipitur: *Alumen uſtum* DIOSCORID. cum in eo validum acidum nulla ulterius aqua diluatur, hinc vires rodentes edit; & in crebro uſu eſt ad carnem luxuriantem conſumendam, cui ſub forma pulveris ſolet inſpergi: * *Alumen tinctum* MYNSICHT: * *Spiritus Aluminis* a ſpiritu Vitrioli non differt: * *Aqua Aluminis* Pariſ. eſt ſolutio drachmæ unius aluminis, in libra una aquarum deſtillatarum inertium.

BOLUS, βῶλος. Utraque vox demum Seculo XV pro denotando proprio terræ genere cœpit adhiberi, cum græca vox qualemcunque terræ glebam denotet: recentior ætas argillas, quæ aliquid unguinoſi ſenſibus exhibere videntur, mox Bolorum, mox terrarum ſigillatarum nomine comprehendit.

* *Bolus Alba* ſub forma fruſtorum majorum, oblongorum, trium pollicum longitudinem & duorum latitudinem & craſſitiem æquantium inter nos proſtat, albus & evidentius pinguis.

Ex Germania nobis mittitur.

* BOLUS ARMENA, *Argilla bolus rubra* L. *Argilla Lemnia* L. quem & *Orientalem* dicunt, eſt Argilla indurata, quæ pallide rubrum colorem habet, tactu pinguis & glabra. Diverſiſſimas terras ſub hac denominatione venire, rectiſſime LUDWIG monet.

Ex variis Europæ locis ad nos adducitur.

* *Bolus Rubra*, *Argilla bolus rubra* L. ſub fruſtis albæ ſimilibus, magis ſiticuloſis & pinguibus, paulo brevioribus & rubris ex Germania ad nos advehitur.

* *Terra Lemnia*, pro ea, diverſiſſimas omnino terras in officinas accipiunt, notante LUDWIG, ea, quæ vulgo proſtat, ab illa PLINII & GALENI, quam in modum rubricæ uberrimam eſſe dicunt, eſt diverſiſſima Poſſideo fruſta, quæ omni dote conveniunt cum *Marga Lemnia* d. LUDWIG & quæ a ſeplaſiariis ſub

nomine *Terræ Lemniæ in Sorten* accepi: ea, quæ ſub *Electæ* titulo proſtat, efformatur a bacillis oblongis, cum admixta rubedine flavicantibus, ſuperficie pulverulenta digitos tingente inſtructis, eorum dorſo ad pauca intervalla varia ſigna impreſſa ſunt; ſed ſub hoc nomine etiam maſſæ informes, flavæ, quibus rubedo accedit, juglandis circiter volumen æquantes proſtant.

* *Terra ſigillata alba* tribus montibus, quibus arbores aſſident, ſive pluribus arboribus & propriis inſignibus notata eſt, in parvos cylindros efformata, alba, digitos inquinans.

* *Terra ſigillata alba Goldbergenſis*, *Argilla Bolus alba* L. cylindrum aliquot lineas altum, ſuperne & inferne planum refert, uni ejus baſium aquila tribus montibus inſiſtens & titulus impreſſa ſunt, ab albedine ſplendente, qua gaudet, *Axungia Lunæ*, & a Ducatu in quo Goldberg occurrit *Terra Ligniceuſis* quoque dicitur, a BERTHOLDO AB OSCHATZ, qui verſus finem Seculi XVI floruit, primum celebrata.

* *Terra ſigillata alba Turcica* ſiſtit trochiſcos convexo-planos, læves, ut nec ſplendor iis deſit, multum ſiticuloſos, in facie plana characteribus arabicis notatos.

* *Terra ſigillata rubra.* In maſſis terra ſigillata alba parum majoribus adducitur, colorem dilutius rubrum habet, tres ipſi arbores inſculptæ ſunt e regione montium poſitæ, illis luna dimidiata, his ſol imminet, inferne nomen inſcriptum eſt.

* *Terra ſigillata rubra Turcica* ſolo colore, qui dilutius rubet, a cognomine alba diſtinguitur.

* *Terra Sileſiaca gryſea* ſeu *ſublutea*, *Argilla bolus flava* L. ſub eadem ac terra ſigillata alba facie ad nos adducitur, tactu rudior, Strigæ erui dicitur; primus MONTANUS eam circa annum 1570 in uſum trahere cœpit.

Omnes, quas hactenus recenſui, terræ, ſunt argillæ, hinc in aqua non ſolubiles, & ideo fruſtra qualeſcunque

etiam inde in ſecundas vias expectantur vires, præterea non perſpicio, quid boni corpora, in nullo menſtruo ſolvenda, in primis viis debeant præſtare, potius intestina obſtructum, debilitatum, oneratum itura prævideo. Superſtitio terram Lemniam commendabat gentilibus, tanquam ſpecificum contra morbos malignos & venena remedium, eidem bolum Armenum accedere credebant; his a patribus acceptis fabulis, per multam ſeculorum ſeriem tanquam oraculis adſtipulabantur; rationes dein politicæ & aliæ innumeras Europæarum terrarum ſpecies, ſacris Veterum terris ſimiles, deprædicare ſuaſerunt; Chemicorum ſecta novam illis ipſis auctoritatem conciliare non dubitavit, cum aurum aut argentum vehere, & inde eminentibus omnino viribus imbui, reputarint. Magnum omnino erat opus, corpora a longiſſimo retro tempore laudata, commendata & præſcripta, a Medicis æque ac a vulgo magni habita, inertia eſſe evincere, ſed tandem ratio vicit & prudentiores eas vix ulterius præſcribunt. Qui aliquem adhuc earum defenſionem ſuſcipiunt, ſive a latente in eis acido vires refrigerantes expectant, ſive roborantes a colorum principio martiali, ſed cur ſubſtantiis dubiis, quæ non poſſunt non primis viis incommodo eſſe, in tanta certiorum & ſecuriorum refrigerantium & roborantium copia noſtros ægros onerabimus?

Extus dum imponuntur vulneribus, paſtam formant, ea obturantem & hæmorrhagiam ſiſtentem, ſed in hoc quoque caſu habemus remedia & certiora & quorum uſum minora mala ſequuntur.

CALAMINARIS LAPIS vid. *Zincum.*

CERUSSA vid. *Plumbum.*

LITHARGYRIUM vid. *Plumbum.*

MAGNES LAPIS vid. *Ferrum.*

MUMIA vid. *Bitumen.*

OSTEOCOLLA vid. *Absorbentia*.

PLUMBUM, μόλιβδος, *Plomb*, *Bley*. *Plumbum nigrum* Veterum. Est Metallum imperfectum, cujus dolor ad nigredinem vergit, mediam inter mercurium & argentum densitatem habet, omnium corporum metallicorum mollissimum, 550 gradu Farenheitiano fundendum; ab aqua, omni acido & alcali, nec non ab oleis unguinosis solubile, cum omni metallo, præter ferrum, colliquandum.

Nunquam Nativum obtinet, sed occurrit sub forma I. Terræ 1) informis A. cohærentis *Terra Plumbi* WALLER. hæc sub variis coloribus reperitur, B. laxæ *Cerussa Nativa* CRONST. 2) Crystallisatæ (A) spathiformis *Spathum plumbi* CRONST. *Plumbum spathosum* L. (B) prysmaticæ *Plumbum crystallisatum* L. α) albæ a) pellucidæ, *Minera Plumbi spathacea pellucens* WALLER. b) opacæ *Minera Plumbi spathacea ramosa* WALLER. β) viridis *Plumbum virens* L. hoc acido salis efformari & vix vestigium cupri vehere sum expertus. γ) Rubræ *Plumbum Rhombeum* L. hæc rarissima ad Catharinæburg occurrit. II. Mineræ A. in cubos efformatæ, *Galenæ* Auctorum B. sub forma molecularum vix visibilium matrici inclusæ *Galena mineralisata* WALLER *Plumbum pauperum* L. C. texturæ striatæ α) fibris continuis *Plumbum Stibiatum* L. *Plumbago* WALLER. *Bleyschweif*. β) fibris contiguis *Galena striata* WALLER. *Plumbum Basalticum* L.

Mineræ Plumbi satis copiose per Europam occurrunt.

GALENUS plumbum scopo repellendi & exsiccandi multum commendat, sed etiam observat ab eodem intus sumto, dysenteriam oriri: DIOSCORIDES singultum, tussim, linguæ ariditatem, extremorum refrigerationem cum mentis alienatione & motus difficultate, nec non ventri & intestinis gravitatem cum magnis torminibus inde afferri, intestina, vulnerari & urinam supprimi: similia fere AVI-

CENNA tradit; FERNELIUS dyſenteriam cum graviſſimis doloribus ventris, & ſubſequente ictero inde ſurrexiſſe vidit; TIMÆUS A GULDENKLEE vehementiſſimos inteſtinorum dolores, cum præcordiorum anguſtiis, membrorum tremore & articulorum debilitate ejus uſum excitaſſe deprehendit. Magna præterea teſtium nubes peſſimos a plumbo intus aſſumto effectus ſurgere & viderunt & monuerunt, inter quos RHODIUM, BORELLUM, JÆGERSCHMID, GOECKEL, CUMENIUM, DETHARDING, COHAUSEN, VICARIUM, HENCKEL, HOFFMANN, BOERHAAVE, Illuſtres TRONCHIN, TRALLES & PERCIVAL nominaſſe ſufficiat, plures adhuc ab ALSTON & Celeb. TRILLER adducuntur, patet his obſervationibus a Plumbo, & qualicunque ejus præparato, imo vel ſolo fumo, peſſimum colicæ genus, quod a Pictonibus denominant, excitari, minori autem doſi corpori ingeſto, atrophiam gigni, eo citius maraſmum inducturam, quo plura vaſa lactea fuerint obſtructa. Tot documentis de triſtibus hujus metalli affectibus proſtantibus, miramur omnino dari adhuc Medicos, qui ejus uſum internum defendere nitantur.

Externe applicatum roborandi, diſcutiendi, exſiccandi ergo cum magno ſucceſſu adhibetur, Cl. GOULARD maxime, illud in diſcutiendis inflammatione & eryſipelate, detergendis ulceribus, curandis cancris nec non morbis a relaxatione ligamentorum oriundis, leniendis doloribus rheumaticis, tollendis morbis cutaneis, ſanandis herniis incarceratis, auferendis morbis venereis topicis, valens multum vidit.

Quædam de Plumbo præparata proſtant, quæ non modo ad medicinam, ſed etiam ad varias artes faciunt, nimirum

Ceruſſa, *ψιμύθιον*, *Bleiweis*. Eſt Plumbum ope aceti in calcem albam eroſum, ejus parandi ratio jam apud THEOPHRASTUM occurrit, illam, quæ Roterodami obtinet, ALSTON deſcribit: ejus triplex genus

hodie proſtat: *Veneta* nimirum, quæ ſub panum conoideorum forma, charta cærulea involutorum, ad nos adſertur; *Belgica* in majores panes efformata & laxius charta cincta eſt, hæc pauciſſimum calcis plumbi, multum terræ albæ calcareæ vehit: *Blanc de Plomb*, *Schieferweis*, lamellas albas friabiles ſiſtit, præ reliquis ſinceriſſima.

Ceruſſam HIPPOCRATES utero inflammato commiſit.

Lithargyrium, *Spuma Argenti*, λιθάργυρος, *Litharge*, *Silberglætt.* Veteres omnem fæcem, quæ argento aut plumbo, dum funduntur, ſupernatat, hac voce videntur indigitaſſe, tam eam, quæ hodie adhuc hoc nomine venit, quam alias ab ea diverſiſſimas: appellamus autem hoc titulo ſubſtantiam ex ſquammis plus minus rutilis compoſitam, ſapore adſtringente præditam, efformatam a Plumbo, quo metalla nobiliora in cineritiis majoribus depurata fuerunt; eſt igitur vitrum Saturni, quod qualecunque metallum ignobile, æs maxime recepit, hinc variis ludit coloribus, ſed fulvum modo in tabernas recipiunt: non levem in Chemicis ignorantiam produnt, qui id in Lithargyrium Auri & Argenti diſtinguunt.

Minium, μίλτος, *Menning.* Veteribus, qui ſubſtantias a colore præcipue denominabant, Cinabaris hoc nomine veniebat, nec non proprium terræ genus rubro colore inſignitum, ut ex THEOPHRASTO, PLINIO, DIOSCORIDE patet; noſtrum Minium eſt σάνδυξ Græcorum, & ejus, qui hodie obtinet, ſignificatus demum Seculo XVI originem debere videtur: eſt calx plumbi, quæ in propriis Germaniæ, Angliæ & Belgii officinis calcinatur, uſque dum colorem læte rubrum induerit.

Acetum Lithargyrii ſive *Saturni*, primi Mediolanenſes receperunt, cur ad illud parandum vulgo Acetum deſtillatum præcipiant, non video; Pariſini omnino laudandi, qui Lithargyrio, ſemper cupro inquinato,

plumbum ſubſtituunt, egregium medicamentum diſcutiens; idem, protracta per horam coctione, magis inſpiſſatum, ſiſtit *Extractum Saturni* GOULARD, quod largiore aquæ quantitate dilutum polychreſtum medicamentum ad omne genus inflammationum, & reliqua mala ſupra dicta evadit, ſub nomine *Aqua Vegeto mineralis* GOULARD; Acetum Saturni affuſione ſolutionis aluminis lacteum redditum * *Lac Virginis* efformat, quod nonniſi ad uſus coſmeticos adhibetur: dum autem Acetum Saturni eo uſque evaporatur, ut refrigeratum in cryſtallos creſcat, *Saccharum Saturni* BASIL. VALENTIN. ſurgit, hoc in Belgio plerumque parari ſolet, & pretio multo minori venditur, quam quo in noſtris officinis poſſet confici, aqua dilutum antecedentium vires habet: ejus aliquid, ſi oleo terebinthinæ diſſolvitur, * *Balſamum Saturni Ph. Batean.* efformatur, quod ad ulcera antiqua multum laudant: * *Butyrum Saturni* Pariſ. parum ab Unguento Nutrito differt: * *Emplaſtrum* ABBATIS DE GRACE ab emplaſtro albo, ſpiſſiore conſiſtentia & colore a cera citrina inquinato differt: * *Emplaſtrum ad clavos & verrucas pedum* vid. *Acria*: *Emplaſtrum Album coctum* vid. *Inſt. Chem.* * *Emplaſtrum Antipodagricum* JUNGKEN correctum receperunt Wurtemb. * *Emplaſtrum Ceroneum Myrepſ.* correctum Pariſ. habent, minimam rationem in eo calx plumbi ſiſtit: * *Emplaſtrum Defenſivum rubrum* duplex Wurtembergenſes præſcribunt, eorum unum WEPFERUM auctorem habet, hoc altero omnino præſtat, laudantur ad arcendam inflammationem & ad ulcera antiqua: * *Emplaſtrum de Cumino* vid. *Cuminum Emplaſtrum de Galbano* vid. *Galbanum*: * *Emplaſtrum de Linimento* Lugd. ad imitationem *Unguenti de panno linteo* MESUE, conſolidandi ergo vulneribus & ulceribus imponitur: *Emplaſtrum de Minio* LEMERY Wurtemb. ei Camphoram adjiciunt, partibus inflammatis & am-

buſtis imponitur: * *Emplaſtrum de Plumbo* ſeu *Saturninum* MYNSICHT ſcopo diſſipandi ad omne genus inflammationum, nec non ad ulcera maligna commendatur, *Emplaſtrum de Ranis* vid. *Ranas*: *Emplaſtrum de Spermate ranarum* vid *Sperma ranarum*: *Emplaſtrum de Styrace* vid. *Styrax*: * *Emplaſtrum Diabotonon* BLONDEL: compoſitio theriacalis ex ingredientibus ſexaginta pluribus, diverſiſſimis viribus inſtructis, conſarcinata, ad reſolvendos tumores glandularum maxime laudatur: *Emplaſtrum Diachylon* PAULI ÆGINETÆ, olei ratio melius, quam a reliquis, apud Wurtembergenſes determinata eſt, cur medicamento, quod exſiccare, roborare, cicatricem inducere debet, mucilagines adjiciant, ego ſaltem non video: *Emplaſtrum Diachylum cum Gummatibus* SYLVII: *Diachylum magnum* MESUE, Crocum Wurtemb. adjiciunt, tanquam validum reſolvens ad abſceſſus frequentiſſime adhibetur: *Emplaſtrum Diapalmæ* GALEN. *Diachalcyteos* EJUSD. validius adſtringit: * *Emplaſtrum Diapompholygos Pharm Hag.* a plumbo potius quam pompholyge denominandum, cujus triplum præ hoc vehit, refrigerandi & dolores leniendi fine commendatur: *Emplaſtrum Divinum* NICOL. PRÆPOS. reſolvendi, roborandi, conſolidandi ergo uſurpatur, inter primos Lugdunenſes magnetem adjecerunt, ut ferrum, quod vulnus ſubiit, extrahat, id quod jam ZWOELFFER rectiſſime ridet: *Emplaſtrum Frigidum* emolliendi & digerendi ſcopo cum ſucceſſu in uſum trahitur; *Emplaſtrum Gryſeum* VAL. CORD. diſcutit & exſiccat, diverſiſſima eſt præſcriptio Pariſienſium, unde medicamentum multum reſolvens prodit: * *Emplaſtrum Mamillare* pro reſolvendo lacte in mammis ſtagnante cum ſucceſſu adhibetur; * *Emplaſtrum Manus Dei* CHARAS, qui illud ſuo tempore a certis matronis paratum, & gratis diſtributum fuiſſe dicit, non multum ab Emplaſtro Divino recedit: *Emplaſtrum Mercuriale* vid. *Mer-*

curius : * *Emplastrum Miraculosum* Brandeb. vix a saponato BARBETTE differt, a SCHULZ multum laudatur ad reserandum hepar obstructum, laxandam alvum & ciendos menses, BUCHNER asserit infantes contra atrophiam, quam obstructæ glandulæ mesaraicæ minabantur, ejus ope fuisse defensos : * *Emplastrum Nigrum* Paris. * *Emplastrum Noricum* proxime ad Emplastrum de Minio accedit : * *Emplastrum de Opodeldoch*, de quo diversas compositiones PARACELSUS reliquit, Parisini præscriptionem MINDERERI vere Paracelsisticam receperunt, correctam magis Wurtembergenses habent : * *Emplastrum Resolvens* Nostr. suo titulo respondere posse videtur. * *Emplastrum Saponaceum* BARBETTE ratio calcium saturni augenda, si justa consistentia emplastri surgere debet, vitium typographicum esse videtur, quod apud Nostrates Axungia Porci loco Camphoræ præscribatur ; ego saltem ad dolores arthriticos nunquam medicamentum saturninum vellem præscribere, tristes ab hoc Emplastro suscitatos effectus RIEDLIN vidit. *Emplastrum Stipticum* CROLLII, varia Parisini ex inconcinna compositione expunxerunt, Wurtembergenses limatiorem dederunt, discutiendi & consolidandi scopo ad vulnera & ulcera laudatur : *Emplastrum Triapharmacum* EHRNSINGER viribus non differet ab albo cocto : * *Magisterium Saturni* LEMERY scopo cosmetico usurpatur : * *Plumbum ustum* DIOSCORID. est species vitrioli albi, Parisini & Wurtemberg. ipsam calcem gryseam plumbi recipiunt : * *Sparadrapus* seu *Tela* GUALTIERI egregie pro discutiendo lacte, quod mammas indurat, nec non ad ulcera antiqua & excoriationes adhibetur : * *Species pro decocto ad Gangrænam* Wurtemb. ea ratione, qua adhiberi jubentur, omnino suo titulo respondebunt : * *Tinctura Antiphtisica* GRAMMANNI a medicamento parum fido jure abstinemus : * *Trochisci albi* Paris. *Col-*

lyrium album RHAZES, *Siefalbum* VAL. CORD. repellendi, demulcendi, ſopiendi ergo ad ulcera & inflammationes, oculorum maxime adhibentur: *Trochiſci eſcharotici de Minio* vid. *Mercurius*: *Unguentum album* RHAZES Wurtemberg. Axungiam porci, ceræ & oleo ſubſtituunt, diſſipandi & exſiccandi ergo in frequenti uſu eſt: *Unguentum album Camphoratum Auguſt.* ob diſcutientem Camphoræ virtutem etiam priori præfertur: * *Unguentum ad Ambuſta* Brandeb. ſuo titulo egregie reſpondet: * *Unguentum ad Scabiem* vid. *Mercurius*: * *Unguentum de Lithargyrio* Auguſt. cum Unguento Nutrito ratione virium convenit: * *Unguentum de Minio Camphoratum* RENOD. Albo camphorato, magis ſiccat & repellit: *Unguentum de Solano* vid. *Solanum*: * *Unguentum Diapompholygos* unice conſiſtentia ab Emplaſtro cognomine differt: * *Unguentum Deſiccativum rubrum* Lugd. *Rubrum exſiccans* Pariſ. ad exſiccanda ulcera & ſcabiem humidam præcipue adhibetur: *Unguentum Fuſcum de la Mere* Pariſ. proxime ad Emplaſtrum nigrum LEMERY accedit, ad ulcera ſordida abſtergenda multum laudatur: * *Unguentum Hæmorrhoidale extemporaneum* Pariſ. *Unguentum de Liquiritia*, * *Unguentum Mundificans* STAHL ad ſcabiem laudatur, ſed a medicamento repellente omnino abſtinendum: *Unguentum Nutritum*, * *Emplaſtrum ex Argenti Spuma & Oxalæa* GALEN. * *Unguentum Tripharmacum* MESUE, ad partes prurientes, deſquammatas, intertriginem, ulcera manantia adhibetur.

VITRIOLUM Lat. Barb. χάλκανθον, *Atramentum Sutorium* Veterum *Vitriol* Eſt Sal ex proprio acido & quodam metallo compoſitus, ſapore & acri adſtringente præditus.

Pro vario, quod vehit, metallo ejus color varius eſt, viridis dum ferrum habet, cæruleus, ſi cuprum fovet, albus, dum plumbum vel zincum continet. Omne, quod apud ſeplaſiarios proſtat, Vitriolum ſurgit ex *Pyrite*, quem Arabes *Marchaſitam* dixerunt.

Eſt autem *Pyrites cryſtallinus*, *figuratus*, *Ferri* L. gleba metallica ex ſulphure & ferro conſtans, ſubflava, odoris & ſaporis expers, ei ſi cuprum accedit, flavedo exaltatur & *Pyrites Cupri* L. dicitur.

Quando in pyrite motus inteſtinus ſurgit, acidum, quod in ſulphure copioſe hæret, ferrum aggreditur, illud ſolvit, tota pyritæ mixtio deſtruitur, ortum hac ratione Vitriolum ſub forma pulveris tenerrimi, tomenti in modum, primum ex pyrita effloreſcit, tandem totus pyrites reſolutus dilabitur in pulverem, qui pro variis, quæ Vitriolo accreſcunt, partibus heterogeneis mox flavicat, mox nigreſcit, pro variis his coloribus Vitriolum ex ſuis matricibus effloreſcens *Miſy*, *Chalcitis*, *Sory* nominibus veniebat, illis hodie non male Vitriolum calcinatum ſubſtituunt; Vitriolum ſub terra ratione, quam dixi, ortum, ſi ſub forma pulverulenta occurrit *Terra Vitriolica nigra* WALLER. dicitur & *Melanteria* Veterum videtur eſſe, ſi autem in lapidem induratur *Lapidem Atramentarium* WALLER. *Vitriolum Atramentarium* L. efformat, ſi vero aquis ſubterraneis diſſolutum ſupra terram erumpit *Acidulas martiales* efformat, *Aquas Cæmentatorias* vero, ſi vitriolum ex pyrite cupri ſurrexit, inde ablata, ſub terra adhuc, aliqua portione aquæ rimis & cavernis montium *Vitriolum Nativum* Auctorum appenditur.

Omne Vitriolum, ex pyritis reſolutis ope elixivationis obtinetur, & vulgari ratione in cryſtallos, ſub quarum forma apparet, cogitur.

Pyritas cupri ſupra terram hactenus nondum potuiſſe diſponi, ut reſolvantur, obſervavit HENCKEL, hinc omne quod proſtat Vitriolum cæruleum ſive nativum eſt, ſive ex aquis cæmentatoriis cryſtalliſatum, ſive ope ſulphuris & cupri paratum, ut in *Inſt. Chem.* oſtendi; cum GALENUS illud, quod in inſula Cypro parabatur, deſcripſerit, hinc hodie adhuc omne de *Cypro* denominatur.

Vitriolum viride hodie *Commune* appellare ſolent, cum pyritæ illud exhibentes ſint vulgatiſſimi, & in omnibus officinis, ubi Vitriolum parant, tales duntaxat recipiant; cum autem illis ipſis non raro cuprum, & quidem varia ratione ſoleat accretum eſſe, hinc Vitriolo communi, varia non raro proportione, cuprum immixtum inhærere deprehendimus, id ipſum *Hermaphroditum* appellare quibuſdam placet, color ad cæruleum vergens & macula rubra, quæ inde ferro inducitur, hoc ipſum evincunt. Vitriolum commune non bene a patria diſtingui, HENCKEL optime monuit, cum in eadem varii pyritæ poſſint obtinere, hinc etiam ex eadem regione diverſum omnino Vitriolum ad nos mitti.

Vitriolum album, quod tabernas ſeplaſiariorum intrat, Goſlariæ paratur ad modum a Duce JULIO Brunſvicenſi duobus retro ſeculis repertum, & a SCHLUTER deſcriptum: uſtulantur nimirum glebæ argenti & galenæ Rammelſpergenſes, zinco ſemper feraces, aquæ ope elixantur, lixivium in cryſtallos cogitur, quæ in lebete cupreo fuſæ, continuo, uſque dum refrigeuerint, rutabulo ligneo agitantur, efficitur ita, ut ſurgat forma ſacchari in panes coacti, & ſub hac forma Vitriolum hoc venditur, illud in officinis metallicis *Jœckelguth*, in tabernis *Galitzenſtein* nominare ſolent, idem zincum, Plumbum & æs vehere in *Inſt. Chem.* monui.

Vitriolum viride $\frac{3}{8}$ ferri, $\frac{1}{11}$ acidi, $\frac{2}{3}$ aquæ vehere, Cæruleum $\frac{1}{8}$ cupri, $\frac{1}{6}$ acidi, $\frac{1}{2}$ aquæ continere NEUMANN eſt expertus, ſed hæ rationes omnino nihil conſtantis habent.

Vitrioli viridis & cærulei vires in *Inſtit. Chem.* recenſui. Veteres Vitriolum, extus maxime rodendi & adſtringendi ergo adhibuerunt: Vitriolo albo maxime ad ophthalmias utuntur, ejus ſcrupulum unum ad aquæ libram recipere ſolent, cum cuprum habeat, nunquam intus debet exhiberi.

Phlegma, *Spiritus*, *Oleum* vid. *Inst. Chem. Vitriolum martis* vid. *Inst. Chem.* * *Colcothar*, *Caput mortuum Vitrioli* vid. *Inst. Chem.* minus bene quidam hic Vitriolum ad rubedinem calcinatum intelligunt, Wurtembergenses *Terram Vitrioli dulcem* appellant: * *Sal Vitrioli* Paris. est *Gilla Theophrasti Inst. Chem.* * *Gilla Theophrasti* Wurtemb. & Paris. est *Sal Vitrioli* CROLLII: * *Terra Vitrioli dulcis* Paris. est Crocus Martis adstringens: *Arcanum duplicatum* vid. *Inst.. Chem. Tartarus Vitriolatus* v. *Inst. Chem.* eundem MYNSICHT sub nomine *Spiritus Vitrioli coagulati* describit: *Aqua Rabelliana* vid. *Inst. Chem. Liquor Anodynus mineralis* HOFFMANN *Inst Chem.* * *Turpetum minerale* v. *Inst. Chem.* * *Pulvis Sympatheticus* PAPINII, cum therapia sympathetica, ex rationali praxi medica ejecta sit, hinc miror hanc Vitrioli calcinationem adhuc in Dispensatoria recipi: *Aqua styptica* Paris valide adstringit: * *Collyrium detergens* BARBETTE præcipuas vires a Vitriolo albo habet, cujus duo grana ejus uncia vehit: * *Elixir Vitrioli* MYNSICHT parciorem Wurtemb. spiritus vitrioli rationem recipiunt, egregium medicamentum stomachicum & roborans, Cl. VAN DER BOSCH ejus usum anthelminticum multum celebrat & Illustr. DE HAEN vires antiphtysicas: * *Lapis Divinus* BIRON, aqua dissolutus ad ulcera & cicatrices corneæ adhibetur, circa Camphoræ rationem Dispensatoria variant: *Lapis medicamentosus* CROLLII Parisini præscriptionem LEMERY recipiunt, Nostrates propius CROLLIUM sequuntur, dissolvitur duodecuplo aquæ, si exsiccandi, roborandi, adstringendi animus est: * *Spiritus Aperitivus* PENOTI absurdum medicamentum, quod prolixa ratione, Spiritum Tartari spiritui Vitrioli jungit: * *Spiritus antiscorbuticus* DRAWIZ est antecedens, cui spiritum Cochleariæ adjiciunt: * *Unguentum purpureum* WURZ vid. *Cuprum.*



Cap. III.

EMOLLIENTIA.

§. 35.

Medicamenta, quæ rigiditati morboſæ fibræ medentur, dicuntur *Emollientia*, Μαλακτικὰ, nec non *Relaxantia*, χαλαστικά: non male GALENUS duritiem ab exſiccatione, repletione, concretione derivat, prima huc, duæ reliquæ ad alia capita pertinent. Rigiditas ab exſiccatione ſurgens, ſiccitatis elementi, ſive terræ exceſſum denotat, hinc exigit elementi humidi reſtitutionem, hoc cum gelatina ſit, cui mucilago proxime accedit, utraque autem ex aqua & oleo unguinoſo efformetur, hinc *Aquam*, *Olea*, *Gelatinas* & *Mucilagines* huc pertinere evidens fit; olea præ reliquis magis emollire & aquam in vapores reſolutam, hæc gelatinam & mucilagines excipere, has vero aquam, quæ humoris formam habet, docuit experientia: calor horum actionem juvat, dum, fibram diſtendendo, horum in ipſam ingreſſum juvat, nec non quies, quæ ne juſto citius evaporent, cavet.

§. 36.

Dum Emollientia fibras viarum aërearum, digeſtionis, & urinæ relaxant βηχικὰ, καθαρτικὰ, διουρητικὰ evadunt, dum ſpaſmis medentur & doloribus *Antiſpaſmodica*, ἀνώδυνα, dum autem vaſorum fines obſtructos laxant, & eos, ut a ſanis ſecedere poſſint, diſponunt, *Digerentia*, *Suppurantia*, *Pus moventia* dicuntur, eadem partes quibus applicantur debilitando *Derivantes* & *Repellentes* edunt effectus & omnes excretiones promovent; *Aperientia* etiam evadunt, ſi obſtructio a canalibus anguſtatis orta, *Refrigerantes* quoque effectus edunt,

dum efficiunt,ut frictis minuatur; dum morbis catarrhalibus opponuntur *Arteriaca Becchica* illa, quæ aquam, cui committuntur, viſcidam reddunt, *Inviſcantia* ſolent dici.

Abuſus Emollientium morbos a fibra debili oriundos gignit, & præterea, obſervante Illuſtri PRINGLE, ad putredinem diſponit.

§. 37.

α) VEGETABILIA.

GRANA CEREALIA (§. 10.) LEGUMINA (§. 11.) OLERA (§. 14.) minus ſapida, FRUCTUS HORÆI (§. 16.) dulces, NUCLEI (§. 17.)

* ACANTHUS, ἄκανθος, *Acanthe*, *Branche urſine*, *Branca urſina Italica* TRAG. *Folia* mollis & ſpinoſi recipiuntur.

Folia *Mollis* magna ſunt, lata, ſinuata viridi-nigricantia, nitida, inſipida, inodora.

Spinoſi a prioribus habitu, laciniis acutis & anguſtioribus & colore evidentius viridi differunt.

ACANTHUS. Calice quinquefido ringente, corollam labiatam ſuſtentat, cujus labium inferius trilobum eſt, & capſulam oligopyrenam: *Mollis* L. foliis ſinuatis, inermibus gaudet, *Spinoſus* L. folia pinnatifida ſpinoſa habet.

Uterque in Europa Meridionali creſcit, noſtras quoque hyemes optime fert.

Emolliendi ergo externe adhibebatur, hodie vulgo ipſi Branca urſina ſubſtituitur.

* ALSINE, ἀλσίνη, *Morgeline*, *Hünerdarm*, *Vogelkraut*. Recipiuntur ejus Folia, quæ parva ſunt, ovata, leviſſime hirſuta, inſipida, inodora.

ALSINE. Corollam pentapetalam regularem habet, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, trigynam & capſulam polypyrenam: *Media* L. petalis bipertitis diſtinguitur.

Vulgaris per omnem Europam planta.

Vix vires emollientes inde expecto, apud nos nunquam in usus medicatos recipitur.

ALTHÆA, ἀλθαία, ἀλθέα, ἰβίσκον, *Guimauve*, *Ibisch.*; Radices, Folia & Semina recipiuntur.

Radices fibrosæ sunt, plures ex uno capitulo pendent, calami crassitiem habent, albæ, extus leviter flavescentes, proprio odore gaudent; prostant in officinis cuticula privatæ.

Folia cordata sunt, acute serrata, petiolata, utrinque tomentosa, insipida, inodora.

* *Semen* parvum, reniforme, fuscum, insipidum, inodorum est, non multa mucilagine fartum.

ALTHÆA. Corollam monopetalam habet, regularem, quinquefidam, polyantheram, filamentis connatis, monogynam, calice duplici, externo novemfido, interno quinquefido, sustentatam, semina reniformia in orbem posita: *Officinalis* L. BLACWELL 90 foliis simplicibus & tomentosis distinguitur.

Crescit per omnem Europam, præter Sueciam & Ingriam.

Radix $\frac{1}{2}$ mucilaginis vehit, NEUMANN ad $\frac{3}{4}$, parum ultra $\frac{3}{8}$ CARTHEUSER, extracti spirituosi $\frac{3}{8}$ NEUMANN. Folia $\frac{1}{4}$ mucilaginis LEWIS, ultra $\frac{1}{3}$ NEUMANN & ultra $\frac{1}{4}$ Extracti spirituosi exhibuerunt.

Ratione mucilaginis, qua scatet, solida relaxat & humores demulcet, cum successu ad morbos pectoris, intestinorum & viarum urinariarum adhibetur; extus demulcendi, emolliendi & anodyno scopo applicatur. Radicis uncia dimidia ad libram aquæ pro decoctis internis adhibetur.

Syrupus Compositus FERNEL cum præter Althæam alia adhuc relaxantia, quædam etiam, quæ specifice in renes agunt, vehat, creberrime in usu est: * *Syrupus simplex* facile ex officinis potest exulare, cum prior omnino efficacior est, ipse in rotulas efformatus, * *Tabellas de Althea* Paris. efformat, quarum primus

LOBEL meminit: * *Tabellæ de Althea ſine igne* Amſtelod. gratum medicamentum, quod, quoties viæ aëreæ ab acri quodam ad tuſſim ſtimulantur, commode poteſt aſſumi: *Paſta Altheæ*, *Maſſa Altheæ alba & mollis* Pariſ. egregium medicamentum demulcens, tabulis quoque præſtat: *Unguentum de Althea* MYREPS. coloris ergo quidam Curcumam adjiciunt, emolliendi & reſolvendi fine in frequenti uſu eſt, vix ad nervorum reſolutiones & vulnera claudenda videtur facere.

* AQUILEGIA Lat. Barb. *Ancoline*, *Agley*. Flores & Semina recipiunt.

Flores cærulei ſunt, inſipidi, inodori.

Semina exigua ſunt & ſub cortice nigro, ſplendente, medullæ albæ & dulcis exiguam portionem includunt.

AQUILEGIA. Duplici petalorum ordine efformatam corollam habet, quorum unus petala plana, alter corniculata habet, quæ hodie Nectaria dicuntur, polyantheram, pentaſtylam & totidem capſulas: *Vulgaris* L. BLACWELL 409. corniculorum apicibus incurvis diſtinguitur.

Occurrit ubique per Europam, præter maxime Septentrionalem.

Succum Aquilegiæ ad varias acrimonias curandas facere, EYSEL & SCHUBERT obſervationibus probare nituntur. Non video quales vires ab inodoris floribus poſſint expectari: & licet TRAGI aſſertum de ſeminum ad icterum efficacia SCHRIZER & S. PAULI obſervationibus confirmari videatur, fateor tamen, quod nec in hoc morbo, nec in variolis & morbillis aut vertigine proprias vires inde expectem, licet S PAULI & PAULINI ſe eas vidiſſe aſſerant.

* *Pilulæ de Aquilegia* Pariſ. ad mentem TRAGI paratæ, ſi quem effectum edunt, is Croco debetur: * *Tinctura* Brandeb. à ſpiritu acido, vires habet.

* BLITUM, βλίτον, *Blète*, *Meger*. Folia habet ovato-oblonga, profundius viridia, undulata, ſapore viſcidulo inſtructa.

AMARANTHUS. Planta relativa monophyta, corolla tri-vel quinquefida, in maribus iſanthera, in feminis trigyna & capſula monopyrena inſtruitur. *Viridis* L. Corolla trifida, foliis ovatis, caule erecto diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, in Saxoniam uſque aſcendit.

Nec ab hoc vegetabili magnæ vires expectandæ.

* BONUS HENRICUS. TRAG. Folia triangula habet, ſuperne glabra, inferne polline conſperſa, inodora, leviſſime ſalina.

CHENOPODIUM. Corolla nuda, quinquefida, iſanthera, digyna gaudet, ſemen nudum in calice maturat: *Bonus Henricus* L. foliis triangularibus, ſagittatis diſtinguitur.

Copioſe per Europam, præter maxime Septentrionalem occurrit.

Scopo emolliendi laudatur, S. PAULI cataplaſma inde paratum podagricis laudat, œdema pedum foliorum recentium ope curatum vidit DILLENIUS.

* BRANCA URSINA Barb. σφονδύλιον, *Berca*, *Bærenklau*. Recipiuntur Folia quæ magna ſunt, pinnata, pinnis lobatis, hirſuta, inſipida & inodora.

HERACLEUM. Planta umbellata, involucro utroque, ſeminibus compreſſis, foliaceis, medio utrinque ſtriatis inſtructa: *Sphondylium* L. BLACWELL 540. Foliis pinnatifidis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa.

Polonis & gentibus magis ſeptentrionalibus tanquam olus in uſu eſt, ſpiritum ardentem ex ea parare dicuntur Ruſſi, GMELIN: falſum eſſe rumorem, quo ad plicam polonicam adhiberi dicitur, ERNDTEL evi-

cit; ex quo MANARDUS hanc plantam Acanthum Veterum esse dixit, illam emollientibus solent adscribere.

CANNABIS, κάνναβις, *Chanvre*, *Hanf.* Ejus * Semina sunt ovata, uno margine acutiore instructa, sub cortice cinereo, spadiceo, fragili, nucleum album, dulcem includit, tenera membrana involutum, odor recentium caput obnubilat.

CANNABIS. BLACWELL 322. Planta relativa diphyta, maris corolla quinquefida, isanthera, feminæ bifida, digyna, capsula nucem includit.

In India Orientali & Russia Meridionali sponte crescit, passim per Europam colitur.

Versus finem Aprilis semen terræ committunt, quo id densius seritur, eo teneriores surgunt caules, & hac ratione utuntur Nostrates; trans Rhenum rarius serunt & caules & crassiores & altiores obtinent; Augusto mense plantæ superne flavescunt & tunc evelluntur, evulsæ sive sub aquam sive supra terram collocantur, ut certum corruptionis gradum acquirant, id quod *Rouir*, *Rösen* dicunt, epidermis & parenchyma destruantur, cortex a ligno detrahi possit; obtinetur hoc sive digitorum, sive proprii instrumenti *Broye*, *Knitsch* ope, lignum inde decutitur, ligni moleculæ, quæ frangibulo se subduxerunt, ope lapidis molendina moti, *Reib*, sive ope malleorum ligneorum, auferuntur, pectinibus dein *Seran*, *Hechel* omnes fibræ corticis e mutuo nexu solvuntur, quidquid lignosi eis adhuc adhæret & fila breviora inde separantur, quæ *Etoupe*, *Werk*, & si paulo longiora fuerint *Bærthel* dicuntur; hac ratione Cannabis aptatur, ut in fila duci possit; quæ non raro vehiculi vice, pro medicamentis externis adhibendis, usurpantur.

Semen aliorum nucleorum (§. 17.) vires edit, Olei viridis, quod demum, thermometro Farenheitiano ad ciphram descendente, consistit, $\frac{1}{4}$ fere largitur,

ejus præſtantia ad icterum, quam DE LE BOE SYLVIUS maxime extollit, ab vi ſpaſmos viarum biliariarum relaxante videtur pendere.

* *Oleum Cannabis expreſſum* VERNY.

* CYNOGLOSSUM, κυνόγλωσσον, *Langue de Chien*, *Hundszung*. Radices & Folia in officinis proſtant:

RADIX oblonga eſt, craſſiuſcula, extus ex atrorubens, odore, ſi recens eſt, minus grato gaudet, ſaporem habet fatuum.

Folia ſunt oblonga, acuminata, incana, odoris & ſaporis expertia.

CYNOGLOSSUM. Calice quinquefido, ſuſtentat corollam infundibuliformem quinquefidam, cujus faux ſquammis augetur, iſantheram, monogynam & ſemina cruſta tecta, medio ſtylo affixa: *Officinale* L. BLACWELL 249. foliis ovato-lanceolatis, corolla calicem æquante & ultra ſtamina eminente diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam.

Plantam, quæ ab omni ætate innoxia reputata fuit, MORISON primus diffamavit; GEOFFROI, FULLER, Cl. SCOPOLI & Ill. TRALLES, duce experientia, nequaquam deleteriam eſſe, aſſeverant, primus radicem ad integram unciam, folia ad manipulum unum intus exhibuit, unica & illa incerta obſervatio non ſufficit; ut ſemper innoxia planta, pro venenata habeatur. Externe ad Cataplaſmata recipitur.

* *Syrupus* FULLER: *Pilulæ* a MESUE ſub nomine *Pilularum ad omnes morbos catarrhales* deſcriptæ, frequentiſſime in uſu ſunt ſcopo anodyno, quas vires nonniſi ab opio & S. hyoſcyami habent, quorum ſingulorum apud Wurtemb. ultra $\frac{1}{7}$ vehunt, Pariſ. $\frac{1}{6}$ S. hyoſcyami præſcribunt, Opium omittunt. Qui inde crocum & caſtoreum expunxerunt, & *Pil. de Cynogloſſo cum Croco & Caſtoreo* ad modum Auguſtanorum, ſeorſim aſſervant.

FOENUGRÆCUM, βούκερας, καλλίκερως, *Fœnugrec*,

Bockshorn. Semina officinis exhibet, quæ flava sunt, dura, nauseoso odore, sapore amaro instructa, irregulariter quadrata, sulco obliquo ad unum marginem notata.

Trigonella. Corollam papilionaceam habet, calice sustentatam, alas vexillo æquales, legumen compressum, incurvum, polypyrenum: *Fœnugræcum* L. Blacwell 84. Leguminibus sessilibus, subsolitariis & caule erecto instruitur,

In Gallia Meridionali sponte crescit, apud nos in agris colitur.

$\frac{1}{3}$ circiter Mucilaginis largitur, ad $\frac{3}{8}$ usque Cartheuser obtinuit.

Interne nunquam hominibus datur, externe emollientibus admiscetur & cum ejus odor, illud quoque altius penetraturum esse, suadeat, sapor resolventes vires etiam polliceatur, (§. 7.) hinc maturandi & discutiendi scopo maxime adhibetur, hystericas ab ejus usu abstinere jubet S. Pauli.

Glycyrrhiza, *γλυκύῤῥιζα*, *σκυθικὴ ῥίζα*, *γλυκύμιν*, *γλυκεῖα*, *σκυθικὸν ξύλον*, *Radix dulcis*, *Liquiritia* Barb. *Regolitia* Hetruscis, *Reglisse*, *Süsholz*, *Lakritzen-Holz*. Subministrat usibus medicatis Radices oblongas, repentes, sarmentosas, ad pollicis usque crassitiem ascendentes, foris rufescentes, intus buxeas, evidenti dulcedine, cui aliquid amari accedit, odore nullo instructas; exsiccatæ foris cinereæ, intus magis luteæ apparent, ex his Hispanicæ, reliquis quippe magis dulces, præferuntur.

Rejiciuntur digito minimo teneriores & quæ situm habent, a Medicis si præscribuntur, semper exsiccatæ debent recipi.

Glycyrrhiza. Calice bilabiato sustentat Corollam, cujus alæ vexillo majores sunt, legumen ovatum & polypyrenum est: *Glabra* L. Blacwell 495. foliis stipularum expertibus & leguminibus glabris distinguitur.

In Europa Meridionali ſponte creſcit; in Anglia, Germaniæ agro Bambergenſi & Lotharingia copioſe colitur.

Extracti aquoſi dulciſſimi $\frac{1}{2}$, reſinoſi aquoſo etiam dulcioris $\frac{1}{4}$ LEWIS & CARTHEUSER. Extracti aquoſi $\frac{9}{16}$, ſpirituoſi $\frac{5}{16}$ NEUMANN.

Jam a THEOPHRASTO ob vim demulcentem & reſolventem ad affectus pectoris & renum laudatur, hoc ultimo ſcopo eam præprimis S. PAULI & MAURIT. HOFFMANN multum commendant; Veteres illam præterea ad corrigendam acrimoniam draſticorum adhibuerunt; ulceribus quoque internis opponitur, ejus vires ſitim ſedantes THEOPHRASTUS adducit, quæ ab ejus indole ſaponacea pendent: Extus eryſipelati ejus pulvis inſpergitur, ut humorem acrem demulceat.

Succus Liquiritiæ, χύλισμα γλυκυῤῥίζης: proſtat inter nos, forma maſſarum oblongarum, quæ ſex circiter pollices longitudine, unum craſſitie æquant, ſiccarum, nigrarum, & quæ diffractæ ſplendent, una facie planarum, altera convexarum, ſapore dulci inſtructarum, foliis laurinis involutæ ad nos adducuntur. Aduſtus, & qui non totus in ore deliqueſcit, rejiciendus eſt: optimus ex Hiſpania mittitur, ubi, teſte autopta JUSSIEU, in Catalonia maxime ex radicibus Julio menſe collectis, exſiccatis, aqua coctis, expreſſis, igne in extracti formam coctis, & in ſole ulterius ſiccatis paratur: vires radicum magis concentratas habet: * *Syrupus* MESUE non bene coqui jubetur: *Trochiſci Becchici nigri* VAL. CORD. ſuccum liquiritiæ pro baſi recipiunt: multum correctos Noſtrates præſcribunt; Pariſini magis compoſitam & efficaciorem compoſitionem habent, quæ etiam Extr. capit. Papaveris admittit: *Trochiſci Becchici citrini* Hamburg. * *Tabellæ Becchicæ* Pariſ. * *Bacilli de Liquiritia albi* Wurtemberg. non multum differunt a *Succo Liquiri-*

tiæ albo vel Confectione Rebeche GEOFFROI : * *Bacilli de Liquiritia citrini* Wurtemb. * *Extractum Liquiritiæ ſimplex* Pariſ. ſucco omnino inferius eſt : *Extractum Liquiritiæ gummoſum* vel *Gluten Pectorale* Noſtrat. *Succus Glycyrrhizæ gummatus Bleſenſium* PENNICHER additis albuminibus a Pariſinis & Wurtemb. album redditur, prioribus *Maſſa Liquiritiæ alba*, poſterioribus *Paſta liquiritiæ* dicitur, *Regliſſe*, *Bruſtleim* in frequentiſſimo uſu eſt tuſſientibus, ut acre fauces irritans obtundat, vix non antecedentia ſede depulit : * *Maſſa Liquiritiæ fuſca* Pariſ. antecedente magis reſolvit, ſed minus grata eſt : *Unguentum de Liquiritia* Auguſt. neſcio cur recentiora diſpenſatoria albumina ovorum omiſerint, vires exſiccantes, demulcentes, diſcutientes, potius a ceruſſa, pompholyge & camphora, quam a Liquiritia habet.

GUMMI ARABICUM, SERAPIONIS, κόμμι τοῦ ἀκάνθου, κόμμι θεβαικὸν, *Gummi ex Ægyptia ſpina.* Apportatur ad nos ſub forma granorum, quorum figura ad rotundam accedit, varia magnitudine, ita ut interdum Juglandes ſuperent, inſtructorum, colore falerno, qui mox magis, mox minus ad fuſcum accedit, gaudentium, intus ſplendentium, inodororum, inſipidorum, quorum ſuperficies rugoſa eſt, & quæ adjecta aqua lenteſcunt, eidem autem viſcedinem conciliant, & efficiunt, ut aqua evaporata cruſtam ſplendentem relinquat.

Grana quo profundius tincta, eo deteriora ſunt, quo magis pellucent & alba ſunt, eo meliora, huc ea, quæ a *Senegal* denominantur, illuc *Gomme Turique* aut *Turis* pertinet.

Sponte ex *Mimoſa Nilotica* L. fluit, nec non ex *Mimoſa Senegal* L. quæ ſpinis ternis, intermedia reflexa, foliis bipinnatis & floribus ſpicatis gaudet. Multum ſuſpicor, ſicut variæ Pruni ſpecies inter nos

gummi fundunt, ita quoque Mimofas Orientales, non duas modo, fed plures, tale dimittere.

Quadruplum aquæ in fpiffitudinem Syrupi denfat, ab utroque alcali ex folutione dejicitur, LEWIS; quod idem faponis effectus edat in *Inft. Chem.* monui & Cl. FRENCH multis experimentis probavit. Nutrientes G. Arabicum vires edere, HASSELQUIST annotavit, relaxandi & demulcendi fcopo cum fucceffu in morbis pectoris & viarum urinariarum exhibetur, datur ad drachmam dimidiam pro dofi. Externe minus bene emolliendi fcopo adhibetur, cum crufta, quam exficcatum relinquit, evidenter rigida fit; recipitur ad collyria & infpergitur ulceribus acri humore madentibus. Mercurium ope Gummi Arabici ex aqua fufpenfum multum laudat Cl. PLENCK.

LILIUM, κρίνον, *Lis*, *Lilie*, Radices & Flores nobis exhibet.

Radicis bulbofæ fquammæ affervantur, a fe invicem feparatæ, plus minus flexæ, colore carneo inftructæ, fragiles, infipidæ, inodoræ.

Florum petala in officinis proftant membranacea, infipida, inodora, exficcatione quippe & pulpa & odore privata.

LILIUM. Corolla hexapetala, campanulata, petalis linea longitudinali notatis, capfula vulvis pilo cancellato connexis gaudet. *Candidum* BLACWELL 11 foliis fparfis, corollis campanulatis, intus glabris diftinguitur.

Radices $\frac{1}{4}$ mucilaginis largiuntur.

Radices nunquam interne, copiofe externe emolliendi & fuppurandi fcopo exhibentur; GODER earum fucco cum farina hordeacea in panem cocto hydropicos curavit.

Flores recentes communes fragrantium effectus edunt, refocillant & odor eorum largius nares fubiens caput obnubilat, exficcati plane inertes effe videntur.

Aqua destillata Val. Cord. cur ad cosmeticos usus adhibeatur, ignoro: *Oleum infusum* Mesue paucum mucilaginosum, quod oleum ex floribus recipit, vix aliquid proprii ipsi affricabit.

Linaria, ὄσυρις, *Linaire*, *Harnkraut*. Recipiuntur Folia oblonga, angusta, levissimo sapore prædita, odoris, si exsiccata fuerint, omnino expertia.

Antirrhinum. Corollam ringentem habet, labio superiore bifido, inferiore trifido, palato eminente, calice quinquefido sustentatam, capsulam rotundam, polypyrenam: *Linaria* L. Blacwell 115. Corolla in calcar educta, foliis lanceolato-linearibus, confertis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Vires relaxantes ipsi adscribuntur & diureticæ, resolventes potius ego inde expectarem, muscas ea occidi Ill. Linnæus observavit, extus ex oleo, vel lacte cocta, partibus dolentibus imponitur.

Unguentum de Linaria Hamburg. multum ad hæmorrhoides laudatur.

Linum, λίνον, *Lin*, *Flachs*, *Lein*. Subministrat nobis semina, quæ plana sunt, uno extremo acuto, altero obtuso, sub cortice splendente, ex fulvo albicante, nucleum album & dulcem vehunt.

Linum. Calice quinquefolio sustentat Corollam pentapetalam regularem, isantheram, isogynam, capsulam habet decemlocularem: *Usitatissimum* L. Blacwell 160. foliis alternis, lanceolatis, glabris, calycibus & capsulis acutis distinguitur.

In Europa Meridionali sponte crescit, in reliqua colitur: semen septentrionale reliquo præfertur.

Lini satio, & ejus corticis, ut in fila trahi possit, præparatio, proxime ad Cannabis rationem accedunt.

$\frac{1}{5}$ circiter Olei unguinosi, ultra $\frac{1}{6}$ Mucilaginis semen largitur.

Hippocrates semen Lini tanquam cibum assumi

monet, ſed vidit TRAGUS Zelandiæ incolas inde cachecticos evaſiſſe; relaxandi & abſtergendi ergo ab HIPPOCRATE tam intus, quam extus adhibebatur, illud hodie tanquam demulcens & relaxans ad morbos viarum urinariarum maxime, intus adhibemus: extus ad clyſmata & cataplaſmata ſopientia recipitur.

Oleum MESUE evidentius flavicat, aliis oleis unguinoſis citius exſiccatur, frigore, quod thermometrum Farenheitianum ad ciphram deprimit, conſiſtere ſolet, cum ſpiritu nitri concentrato in flammam erumpit, evidenter aliquid reſinoſi videtur vehere, COSTÆUS illud ad ſex unciarum doſin pleuriticis aſſumendum commendat; colicæ, tam intus ſumtum, quam ſub forma clyſmatis injectum, egregie conducit: extus ad pertinaciores alvi obſtructiones ano injicitur, hæmorrhoidibus dolentibus & muſculis crampo correptis cum ſucceſſu inungitur.

* MALVA, *μαλάχη*, *Mauve*, *Pappel.* Radices, Folia, Flores, Semina in uſus medicatos recipiuntur:

Radices fibroſæ ſunt, digito non craſſiores; dulces.

Folia cordata occurrunt, orbiculata, leviter quinqueloba, levi canitie tecta, inodora, inſipida.

Flores aſſervantur calycibus incluſi, pallide rubri, odoris æque ac ſaporis expertes.

Semina parva ſunt, reniformia, inodora & viſcidulum ſaporem linguæ imprimunt.

MALVA Calicem exteriorem trifidum, internum quinquefidum habet, corollam pentapetalam regularem, polyantheram, ſtaminibus connatis, monogynam, arillos circa receptaculum commune articulatos: *Rotundifolia* L. BLACWELL 22. foliis obſolete lobatis diſtinguitur.

Communis per omnem Europam.

Pariſini *Malvam ſylveſtrem* L. & *Lavateram arboream* L. recipiunt.

Radices $\frac{1}{4}$ Mucilaginis ſiccæ largiuntur, earum Extractum ſpirituoſum admodum dulce eſt. LEWIS.

PYTHAGORÆ jam celebratum olus, Græcorum & Romanorum menſis apponebatur, de viribus ejus alvum ducentibus meminit GALENUS; radices ob vim dolores ſedantem commendavit HIPPOCRATES. Jam diu ex olerum numero, per ſpinachiam maxime, pulſum, parum etiam hodie ad medicatos uſus recipitur, cum ipſi efficaciorem Altheam præferant.

* *Conſerva* ex floribus multum AMATO LUSITANO laudata: * *Unguentum* Wurtemb.

NYMPHÆA, νυμφαῖα, νύφαρον MYREPS. *Nenufar*, *Seeblum.* Ejus Radices & Flores nobis in uſum cedunt.

Radices longæ ſunt, brachium interdum craſſæ, fungoſæ, extus fuſcæ, nodoſæ, intus albidæ, leviter amaræ.

* *Florum* aſſervantur petala, quæ alba ſunt, oblonga, inodora, inſipida.

NYMPHÆA. Calice quadrifolio ſuſtentat Corollam polypetalam, polyandram, monogynam, capſula collo coarctata eſt., apice coronata, multilocularis: *Alba* L. BLACWELL 498. foliis integerrimis diſtinguitur.

Radices $\frac{1}{4}$ Extracti aquoſi exhibuerunt CARTHEUSER.

Creſcit in aquis per omnem Europam.

Radices, quas Pariſini a Nymphæa lutea deſumunt, leviter demulcent & relaxant, hinc, præeunte AVICENNA, refrigerare dicuntur & ſomnum inducere, DETHARDING eis in longum fiſſis & pedum plantis applicatis, tertianam crebro curatam fuiſſe aſſeverat. Flores exſiccati omnino inertes ſunt.

Aqua deſtillata iners: *Conſerva Lumin. Major.* demulcentes & ſopientes vires habet: * *Syrupus* conſervæ vires exſequitur: * *Oleum per Infuſ.* DE SALICETO: *Mel* RHAZES ad clyſteres anodynos recipitur.

* OLEUM NUCUM BEHEN. Eſt Oleum unguinoſum, limpidum, inſipidum & præ omnibus reliquis inodorum, aëre temperato conſiſtens; illud largiun-

tur, *Nuces Behen* Arab. βαλάνοὶ μυρεψικοὶ, *Myrobalani* Veterum, quæ avellanæ magnitudinem habent, triquetræ, ſub cortice albido, fragili, nucleum pinguem, amarum, pellicula nivea & fungoſa tectum includunt, & ultra $\frac{1}{6}$ olei fundunt.

GUILANDINA. Calice quinquefido ſuffulcit Corollam pentapetalam, diploſantheram, monogynam & legumen rhomboideum habet: *Mohringa* L. BLACWELL 386 habitu inermi, foliis bipinnatis & inferioribus ternatis diſtinguitur.

Creſcit in Syria, Ægypto, Malabar & Zeylon.

Vires purgantes & viſcera ſubvertentes nuces habere dicuntur, hinc earum uſus eviluit.

Oleum, quod Seculo XV demum cœpit in uſum trahi, reliquorum oleorum unguinoſorum effectus edit, ab antiquiſſimis retro temporibus ejus præcipuus uſus eſt apud unguentarios, qui illud odore vegetabilium fragrantium, infuſionis ope, imbuunt.

PSYLLII SEMEN vid. *Purgantia Specifica.*

* SARCOCOLLA, σαρκοκόλλη. Adducitur ad nos forma granorum variæ magnitudinis, maxima juglandem æquant, rugoſorum, flavicantium, cum veſtigio rubedinis, odoris nullius, ſuavem autem, dum accenduntur, odorem, ſpirantium, ſapor ex dulci nauſeoſo amaricat & aliquid acris in lingua relinquit. Eliguntur grana minus tincta & nullis ſordibus inquinata.

PENÆA. Corolla gaudet quadrifida, calice bifolio cincta, iſanthera, ſtylo quatuor alis tetragono inſtructa & capſula tetragona, quadriloculari, dipyrena: *Sarcocolla* L. foliis ovatis planis diſtinguitur.

In aqua totum, in ſpiritu vini quoad maximam partem diſſolvitur. Ultra $\frac{3}{8}$ Extracti ſpirituoſi & $\frac{15}{16}$ Extracti aquoſi NEUMANN exhibuit.

Ad ulcera exſiccanda & glutinanda a GALENO commendatur, Arabes ipſi vires catharticas adſcripſerunt, cum lacte ad ophthalmiam ſeroſam commenda-

tur, nec non ad delendas faciei maculas. Potius resolventes, quam relaxantes vires edet.

* SATYRIUM, multum a Satyriis DIOSCORIDIS diversum ὄρχις, *Stendelwurzel.* Dat Radices sphæroideas colore flavescente præditas, tenaces, insipidas, inodoras.

Desumuntur ex omnibus *Orchidis* & *Satyrii* speciebus, quæ radices bulbosas & indivisas habent, gaudet autem

ORCHIS Petalis sex irregularibus, quorum maximum & infimum bilabiatum est, labio inferiore varie secto, antheris duabus, cum stilo, labio petali maximi superiori accretis, capsula oblonga polypyrena gaudet. Ab ea *SATYRIUM*, quod nullum calcar educat, distinguitur.

Radices Satyrii ad nos etiam ex Oriente adducuntur sub nomine *Radicum Salep*, quam vocem apud Turcas Orchidem denotare BUXBAUM testatur, nequaquam a nostratibus nisi ratione, qua exsiccantur diversæ, hæc secundum GEOFFROI in eo consistit, quod recentibus cuticula detrahitur, eædem per aliquot horas frigidæ infunduntur, coctæ dein, ex filis suspenduntur & exsiccantur, quo fit, ut & ventricosæ maneant & aliquem splendorem accipiant.

Radices Salep $\frac{1}{4}$ Mucilaginis siccæ largiuntur. Ultra $\frac{7}{8}$ Mucilaginis CARTHEUSER asserit.

Radices Satyrii hodie vix præscribuntur, crebriori autem in usu sunt Radices Salep, quæ sua mucilagine egregie relaxant & demulcent, DEGNER easdem cum successu ad dysenteriam adhiberi observavit, SEBA autem ad epilepticos & convulsivos motus, easdem in Gallia nutriendi ergo hecticis & phtisicis exhiberi in *Journal de Medecine* T. XI. monetur. Vires aphrodisiacas, GALENO jam celebratas, nonnisi signatura nixas, mitto.

Dantur ad drachmam dimidiam sub forma pulveris,

ris, five ad drachmam unam ex aqua aut lacte coctæ.

* *Electuarium Diafatyrii* NICOLAI Noftrates receperunt, Wurtembergenfium præfcriptio fe majori fimplicitate commendat, ab aromatibus potius quam a radicibus fatyrii vires habet: * *Conferva* Parif. * *Conditum* VAL. CORD.

* SEBESTEN. AVERROES, *Myxa* PLIN. *fchwarze Bruftbeeren.* Fructus avellanarum magnitudine, prunis exficcatis fimiles, rugofi, calice ficco, flavicante, vix incifo fuftentati, vertice acuto terminati, pulpa fufca & dulci officulum oblongum duriffimum continent, nucleo dulci fœtum.

Pleni, calyce inftructi, dulces eligendi.

CORDIA. Corolla monopetala, in plures, ad fex ufque, lacinias fecta, calice fuftentata, ifanthera, monogyna, & drupa fphæroidea nucem includente gaudet: *Myxa* L. foliis ovatis, fupra glabris, corymbis lateralibus, calice decem ftriato diftinguitur.

Crefcit in Malabaria & Java.

Cum prunis exficcatis ratione virium conveniunt, rariffime hodie in ufum trahuntur, olim reliquis fructibus, unde decocta pectoralia parabant, adjiciebantur.

SILIQUÆ DULCES, *Siliquæ*, *Siliquæ Græcæ*, κερατώνια, χαροῦβα, καῤῥοωβία, Græc. Junior. *Carobes*, *Carouges*, *Johannis Brod.* Fructus oblongi, plani, plus minus incurvi, rugofi, fufci, pluribus diffepimentis diftincti, pulpa dulci, fufca farti, fingula fepimenta femen fubrotundum, fplendens, fufcum, quod nucleum album includit, continent.

Macræ, & quæ concuffæ crepitant, rejiciendæ funt.

CERATONIA L. BLACWELL 209. Et hermaphrodita eft & relativa diphyta, Corolla quinquefida, ifanthera, monogyna & fructu, qui legumen eft, gaudet.

Vulgatiffima per Europam Meridionalem & omnem Orientem arbor, adeo fœcunda, ut ejus fructus jumentis in cibum cedant.

Ultra $\frac{5}{8}$ Extracti aquosi, ad $\frac{19}{11}$ spirituosi inde obtinuit NEUMANN. Extracti aquosi $\frac{2}{3}$ CARTHEUSER.

Jujubarum vires habent, & ut plurimum una cum illis ad decocta pectoralia recipiuntur.

* SIGILLUM SALOMONIS Lat. Barb. *Sceau de Salomon*, *Weiswurzel*. Radices fibrosæ sunt, quæ ubique eandem fere crassitiem habent, flavescentes, intus albæ, striis transversalibus eminentibus notatæ, sapore dulci instructæ.

Convallaria Polygonatum L. BLACWELL 251. Foliis alternis amplexicaulibus, pedunculis axillaribus, paucifloris distinguitur.

Crescit in omni Europa, in Italia quoque.

A vi demulcente & abstergente olim, & forsan non immerito laudabatur, WERLHOFF illam ad inflammationes uteri commendasse, sub forma cataplasmatis applicatam, fidem facit Ill. HALLER; Cl. CULLEN ex ejus dimidia uncia cum libra una lactis decocta in hæmorrhoidibus & hæmorrhagiis egregios effectus vidit.

* *Aqua destillata* VAL. CORD.

* SYMPHYTUM, σύμφυτον, *Consolida Major* Barb. *Grande Consoude*, *Schwarzwurz*. Radices & Folia officinis relinquit.

Radices oblongæ sunt, aliquot pollices crassæ, foris nigræ, intus albæ, inodoræ, insipidæ.

* *Folia* oblonga, hirsuta, aspera.

SYMPHYTUM. Corollam quinquefidam, cujus faux clausa est, calice pentagono sustentatam sistit, isantheram, monogynam, semina nuda: *Officinale* L. BLACWELL 252. folia decurrentia habet.

Crescit fere per omnem Europam, non videtur in Italiam Meridionalem descendere.

Nullam unquam ex his radicibus mucilaginem potui obtinere, sed Extracti aquosi bruni, evidenter salini $\frac{1}{2}$; CARTHEUSER $\frac{3}{4}$ Mucilaginis tenacissimæ inde obtentæ allegat; NEUMANN $\frac{3}{4}$ Extracti aquosi, $\frac{1}{4}$ spirituosi.

Radices ob vires demulcentes & relaxantes hæmoptoicis, nephriticis, & dyſentericis laudantur.

* *Syrupus* FERNEL. ex relaxantibus & roborantibus compoſitus, exhibetur vomentibus, dyſentericis, phthiſicis: * *Syrupus ſimplex* LEMERY: * *Aqua deſtillata* VAL. CORD. * *Tabellæ* Pariſ.

TRAGACANTHÆ GUMMI, τραγάκανθα, *Gomme Adraganth*, *Tragant*. Eſt Gummi album, inodorum, inſipidum, ſub dentibus lenteſcens, mox vermium, mox filorum in ſe revolutorum, interdum granorum figuram habet.

Fruſta flava, rubra, nigra, ſordibus inquinata, quæ *in Sorten* a mercatoribus dicuntur, pro ſcopis medicis rejicienda & coriariis relinquenda ſunt, talia aliquando ſub nomine *G. de Baſſora* accepi.

ASTRAGALUS. Corolla papilionacea, calice quinquefido irregulari ſuſtentata, alis carinæ æqualibus, legumine biloculari gaudet: *Tragacantha* L. BLACWELL 264. caule arboreſcente & petiolis ſpinoſis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali & vicinis Aſiæ regionibus.

In Aſia creſcentis fruticis truncus & rami, menſe Julio ſucco turgent, qui inde ſive ſponte erumpit, ſive inciſione elicitur.

Aqua mucilaginem valde ſpiſſam efformat, cui tenta eſt viſciditas, ut ſponte ex aqua ſecedat.

Relaxandi & demulcendi ergo præſcribitur, ejus mucilago eſt vulgare conſtituens vix non omnium trochiſcorum.

Species Diatragacanthæ frigidæ NICOLAI. Noſtrates radices Altheæ adjiciunt & ſaccharum omittunt, Wurtembergenſes etiam ſemina, omnino imitandi, omnes Camphoram: crebro in uſu ſunt ad morbos pectoris maxime. *Pulticula de Tragacantha* Noſtrat. ad tormina infantum cum ſucceſſu per parva cochlearia præſcribitur.

TUSSILAGO, *Farfara*, Lat. Barb. *Farfugium*, *Tussicularis*, *βήχιον*, *Pas d'Ane*, *Rosshub.* Radices, Folia & Flores recipiuntur.

* *Radices* tenues sunt, fibrosæ, albidæ, insipidæ, inodoræ.

* *Folia* majora sunt, subcordata, angulosa, superne viridia, inferne alba, sapore leviter adstringente instructa.

Flores tubulosi sunt, calice multifido comprehensi, flavi, parum odorati, levissime dulces.

Tussilago Farfara L. BLACWELL 204. scapo unifloro, imbricato & foliis subcordatis, angulatis, denticulatis distinguitur.

Occurrit in omni Europa, scapi florigeri primo vere erumpunt, quos dein folia excipiunt.

Planta relaxans & emolliens, ab omni tempore tussientibus fuit commendata. Fumus foliorum, per fistulam fumifugam ore haustus, ad odontalgiam laudatur.

* *Aqua destillata* VAL. CORD. iners omnino: * *Conserva* VAL. CORD. * *Syrupum* Nostrates, præeunte SCHROEDER, ex tota planta, Parisini & Wurtembergenses ex floribus jubent parare: * *Loch de Farfara* August. bonum medicamentum demulcens, ad affectus pectoris cochleatim exhibetur.

VERBASCUM, φλόμος, φλόνος, *Thapsus Barbatus* Lat Barb. *Bouillon blanc*, *Wollkraut.* Folia & Flores recipimus.

* *Folia* sunt longa, acuminata, utrinque tomento obsessa, sapore leniter adstringente prædita.

Flores asservantur calice exemti, rotati, quinquefidi, leni & suavi odore instructi, sapore dulci.

VERBASCUM. Corolla rotata, irregulariter quinquefida, calice quinquefido nixa, isanthera, monogyna & capsula biloculari gaudet: *Thapsus* L. BLACWELL 502. foliis decurrentibus distinguitur.

Occurrit per omnem Europam.

Aquam, a floribus odoratam destillare, eosdem aliquid Olei odorati fundere, eorum succum saccharum dare, eosdem ultra $\frac{1}{2}$ Extracti suavi odore & sapore instructi largiri, folia autem similis Extracti amaricantis $\frac{1}{3}$ fere fundere, vidi cum RISLER. Consentit NEUMANN ratione Extracti ex floribus, qui $\frac{3}{8}$ Extracti spirituosi dulcis, & ex foliis $\frac{3}{8}$ fere Extracti aquosi, $\frac{3}{16}$ autem spirituosi obtinuit.

Flores præcipuæ scopo demulcendi & relaxandi adhibentur, & inter nos saltem in frequentissimo usu ad affectus pectoris sunt, sed probe cavendum, ne tomentum calicibus adhærens fauces irritet, & ne ultra justum temporis modum infusio protrahatur, unde quippe plurimum gratiæ perditur. Decocto ad phthisin pulmonalem hominum æque ac brutorum utuntur in Norwegia teste LIE. Iidem etiam cum successu ad clysmata emollientia & sopientia adhibentur.

Oleum per Insolationem seu Liquamen MATTHIOL. relaxandi scopo, hæmorrhoidibus applicatur: *Oleum per Infusionem* SCHROEDER.

β. ANIMALIA.

AXUNGIA vid. *Nutrientia Animalia.*

BUTYRUM vid. *Bos.*

EBUR, ἐλεφας, *Ivoire*, *Helfenbein.* Hoc nomine veniunt dentes Elephantis laniarii, quorum ab utroque proboscidis latere unus, ex maxilla superiori eminet, varia magnitudine præditi, quæ ut plurimum ad quinque pedes accedit, exempla centum librarum pondus excedentium apud Auctores occurrunt, & decem pedes longitudine æquantium; albissimi sunt, sed senio lutescunt, resimi, basi, ubi alveolo inhærebant, latissimi sunt, strias habent & cavitate conoi-

dea exſculpuntur, cujus axis non raro pedis longitudinem excedit.

Elephas L. Animal quadrupes, dentibus molaribus & caninis, nec non proboſcide inſtructum.

In Africa & Aſia Meridionali occurrit.

$\frac{1}{12}$ Gelatinæ ſiccæ inde obtinui, Geoffroi $\frac{5}{16}$ præ gelatina Cornu Cervi minus cohærentis, Neumann $\frac{1}{6}$ gelatinæ ſiccæ, $\frac{1}{80}$ Extracti ſpirituoſi, ſpiritus urinoſi $\frac{1}{3}$ fere, Olei empyreumatici $\frac{1}{24}$ & $\frac{1}{8}$ ſalis volatilis inde ſeparavit.

Dioscorides Ebur ab adſtringendi virtute laudat; quam autem neque ejus in linguam effectus, nec ulla obſervatio probat; labentibus demum in Europa litteris crebrius cœpit in uſum trahi, & per omnia illa ſecula, quibus non tam ex Natura, quam ex ingenio de viribus medicamentorum ſtatuebant, multum ad morbos capitis & cordis, nec non ad hæmorrhagias commendabatur; hodie non alias, quam quas ab omni oſſe, ratione gelatinæ, qua ſcatent, exſpectamus vires, ab eo nobis promittimus, ut plurimum cum Cornu Cervi præſcribitur, quo quidem magis albam, ſed parciorem omnino gelatinam fovet.

* *Raſura* * *Ebur uſtum* peſſime a Latino-Barbaris *Spodium* dictum, qua quippe voce, Græci Cadmiam fornacum, Arabes varias ſubſtantias, nunquam autem Ebur uſtum indigitarunt, de albo valent, quæ de Cornu Cervi uſto dixi, cur autem ab Ebore uſto nigro aliæ, quam ab omni reliquo carbone, vires debeant exſpectari, non video: * *Ebur ſine igne præparatum* pari paſſu cum Cornu Cervi cognomine ambulat.

* *Ebur foſſile*, ἔλεφας ὀρυκτὸς, quod abſurde omnino *Unicornu* ſoleut appellare, in officinas quoque recipiunt; occurrunt de eo interdum integri dentes, interdum eorum modo fruſta, ut plurimum extus nigro aut gryſeo cortice obducta, intus continent ſubſtantiam oſſeam, quæ per aërem, aquam &c. in ſtrata

variæ magnitudinis resoluta est, albissima, cum acidis effervescens, calcarea.

Repertum est hoc Ebur in variis per Europam regionibus, talibus quoque, & quidem sat copiose, ad quas nulli unquam elephantes pervenerunt, non raro in Rheno occurrunt, in quæ sæpius etiam horum animalium dentes molares reperiuntur. Cum nihil intersit, os quoddam, sive calore fornacis brevi tempore, sive aliis injuriis externis post longam demum ætatem, in naturam calcis vertatur, hinc Ebur fossile ab illo, quod ustum dicitur, ratione virium medicatarum non differt, quicquid etiam luxurians medii ævi Medicorum ingenium sudoriferæ, cordialis &c. virtutis, illi adscripserit.

* HIPPOPOTAMI Dentes, *Dents du Cheval Marin*, *Wallrosszähne* a basi ad apicem usque incurvi sunt, & parum angustati, duorum circiter pollicum diametrum habent, lineis longitudinalibus curvaturæ parallelis distinguuntur, quas ad basin circulares secant, apex sensim in conum abit incurvum, cujus vertex aduncus est, apex totus albissimus, basis terminatur cavitate conoidea, aliquot pollices longa. Hi dentes sunt laniarii prominentes.

HIPPOPOTAMUS L. & BRISSON. Quadrupes, dentibus incisoribus in utraque maxilla, pedibus quatuor ungulatis antice & postice gaudet.

In Nilo & fluviis Asiæ obtinet.

$\frac{1}{8}$ Extracti aquosi tenacissimi, salini NEUMANN inde obtinuit.

Dentes superiori demum Seculo in usus medicatos recepti fuerunt. Laudantur ad sistendas hæmorrhagias & sopiendos motus irregulares, has vires cum nulla fida observatio confirmaverit, hinc eorum usus eviluit, æque ac molarium *Trichechi Manati* L. qui sub nomine *Lapidum Manati* olim celebrabantur.

* ICHTHYOCOLLA, Ἰχθυοκόλλα, *Colle de Poiſſon*, *Hausblaas*. Proſtat ſub forma maſſarum cylindroidearum, in ſpiras convolutarum, evidenter ex laminis efformatarum, digitum circiter craſſarum, inſigni tenacitate inſtructarum, ſaporis & odoris expertium.

Fruſta alba, pellucida, non nimis craſſa eligenda, quo profundius flava ſunt, eo deteriora.

Colla, quæ ex variis piſcium generibus, Cetis, Aſellis &c. vulgari ac conſtanti præparari ſolet ratione, hujus loci non eſt, qualis ichthyocolla Veterum fuit; genuina paratur ex veſiculis aëreis omnium *ACIPENSERIS* L. generum, quarum tunicæ internæ argenteo ſplendore nitentes, convolvuntur & comprimuntur, ut ſibi invicem agglutinentur, & exſiccatæ dein commercium intrant, *Huſo* L. viliorem, *Sturio* L. mediam, *Ruthenus* L. optimam ſiſtit. Maximum Ichthyocollæ commercium ad Fanum St. Archangeli obtinet.

Ex Ichthyocolla NEUMANN ultra $\frac{1}{2}$ ſpiritus urinoſi, $\frac{3}{6}$ Olei empyreumatici, $\frac{1}{16}$ ſalis volatilis obtinuit.

Tota in aqua diſſolvitur & eidem viſcedinem affricat, ita ut ad vitra & vaſa porcellanea glutinanda poſſit adhiberi, filis ſericeis ſplendorem dat, vinis turbidis claritatem.

Menſtruis aquoſis diluta, demulcet & relaxat, hinc ad hæmorrhagias, diarrhœas &c. cum ſucceſſu exhibetur, FABRICIUS ab Ichthyocolla, ope aquæ in formam tenuioris gelatinæ redacta, cujus cochlear unum, jure dilutum, pro doſi exhibebatur, egregios in curanda dyſenteria effectus vidit. Clyſteribus demulcentibus quoque adjicitur.

LAC vid. *Bos*.

* LACERTA, σαῦρος, *Lezard*, *Eidex*. Animal amphibium, quatuor pedibus & cauda inſtructum.

Lacerta Agilis L. Caudam verticillatam habet, longam, ſquammas acutas, collare ſubtus majoribus

efformatum squammis, pedes pentadactylos, & digitos unguiculatos.

Occurrit in omni Europa, frequentius in Meridionali.

Vulnerariæ ipsi vulgo adscribuntur vires, quas autem non aliter quam emolliendo, & hinc suppurationem promovendo, videtur edere.

* *Oleum infusum* BRASSAVOL. Nostrates, præeunte ZWOELFFER, pro illo parando, jubent oleum nucum recipi, refert hic Auctor, hoc medicamentum tanquam summum ad hernias remedium fuisse adhibitum.

MEDULLA vid. *Bos.*

OESYPUS vid. *Ovis.*

OVORUM ALBUMEN & VITELLUS v. *Gallus.*

SEBUM vid. *Bos.*

SPERMA CETI Lat. Barb. *Blanc de Baleine*, *Wallrath*. Est substantia alba, pinguis, proprio odore & sapore instructa, quæ sub forma frustorum siccorum, splendore quodam instructorum, e lamellis compositorum ad nos adducitur.

Frusta vel levissima flavedine tincta, aut rancorem spirantia, debent rejici.

Desumitur ex vario *Balænarum* sive *Cetorum* Auctorum genere, præcipue ex *PHYSETERE*, qui dentes in maxilla inferiore habet, *Macrocephalo* L. *Cachalot* BRISSON, dorso impinni & fistula in cervice gaudet, sed obtinetur quoque ex *Catodonte* L. dorso impinni & fistula in rostro distincto, ex *Micrope* L. pinna dorsali & dentibus acutis instructo, & ex *Tursione* L. qui ab antecedente apice dentium plano differt.

Omnes Oceanum septentrionalem inhabitant, maxime inter Norwegiam & Americam.

Efformatur Sperma Ceti in propriis cerebri cavitatibus, quarum ad octo & viginti usque occurrunt, in proprio præterea canali, qui omnem spinæ longi-

tudinem legit; dum in pisce continetur, formam olei habet, mox autem postquam inde desumtum est, in formam floccorum nivis densatur, idem interdum mari innatare observatur, quando ex animali putredine resoluto secedit, & inde denominationis ratio surrexit; pinguedo hæc ex animali desumta, aqua, a sanguine & encephali portionibus, quæ ei adhærere solent, nec non coli ope, per quod liquata trajicitur, depuratur, committitur deinde prelo, ut oleum peregrinum, quod ipsi accrevit, inde exprimatur, oleum quod preli vires elusit per lixivium causticum aufertur, & ut hoc melius in substantiam ab expressione residuam agere possit, hæc in frusta dissecatur, sperma ceti hac ratione optime depuratum sole & acre exsiccatur.

Notatu dignum est quod hæc pinguedo cum alcali fixo non possit uniri, & quod, observante NEUMANN, tota ex retorta destillet, consistentiam fluidiorem, sed vix vestigium empyreumaticis induat.

Oleorum unguinosorum vires habet, cum successu, relaxante, demulcente & antispasmodico scopo ad morbos pectoris, intestinorum, viarum urinariarum adhibetur; extus egregie ad fissuras & lac inspissatum attenuandum in usum trahitur; recte jam LANG a spermate ceti intus assumto, ut grumos sanguinis dissolvat, frustra expectari monet.

Datur ad drachmam unam pro dosi cum aliquo sapone.

Emplastrum de Spermate Ceti MYNSICHT. Wurtembergenses Galbani rationem imminuunt, Parisini illud totum omittunt. Optime mammis a lacte induratis imponitur.

γ. FOSSILE.

AQUA (§. 21.)

Cap. IV.

IRRITANTIA.

§. 38.

Irritantia appellamus medicamenta, quæ efficiunt, ut fibræ motrices corporis humani in fortiores motus agantur: fit hoc 1) dum irritabilitas fibris propria augetur, hujus autem ratio, adhuc nobis incognita, quomodo illa immediate poſſit intendi, indicare vetat, cum autem evictum ſit, eam cum vi nervea ita nexam eſſe, ut hac aucta, ipſa quoque intendatur, hinc *Fragrantia* (§. 29.) huc pertinent: 2) dum ſtimulus fortior, quam cui a Natura aptatæ ſunt, fibris applicatur, medicamenta hac ratione agentia, *Acrium* nomine ſolent venire, ea ſi ita valide agunt, ut partes fibræ, ob nimiam contractionem e nexu ſolvantur; aut ſi virtute menſtrua, qua pollent, ſolida diſſolvunt, *Rodentia* appellantur.

§. 39.

Cum irritantia actionem ſolidorum augeant, ab hac autem motus æque, ac impetus humorum pendeat, hinc illa ſemper efficiunt, ut ad partem, cui applicantur, affluxus humorum copioſior fiat, & pro hujus vario gradu, diverſi obtineant effectus; illa quæ faciunt, ut ſanguis vaſa minorum ordinum ſubeat, vel etiam in celluloſam effundatur, φοινιγμοὶ, *Rubefacientia* dicuntur, cum autem epidermidem a cute ſecedere, & humorem in intervallum hac ratione efformatum, colligi faciunt, ἐκδόρια, *Veſicantia* appellantur; Acria quæ integumenta cum ipſa carne exedunt, καυστικὰ *Adurentia*, *Exedentia* nominantur, & dum ſimpliciter partem rodunt καθαιρετικὰ, ſi autem humores effuſos in cruſtam

cogunt ἐσχαρωτικὰ, & quando parti putredinem affricant σηπτικὰ. Quando irritantium ope, materiam peregrinam ad certum locum evocare, aut humoribus in quadam parte ſtagnantibus novum impetum dare animus eſt, *Attrahentia* vel ἐπισπαστικὰ potius ἀντισπαστικὰ appellantur, eadem, dum impetum humorum a trunco & ramis internis avertunt, *Derivantia* dicuntur, *Revellentia* autem, quando eorum ope quantitatem motus ſanguinis in alterutra Aorta refrænare tentamus. Illud præterea adhuc noto, quod rubefacientia majori doſi adhibita, veſicantium & cauſticorum effectus edant, & quod minor ratio cauſticorum, veſicantes modo aut rubefacientes vires habeat.

§. 40.

Indicantur Irritantia in omni tempore fibrarum, & morbis inde oriundis; acria extus præcipue applicantur, & egregios effectus præſtant in ægritudinibus, quæ a congeſtionibus humorum ad partes nobiliores ſurgunt, dum illos ad externa alliciendo, ab his avocant, hinc jam CELSUS in inflammationibus pectoris, epiſpaſtica externo pectori imponi juſſit, cujus medendi rationis præſtantiam, etiam innumeris graviſſimorum Practicorum obſervatis recentior ætas confirmavit; ad hæc ipſa medicamenta *Urticationes* quoque, *Fuſticationes*, *Fonticuli*, *Setacea*, *Scarificationes*, *Uſtiones* ſeu *Cauteria actualia* pertinent, nec male huc *Electricæ concuſſiones* videntur eſſe referendæ; acria præterea, dum efficiunt, ut humores majori impetu per vaſa partis, cui applicantur, moveantur, a materie ſpiſſa in minimis maxime vaſis hærente, nec non ab his ipſis collapſis quoque indicantur, in paralyſi & atrophia cum magno ſucceſſu adhibentur; cum etiam evictum ſit, una parte fortius irritata, reliquas validius quoque ſe conſtrin-

gere, hinc ad hæc medicamenta in languore virium, maxime in febribus nervoſis, & illis ubi coctio & criſis promoveri jubentur, prudenter omnino recurri eluceſcit; Catharetica ad partes morboſas conſumendas, ulcera ſordida abſtergenda, fonticulos excitandos adhibentur.

§. 41.

Interne, nonniſi mitiora irritantia locum habent, ea tunc quoque debent exulare, quando ab aucto motu humorum aliquod periculum metuendum, nec non cum primæ viæ inflammatæ, excoriatæ, ſpaſmo conſtrinctæ ſunt; acria, nonniſi cicurata, aut ſub minima doſi debent exhiberi, tanquam emetica draſtica agunt, & ſi doſi majori dantur, ceu venena rodentia graviſſima ſymptomata excitant & hominem occidunt, ſi autem exigua adeo quantitate, ut ventriculum ſubvertere nequeant, validiſſime humores reſolvunt. Extus dum adhibentur, non debent applicari locis, ubi magna vaſa aut magni nervi decurrunt, vel ubi tenuis modo celluloſa integumentis ſubjacet, nec in uſum trahenda, cum vaſa ſanguine turgent, probe quoque cavendum, ne irritatio, quam cauſantur, in tempus paroxyſmi febrium cadat. Quibus cautelis cauſtica locum habeant, Chirurgia tradit. Id tandem adhuc addendum duco, noſtris temporibus Rubefacientia & veſicantia creberrime in uſum trahi in morbis internis, ubi Veteres Cauſtica, Scarificationes, Cucurbitulas præceperunt.

α) VEGETABILIA.

ARMORACIA vid. *Olera.*

AROMATA (§. 25.)

ARUM, ἄρον. Eſt Radix tuberoſa, alba, rotunda, farinacea, recens acerrima, exſiccata, paulo mitiorem ſaporem habet, odorem nullum; ab eadem pro uſi-

bus pharmaceuticis exſiccanda, cuticulam externam ſolent auferre.

Arum. Corolla gaudet auriculam referente, conoidea, uno latere aperto, altero concavo, partibus genitalibus ſummo pedunculo, in corollam recepto, inſidentibus, polyanthera, polygyna, fructibus baccatis: *Maculatum* L. Blacwell 228. Habitu acauli & foliis haſtatis diſtinguitur.

Vulgatiſſima in Europa temperata planta, quæ non ultra Saxoniam aſcendit.

Radices vere, antequam flores erumpant, colligendæ.

Succus ex radicibus recentibus expreſſus, ſyrupum Violorum viridem reddit, ab omnibus acidis coagulatur, nec non a calore, inſpiſſatus dulciuſculus eſt: Radices recentes deſtillatæ ſpiritus urinoſi $\frac{2}{5}$, ammoniacalis $\frac{3}{10}$, olei empyreumatici $\frac{1}{60}$ exhibuerunt, exſiccatæ $\frac{1}{12}$ circiter Extracti ſpirituoſi nauſeoſe dulcis, ad $\frac{1}{3}$ uſque aquoſi dulcis & viſcidi dederunt, & aliquid Olei amari & acris, Gesner; Extracti reſinoſi $\frac{1}{24}$, aquoſi $\frac{3}{8}$ fere, Neumann; Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{30}$, aquoſi $\frac{1}{4}$, Cartheuser.

Angli & Pictones has radices loco ſaponis ad mundanda lintea adhibent, Rajo & Geoffroi teſtibus.

Radices, evidenti acrimonia & indole ſaponacea inſtructæ, ab omni tempore ad mucum attenuandum, valde laudatæ fuerunt, Hippocrate præeunte, & omnino egregie faciunt ad eundem reſolvendum, & fibras, ut reſolutus excerni queat, incitandas; Gesner, Müller, Horstius obſervationes habent; hoc ipſum confirmantes, quibus innumeræ adhuc experientiæ accedunt, quæ ulterius evincunt eaſdem quoque optime ad morbos ventris, a muco aut debilitate fibrarum oriundos, adhiberi. Dantur ad drachmam dimidiam: Extus ab Hippocrate abſtergendi ergo ulceribus jubentur inſpergi.

* *Rad. Ari cum Aceto præparata* HELMONT. * *Fæcula* ANGEL. SALÆ utrique pulvis præferendus: *Pulvis Stomachicus* BIRCKMANN, *Pulvis ad omnes Ventriculi affectiones mirabilis Birckmann.* QUERCETANI. *Pulvis Ari compositus* Paris. Egregium omnino ad morbos mucosos pectoris & abdominis medicamentum, nec non ad obstructiones viscerum abdominalium, pulcherrimos effectus inde in variis ventriculi affectibus RIEDLIN vidit.

* CATAPUTIÆ SEMINA Lat. Barb. Eorum duo genera, Majus nimirum & Minus, in officinis occurrere solent.

Majus, καρπὸς τοῦ κρότωνος aut τοῦ κικέως, *Semen Ricini* Veter. *Semence de Chasse taupe*, *Purgierkorn*.. Est semen ovatum, quod sub cortice fragili, sicco, nigro, lineis gryseis pulchre variegato, medullam albam includit, acerrimo sapore linguam ferientem.

RICINUS L. Habitu relativo monophyto, marium corolla quinquefida, feminarum tripartita, illa polyandra, hac trigyna, capsula triloculari & aculeata gaudet: *Communis* L. BLACWELL 148. Foliis palmatis & serratis distinguitur.

In Europa Meridionali & reliquis Orbis partibus occurrit.

Fundit $\frac{1}{3}$ circiter olei, urente acrimonia linguam & fauces ferientis.

GALENUS Semen purgantibus adscribit, & oleum ejus, oleo olivarum magis detergens esse, asserit, MESUE ejus dosin ad grana septem limitat, a medicamento, quod acrimonia sua facile primas vias inflammare posset, prudentiores abstinent. * Oleum inde expressum Veteres κικίνον dixerunt, jam ab Arabibus contra colicam laudatum testibus BANCROFT & FRASER, in America ad colicam Pictonum exhibetur, qui ultimas, illud quoque in affectibus nephriticis & dysenteria cum successu adhiberi, testatur, de eodem in colica, omni hora unum cochlear propinat, usque

dum alvus ſolvatur, imo ejuſdem parvum cochlear infantibus, pro ducendo meconio optime dari, aſſerit. Ex nucleis rejecto cortice exprimendum eſt.

Minus, καρποὶ τῆς λαθυρίδης, *Grains de l'Epurge*, *Springkörner* conſtituunt Grana prioribus multo minora, ovata, ſub cortice ſicco, litturis rufis variegato, medullam acerrimam, fauces inflammantem, includentia.

Euphorbia. Corollam tetrapetalam vel pentapetalam, cujus calicis laciniæ numero petalorum reſpondent, polyandram, trigynam habet & capſulam trilocularem, *Lathyrus* L. Blacwell 123. Umbella quadrifida agnoſcitur. Europa Meridionalis civis.

Maxime purgatoria hæc grana Galenus pronunciat, medicamentum evidenter cauſticum ex praxi hodierna jure exulat.

Cepæ vid. *Olera*.

Cocculi Recent. Sunt Grana, quæ piſorum majorum magnitudinem habent, gryſea, rugoſa, ventricoſa, non raro pedunculo ſuſtentat & quæ ſub cortice tenaci, nucleum amariſſimum & fervido ſapore linguam afficientem, includunt.

Menispermum. Planta relativa diphyta, calice diphyllo, ſuſtentat Corollam polypetalam, vel polyantheram, vel diſtylam, baccas monopyrenas maturat: *Cocculus* L. Blacwell 389. Foliis cordatis, retuſis, mucronatis diſtinguitur.

Creſcit in India.

Ruellius inter primos Cocculorum mentionem fecit, quos primi Veneti Europæ intulerunt, eos venenatos apud homines effectus edere, nulla, quantum ego ſaltem novi, obſervatio probat, Rumph catharticos eſt expertus, apud nos nunquam ad uſus internos fuerunt adhibiti, eorum pulverem locis, quos pediculi infeſtant, inſpergere, nec non ad capiendos piſces eos recipere, in more habent, quippe

quippe qui inde vertigine corripi & ſupra aquam natare dicuntur.

* COLCHICUM, κολχικὸν, *faule Fuden.* Radices exhibet bulboſas, multis ſquamnis tectas, quæ rejiciendæ ſunt, cuticula propria flava eſt, magnitudo ad nucem juglandem accedit, noſtræ aliquem acrimoniæ ſenſum linguæ imprimunt, nequaquam inflammantem, cui quædam amarities juncta eſt. Cl. CRATCHOWILL & Illuſtr. HALLER nullam cauſticitatem deprehenderunt.

COLCHICUM. Corolla ſexfida, iſanthera, trigyna & capſula triloculari gaudet: *Autumnale* L. BLACWELL 566. Foliis lanceolatis & flore diu ante folia erumpente diſtinguitur.

Creſcit in Europa temperatiore, ultra Saxoniam non aſcendit.

Has radices intus datas, funeſtos effectus ſecutos eſſe, plures Auctores aſſeruerunt & obſervationibus confirmarunt, quarum multas Ill. HALLER collegit. Primus GOERIZ ejus virtutes ad morbos ab obſtructis viſceribus oriundos recenſuit, Ill. STOERCK eas multis tentatis ſuffulſit, quibus Cl. COLLIN, PLANCHON &c. alias quoque addiderunt: Exhibetur vulgo Oxymel ex eis ſequenti ratione paratum: Radices recentes infunduntur per quadraginta & octo horas cum Aceti duodecuplo, infuſum cum mellis dupla ratione coquitur, uſque dum nativa ipſi ſpiſſitudo reddita ſit, hujus medicamenti ſeſqui uncia partitis vicibus de die datur hydropicis & cachecticis.

Quæ de radicum Colchici ſub forma amuleti uſurpati viribus contra peſtem a quibuſdam Auctoribus ſunt allata, jure hodie ſpernuntur.

* ERUCA, εὔζωνις, *Roquette*, *weiſer Senf*, *Rauken.* Semina exhibet, quæ minuta ſunt, rotunda, alba, leviter flavicantia, ſapore acriore inſtructa.

SINAPI. Corollam cruciformem, calice tetraphyllo fustentatam, filiquam inferne torofam, in longum cornu terminatam edit: *Alba* L. filiquis hifpidis & roftro obliquo, longiffimo diftinguitur.

In Italia, Gallia, Anglia & Belgio fponte crefcit, Noftrates in agris colunt.

Apud nos & in Germania, fecundum BRUNFELS, hoc femen recipitur, in aliis regionibus, *Semen Braffica Eruca* L. adhibent, quod rufum eft & mitiorem faporem habet.

Semine Sinapeos minus acre, debiliores quoque quam illud vires habet.

EUPHORBIUM, Εὐφόρβιον. Proftant hoc nomine grana variæ magnitudinis, figuræ plus minus rotundæ & angularis, coloris ex rufo flavicantis, faporis acerrimi, linguam rodentis, quæ accenfa fuffitum non ingratum fpirant.

Euphorbia Officinarum L. BLACWELL 340 caule nudo, multangulari, aculeis geminatis agnofcitur.

Habitat in Africa.

Æqua ratione partes refinofas & gummofas continet, acrimonia hæret in partibus refinofis. LEWIS. Extracti aquofi $\frac{5}{8}$, totidem fpirituofi obtinuit NEUMANN.

A JUBA, qui non diu ante æram Chriftianam vixit, repertum & in honorem ejus Medici denominationem factam effe tradunt, illud cauftica virtutis effe, præeunte GALENO, omnes per omnem ætatem Medici ftatuerunt, convulfiones periodicas ab eo ortas, obfervavit TULPIUS, hypercatharfin cum graviffimis doloribus GULDENKLEE, dyfenteriam altero die lethalem ALEXANDER BENEDICTUS, licet itaque intus in morbis, ubi draftica proficua fore reputantur, a quibufdam commendetur, prudens Medicus nunquam ægrotos, fuæ fidei commiffos, graviffimis ab eo metuendis periculis exponet. Extus interdum rubefa-

cientibus & veſicantibus commiſcetur, a quibuſdam quoque ſternutatoriis adjicitur, ſed hoc ſcopo nimis acre eſſe videtur, BARTHOLINUS inde caput intumuiſſe & faciem cum faucibus inflammatam, inſequente ſtranguria, vidit; frequentiſſime, id quod inter Veteres jam obtinuit, pulvis ejus oſſibus inſpergitur, quorum exfoliatio promovenda eſt, & nervis, quos deſtrui, indicatio jubet.

Succus, quo ſcatent, plurimæ *Euphorbiæ* L. ſpecies, eandem cum poſſideat ac ſuccus inſpiſſatus, de quo hactenus egi, acrimoniam, idem etiam de eo retinendum.

* *Oleum Euphorbii* Pariſ. ad imitationem GALENI parant Euphorbium oleo coquendo, Wurtembergenſes ſecundum MESUE, oleo etiam vinum adjiciunt. Attrahendi ergo, capiti & extremitatibus in morbis capitis frigidis & in paralyſi illinunt: * *Euphorbium Succo Citri correctum* QUERCETANI non videtur titulo reſpondere: * *Extractum Eſulæ* Wurtemberg. a validiſſimo cauſtico omnino abſtinemus.

MEZERÆUM nequaquam Arab. Θυμελαία, non DIOSCORID. forte Ejus Χαμελαία, *Daphnoides* Veterum, *Laureola* Lat. Barb. *Bois gentil*, *Bois de Garou*, *Sain-bois*. Cortices & Grana ejus recipimus.

Cortices ſunt tenues, ſtriati, rufeſcentes, ſapore valde acri inſtructi.

* *Grana*, quæ non bene κνίδειος καρπὸς, *Granum Cnidium* Veterum eſſe reputantur, rotunda ſunt, ad piſi magnitudinem accedunt, in brevem apicem educta, ſub cortice fuſco, ſtriato, fragili, nucleum oleoſum, flavicantem includunt, acerrimum.

DAPHNE. Corollam quadrifidam habet, diploſantheram, monogynam & baccam monopyrenam: *Mezeræum* L. BLACWELL 582. floribus ſubſeſſilibus, axillaribus, confertis, erectis, caulibus ramoſis & foliis lanceolatis, deciduis gaudet.

Creſcit per omnem Europam, præter maxime

Meridionalem, occurrit adhuc in Gallo-Provincia & Agro Veronenſi.

Laureola L. BLACWELL 62 ab antecedente floribus nutantibus & viridibus differt.

In Europa temperata Anglia & Helvetia adhuc occurrit, impune noſtras hyemes fert.

Gnidium L. panicula nuda terminali, foliis lanceolatis, baſi anguſtioribus inſignitur.

Europæ Meridionalis civis.

Hanc ſpeciem Galli proprie *Garou* dicunt, & ejus corticem reliquis efficaciorem eſſe, contendit LE ROI *Eſſais ſur les effets de l'écorce de Garou*; quorum extat verſio germanica.

Pariſini duarum priarum ſpecierum folia recipiunt, ultimæ autem radicem.

Omnes harum plantarum partes inſigni gaudent acrimonia, TRAGUS, hac planta impoſtores multos ad orci fauces miſiſſe, monet; WEDEL adducit hydropicum hypercatharſi inde correptum & per ſex continuas ſeptimanas quotidie vomentem; a quatuor baccis comeſtis lethalem fere hypercatharſin & hyperemeſin vidit J. M. HOFFMANN, intolerabili oris & faucium æſtu ſtipatam, ſubſequente febre acuta & ſummo virium diſpendio, & tandem cuticulæ ab omni corpore ſucceſſu; a duodecim granis virginem purpuream animam evomuiſſe Ill. LINNÆUS teſtatur, a baccis comeſtis ardorem in lingua ad ſtomachum uſque, vomitum cum febre ardentiſſima, quæ preſſo pede ſubſequebatur, & tanto virium lapſu, ut mors in propinquo eſſe viſa fuerit, legimus in *Actis Helveticis*. Rationalis igitur Medicus omnino a medicamento ſumme periculoſo ſibi cavebit; nec ſe auctoritate HIPPOCRATIS excuſare tentabit, cum hæc grana a Gnidiis omnino diverſa ſint. Folia veſicas excitare, MATTHIOLUS monet, & idem de Radice notiſſimum eſſe, PETIT affirmat. Cortice, ab aliquot retro luſtris,

loco fonticuli in Gallia uti ſolent, quo omnino multo minora incommoda, & vix inferiores vires habet, hoc ſcopo, ſive recentis, ſive exſiccati, ope aceti flexilis redditi, fruſtum pollicem longum, & ſex circiter lineas latum, ſive bracchio ſive femori imponitur, ſive ſuris, linteo & faſcia continetur, ſurgit inde pruritus ſenſus, pars, quæ corticem habet, leviſſime inflammatur, & aquam fundit, altero mane removetur cortex, & ipſi folium hederæ, betæ, braſſicæ &c. ſubſtituitur, novum corticis fruſtum applicatur cuti, immediate contiguæ illi, quæ priore die aquam dimiſerat, & ita continuatur, uſque dum iterum ad primum locum perventum fuerit; reliqua hic obſervanda conveniunt cum eis, quæ circa fonticulos obtinere ſolent. Auctor ſupra citatus egregios ejus effectus in acrimonia humorum, pertinacius manus, glandulas, oculos afficiente, affectibus pectoris, doloribus capitis & lumborum, ſerpigine &c. adducit, inter nos quoque non pauca de ejus efficacia in morbis, quibus fonticuli alias conducere ſolent, exempla proſtant. Russel ex Corticis una uncia, cum aquæ libris duodecim ad remanentiam octo decocta, & quater de die ad uncias octo epota, in nodis venereis oſſium maxime, eximios effectus vidit.

Piper vid. *Aromata.*

Pyrethrum, πύρεθρον. Recipimus Radices, quæ aliquot pollices longæ ſunt, fibroſæ, ad caput vix incraſſatum rudimenta foliorum emittunt, gryſeæ, intus albæ, calamum craſſitie æquant, odore nullo, ſapore fervidiſſimo, linguam urente gaudent.

Anthemis Pyrethrum L. Blacwell 390. Caulibus ſimplicibus unifloris diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali & Africa Septentrionali. Colitur in Thuringia & ad Magdeburgum.

Extracti reſinoſi acerrimi $\frac{1}{20}$, aquoſi acris $\frac{1}{4}$ largitur. Lewis. Neumann Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{24}$,

aquosi $\frac{5}{8}$ obtinuit; CARTHEUSER hujus $\frac{3}{8}$ fere, illius $\frac{1}{24}$.

Radices, quas ex regno Tunetano adducunt, crassiores & acriores esse perhibent.

GALENO suadente, vel hodie adhuc in doloribus dentium rheumaticis masticatur, ut humor peccans evocetur; Idem oleo, cum iis infuso, spinam ante paroxysmum febrilem inungi jubet, & easdem resolutis & stupidis commendat.

* ROS SOLIS Rec. *Herbe de la Goutte*, *Sonnenthau*. Vegetabilis, cujus demum Seculo XVI Auctores mentionem faciunt, prostant Folia exsiccata, parva, rotunda, hirsuta, rubra, margine fimbriato instructa, longioribus petiolis innixa, sapore acriusculo & adstringente prædita, aqua cum eis cocta salinum & acrem, qui autem non adeo fortis est, acquirit saporem.

DROSERA. Corollam pentapetalam regularem habet, calice quinquefido sustentatam, ifantheram, pentagynam & capsulam polyspermam: *Rotundifolia* L. BLACWELL 432. foliis orbiculatis gaudet.

Crescit in omni Europa.

Tribus Paracelsistica hanc plantam maximi facit, cum humorem, qui semper ex ejus folliculis exsudat, pro rore habuerint, & nescio quas vires astrales, ipsi inesse somniaverint, phthisicis eam maxime commendarunt; recentem cutim in vesiculas elevare DODONÆUS & C. BARTHOLINUS testantur, eam pabulum emortuale ovibus esse, BORRICHIUS asseverat, qui quoque observavit, aquam destillatam neutiquam flavam esse, ut Alchemici asseruerunt. Exsiccata planta resolventes forsan vires edere poterit.

* *Syrupus simplex* Paris. * *Syrupus compositus* Eorundem in asthmate humido poterit tentari.

SABADILLI SEMEN Rec. *Mexicanischer Laus-Saamen*. Constituitur a Folliculis oblongis, flavicantibus,

trilocularibus, in quibus Semina hærent nigra, acuta, fervidiſſimo ſapore linguam ferentia.

Planta unde deſumitur deſcribit & veratri ſpeciem eſſe tradit Cl. REZ, affertur ex regno Mexicano.

VAN DER BECK anno 1727 hujus medicamenti mentionem fecit, acerrima ſubſtantia, hactenus vix ad alios uſus, quam ad necandos pediculos fuit adhibita, quo ſcopo ſive Axungia recipitur, ſive ſub forma pulveris inſpergitur, ſed inde aliquem maniacum evaſiſſe, apud Cl. PLENK lego. In affectibus nephritidis, ad drachmam unam intus ſumtum, profuiſſe, RANSON teſtatur; omni mane ad drachmam dimidiam datum, interpoſito omni quinto die purgante fortiore tæniam curare apud Cl. SCHMUCKER reperio.

SINAPI, Σίνηπι, *Moutarde*, *Senf*. Ejus aſſumimus Semina, parva, rotunda, rubra, acerrimo ſapore linguam vellicantia, & cum in pulverem reducta fuerint, etiam nares irritantia.

Sinapis nigra L. BLACWELL 446. Siliquis quadratis, glabris, cornu recto minore, diſtinguitur.

Paſſim in Europa occurrit & colitur.

Sanguinem inde cogi VERATTI monet; principia alcalina fundit. *Inſt. Chem.* Lac inde cogitur, Extracti ſpirituoſi amariuſculi & oleoſi $\frac{1}{16}$ largitur, aquoſum Extractum dulciuſculum eſt, oleum deſtillatum exhibet acerrimum, LEWIS.

Pro reſolvendis humoribus ab HIPPOCRATIS ævo ſemper adhibebatur, optime, præeunte COLUMELLA, ad embammata recipitur, vel ratione a JOH. BAUHINO indicata, ſapa conditum, cum carne comeditur, quia, viſcidum attenuando & fibras ſtimulando, appetitum excitat & digeſtionem juvat. Hydropem inde ſublatum, cum ſingulis diebus mane & veſpera unum ejus cochlear deglutiretur, MEAD vidit, hypochondriacum curatum Illuſtris HALLER

ex *Galeria de Minerva* excitat. Ejus ad ſcorbutum efficacia, tam ex ordine botanico, ſub quo comprehenditur, quam Rupellenſium exemplo, apud EUNDEM patet.

Extus crebro in uſu eſt, revellendi ergo, cum fermento panis, in paſtam redactum & plantis pedum applicatum, nec non ſcopo derivandi, in inflammationibus viſcerum.

* *Confectio* Wurtemb. * *Unguentum Epiſpaſticum alterum* Pariſ varia fortius rodentia vehit, quæ minus bene forma diffluente adhibentur.

STAPHIS AGRIA, σταφὶς ἀγρία, *Uva taminea*, *herba pedicularia*. Nimis breves ſunt Veterum deſcriptiones, ut cum certitudine, qualem plantam his nominibus intellexerint, poſſimus ſtatuere. Hodie ita appellantur Semina, quæ ſunt ſubrotunda, inferne latiore baſi inſtructa, ſuperne apice contracto terminata, in facie compreſſa linea longitudinali diſtincta, ſub cortice rugoſo, nigro, nucleum oleoſum, albidum, amarum, acerrimum includunt.

Delphinium Staphis agria L. BLACWELL 265. Nectariis tetraphyllis, petalo brevioribus & foliis palmatis diſtinguitur.

Occurrit in Gallia Meridionali & reliqua Europa calida.

Alcohol omnem acrimoniam recipit. LEWIS. Olei unguinoſi ultra $\frac{3}{16}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{11}$ circiter, aquoſi $\frac{1}{5}$ fere NEUMANN obtinuit.

Canem inde convulſum & ejus primas vias inflammatas vidit HILLEFELD.

A medicamenti acerrimi uſu interno, omnino abstinendum, nec tuto apophlegmatizantibus admiſcetur, cum os facile poſſet inflammari, olim ad phœnigmos recipiebatur, hodie unguentis contra pediculos adjicitur.

* TIGLIA GRANA Recent. *Pignons d'Indes*, *Pur-*

girkörner. Mediam inter utramque Cataputiam magnitudinem habent, obtuſe triangularia, una facie plana inſtructa, ſub cortice nigro, flavo rufeſcente, variegato, includunt nucleum, eadem acrimonia ac nuclei cataputiarum inſtructum, tenerrima cuticula tectum.

Croton Tiglium L. Caule arboreo, foliis ovatis, glabris diſtinguitur.

Creſcit in India.

Ratione virium omnino cum ſeminibus Cataputiæ conveniunt, primus MONARDES eorum ſub nomine *Pinearum Purgantium* meminit.

β) ANIMALIA.

CANTHARIDES, κανθάριδες, ſunt inſecta corpore oblongo, toto viridi, aureo, capite duabus antennis nigris inſtructo, elythris viridibus, flexilibus, multis ſtriis diſtinctis & alis fuſcis prædita; ſingula tria circiter grana pondere æquant.

MELOE. Alas quatuor ſuperiores cruſtaceas, flexiles, antennas filiformes articulatas, caput gibbum, thoracem ſubrotundum, non marginatum habet: *Veſicatorius* L. elythris longitudine corporis alas tegentibus, corpore viridi & antennis nigris diſtinguitur.

Per omnem Europam occurrit, præter maxime Septentrionalem.

Artis noſtræ Patres non Veſicarium, ſed Cichorei Meloen nigrum, & cujus elythræ faſciis latis percurruntur, in uſum traxiſſe, poſt IMPERATUM, Ill. LINNÆUS evicit.

Varias arbores, liguſtra maxime, ſalices & fraxinos inhabitant, tempore meridiano ſeſe ſub terram condunt, Junio menſe maxime occurrunt & propagationi gentis proſpiciunt, hac peracta per omnem reliquum annum fruſtra quæruntur.

Arbores iſtas concutiendo colliguntur, & in clibano optime exſiccantur.

Tam aqua, quam ſpiritus vini earum vires proprias recipiunt. LEWIS. Extracti aquoſi $\frac{1}{4}$, ſpirituoſi $\frac{1}{17}$, JÆGER, Extracti aquoſi $\frac{1}{5}$ circiter, ſpirituoſi $\frac{1}{2}$ VERATTI, $\frac{1}{3}$ ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{12}$ olei empyreumatici, ultra $\frac{1}{12}$ ſalis volatilis, Extracti aquoſi fere $\frac{1}{2}$, ultra $\frac{1}{5}$ ſpirituoſi NEUMANN, obtinuerunt. Extractum ſpirituoſum veſicas excitare, omnes conſentiunt, aquoſum nequaquam, VERATTI, ALEXANDER & NEUMANN, contrarium ſe expertum eſſe JÆGER aſſeverat. Salem volatilem nullas cantharidum vires poſſidere, poſt BORRICHIUM ego iteratis experimentis vidi. Mihi ſpiritus urinoſi ultra $\frac{1}{5}$, olei empyreumatici ad $\frac{1}{61}$, ſalis volatilis $\frac{1}{8}$ exhibuerunt. Sanguinem a Cantharidibus cogi, VERATTI, contrarium autem Cl. TRALLES vidit.

Cantharides movendæ urinæ ergo intus exhibuit GALENUS, & earum vim diureticam BARTHOLINUS, SPILENBERG, DE HELWIG, YONGE, WERLHOFF, obſervationibus confirmarunt, contra hydropem, ad icterum & reſeranda catamenia ab HIPPOCRATE commendantur; ſe eaſdem in aqua intercute cum ſucceſſu dediſſe, teſtantur WERLHOFF & WELSCH; hydrophobiæ, ad monitum AVICENNÆ, feliciter oppoſitæ leguntur a SPILENBERG, REIMANN & WERLHOFF; in gonorrhæa curanda egregios earum effectus viderunt SACHS A LEVENHEIM, HANNÆUS, BARTHOLINUS, LISTER, WERLHOFF, MEAD, Cl. CULLEN; medicamentum diureticum etiam pro more aphrodiſiacis eſt adſcriptum: in univerſum GREENFIELD multus eſt in commendando uſu interno horum inſectorum. Cum autem cantharides inſigni omnino acrimonia gaudeant, hinc doſi paulo majore aſſumti, viam alimentariam rodunt & inflammant, adſcripti hinc ab omni retro ætate venenis;

ſed propria quoque, qua gaudent vi, humorum ad renes affluxum augendi, iſchurias, nephritides, mictum cruentum excitaſſe, obſervatum eſt. Cl. RUMPEL plures obſervationes collegit circa noxa a cantharidibus intus ſumtis, præcipuæ earum apud CICERONEM, PLINIUM, LANG, HILDANUM, FORESTUM, BONETTUM, GULDENKLEE, PARÉ, LENTILIUM, Ill. LINNÆUM, TRALLES *de uſu veſicant.* &c. occurrunt. HIPPOCRATES tres ad quatuor, ablatis capitibus, pedibus & alis, tanquam partibus minus efficacibus, commendat pro doſi id, quod, notante BRASSAVOLA, ſex vel octo grana æquat; circa medicamentum heroicum optime placet WERLHOFFI ratio, qui granum unum una vice dedit, & id quovis quadrihorio repetiit.

Extus ad decem granorum doſin ab HIPPOCRATE, ad peſſaria, in menſibus obſtructis, ſuffocatione hyſterica & hydrope adhibebantur, eaſdem, veſicas excitandi ergo, primos ARCHIGENEM & Cl. ARETÆUM adhibuiſſe, LE CLERC monet, ut ab earum applicatione ſurgentes dolores & inflammatio minuàntur, eaſdem vehiculo emolliente excipere, illiſque camphoram adjicere ſolent, ſed cum etiam extus applicatæ non raro evidenter in renes agere obſerventur, & juſto major earum quantitas & dolores nimios & ulcerationem nimis magnam excitare queat, hinc etiam, dum extus imponuntur, juſtus earum modus ſervandus eſt, qui nunquam drachmam dimidiam debet excedere, pro ægri ætate, temperamento, morbo &c. etiam non raro imminuendus; minus hinc placet mos, quo unum emplaſtrum veſicatorium officinale habent, quod indiſcriminatim omnibus & in omni caſu adhibetur, omnino Medici monendi, ut, quoties tali medicamento opus habent, juſtam doſin cum aliquo emplaſtro emolliente officinali & quadam camphoræ portione ex tempore miſceri jubeant, & cum pru-

dentiſſime licet cuti admotæ, tamen non raro ſpaſmos in renibus excitent, nunquam in morbis, ubi hæc viſcera laborant, debent in uſum trahi, atque ſemper ad manus ſint medicamenta, quæ ſpaſmos excitatos valeant ſopire, neceſſe eſt.

Emplaſtrum Epiſpaſticum Pariſ. *Veſicatorium* Wurtemb. & Noſtrat. Ultimi Auguſtanos ſequuntur, qui ſine neceſſitate prolixiorem præſcriptionem habent, $\frac{1}{4}$ Cantharidum recipiunt, Wurtembergenſium compoſitio ſe commendat ſimplicitate, earum $\frac{1}{5}$ circiter vehit, Pariſina propius ad dropaces Veterum accedit, Cantharidum $\frac{1}{5}$ circiter, & $\frac{1}{40}$ Euphorbii continet, nec Camphoram habet. DICKSON & FOTHERGILL varias obſervationes habent de hujus emplaſtri, oſſi ſacro impoſiti, efficacia ad incontinentiam urinæ curandam: * *Paſta Epiſpaſtica* Pariſ. formatur a Cantharidibus, quintuplo circiter fermenti panis exceptis; hac ratione in Italia maxime veſicas excitant, illa inter nos apud ruricolas interdum obtinet: * *Unguentum Epiſpaſticum* Pariſ. minus laudandum, cum unguenta ſe facile nimis diffundant: * *Tinctura Cantharidum* Edinburg.

* FORMICA, *μύρμος*, *μύρμηξ*, *Fourmi*, *Ameiſe.* Eſt Inſectum parvum, oblongum, ſex pedibus inſtructum & duabus antennis, totum exiguis pilis obſeſſum, colore ſive nigro ſive rufo inſtructum, ejus larva eſt cylindroidea, albo colore gaudet, & vulgo ſub nomine ovi ſolet venire, *Rufa*, *Fuſca*, *Nigra* L. in uſum trahuntur, ſquammula thoraci & abdomini interjecta gaudent, mares & feminæ quatuor alis membranaceis inſtruuntur.

Formicas acido ſcatere docet formicetorum odor, dolor & ardor, quo afficitur manus illis immiſſa, analyſis chemica denique.

Obtinui inde ſpiritus acidi $\frac{3}{8}$, alcalini ultra $\frac{1}{5}$, olei empyreumatici $\frac{1}{43}$. NEUMANN autem ſpiritus

acidi $\frac{5}{11}$, urinosi ultra $\frac{1}{4}$, olei empyreumatici $\frac{1}{8}$ allegat, qui quoque Oleum odoratum accepit, & MARGRAFF Oleum unguinosum.

Recentior demum ætas formicas in usum recepit, per se nunquam adhibentur, formiceta sacculo inclusa applicant partibus, quas irritare volunt, maxime membris paralyticis, aut balneis adjiciunt.

* *Aqua Magnanimitatis* KUNRATH variis aromatibus, ad præscriptum HOFFMANN, instructa prostat, quæ de ejus vi heroes audaces reddendi prædicantur, nostris temporibus nauseam movent, nec multum ejus virtuti aphrodisiacæ prudentiores tribuunt, extus roborandi ergo poterit adhiberi & ad membra paralytica: præstare videtur *Spiritu Formicarum* Hamburg. qui etiam in frequenti usu est ad membra rheumatica: *Ol. Infus.* NIC. PRÆP. stimulandi ergo adhibetur, ipsi omnino oleum ex formicis expressum videtur præferendum esse.

* SCORPIUS, σκόρπιος. Hoc nomine recipitur inter nos animal parvum, quod raro ad pollicarem magnitudinem ascendit, & cujus fronti utrinque una antenna adhæret, ex variis articulis constans, in appendicem, quæ chela est, terminata, cauda instructum ex articulis efformata, & in aculeum arcuatum abeunte. Ad nos juniores, qui vix aliquot lineas æquant, ex Italia afferuntur, & hos oleo olivarum conditos Pharmacopolæ asservant, colorem argenteum habere solent, quia juniores ad nos mittuntur, adulti enim has exuvias deposuerunt, & colorem rufum & fuscum habent.

SCORPIUS habitu aptero, antennis cheliformibus & cauda aculeata gaudet: *Europæus* L. non audeo ejus characterem specificum determinare, cum Illustr. LINNÆUS pectinibus varium numerum dentium adscribat, & accuratissimus ROESEL etiam pauciores numeret.

Scorpium animal venenatum esse, & ejus ictum occidere, vulgo perhibent, Europæum autem non venenatum esse, PLINIUS jam monet, & observationibus confirmant REDI, FALLOPIUS, VALISNERI, MAUPERTUIS & MORGAGNI qui justissime asserit, symptomata, quæ a morsu scorpionum orta fuisse leguntur, sive soli imaginationi, timore turbatæ deberi, sive quod casu ictus aliquem grandiorem nervum tetigerit. Scorpiones autem Orientales omnino venenum vehere, itineraria docent, & Græcorum æque ac Arabum observata.

Oleum Scorpionum simplex MESUE, & vulgare ad ictum scorpionum remedium esse reputatur, & omni veneno, ipsi quoque pesti, auxilio esse, creditum fuit, id quod se aliquoties expertum esse, MONARDES non erubescit affirmare, regioni lumbari illitum, aut urethræ injectum, calculum renum & vesicæ frangere somniarunt Arabes. * *Oleum compositum* MATTHIOLI absurda compositio.

VIPERA, ἐχίδνη. Est Serpentis genus, quod ut plurimum pollicem crassum & sesquipedem longum est, cervice parva & angusta, & capite compresso gaudet, cauda tereti, dorso flavescente & cujus medium squammæ rhomboideæ gryseæ, maculis nigris notatæ, in catenam quasi ordinatæ distinguunt, latera utrinque alba sunt; venter totus scutis transversalibus nigris tectus est, cauda conica acute terminatur, odore proprio gaudet, sapore nullo.

Pro variis regionibus variæ *COLUBRI*, qui scutis abdominalibus & squammis subcaudalibus gaudet, species adhibentur, cum numerus scutorum incertus sit, cum KLEIN species quæ proprie Viperæ dicuntur, dentibus ganglymoideis, & singulas habitu & colore distinguere, erit consultum. *Berus* L. fuscocanescens est & linea dorsali atra, repando-dentata instruitur; passim in Europa etiam in Suecia occur-

rit, nos, cum Alſatia nullos habeat, ex Helvetia vel Comitatu Burgundiæ eos accerſimus: *Vipera* L. corpore in medio craſſiore, fere quadrato, abdomine albo, dorſo ex ferrugineo albo, maculis intenſius ferrugineis notato, diſtinguitur: ex Ægypto Venetias mitti, pro paranda theriaca, teſtatur HASSELQUIST: LOEFLING autem monet, in Hiſpania adhiberi *Ammodytem* L. cujus caput exiguæ ſquammulæ tegunt, cauda perbrevis eſt & roſtrum inſtar cornu erectum.

Gelatinæ $\frac{1}{4}$ virideſcentis, pellucidæ, jucundiſſimæ obtinuit BECCARI, qui etiam vidit Jus Viperarum, ſeri coagulum morari. HOMBERG $\frac{2}{3}$ circiter ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{7}$ Olei, $\frac{1}{29}$ ſalis volatilis inde elicuit; Ego $\frac{1}{16}$ gelatinæ ſiccæ, $\frac{1}{5}$ ſpiritus alcalini, $\frac{1}{64}$ Olei, $\frac{1}{8}$ ſalis volatilis nactus ſum.

Viperæ ictum homini mortem inferre, nullo non tempore notum fuit, MEAD, quo nemo accuratius phænomena, hunc ictum excipientia, deſcripſit, ex eo dolorem acutum in parte vulnerata ſurgere & tumorem, primo inflammatorium, deinde gangrænodeum, qui gradatim ad partes vicinas ſerpit, inſequi affectus cordis, qui ſemper gangrænam ſolent comitari, ventriculum bilioſa per vomitum ejicere, colorem icteritium per omne corpus diffundi, de quo tamen aliæ obſervationes tacent, monet. Quid ſit id ipſum, quod adeo pernicioſum reddit viperæ morſum, nec dum liquet, illud in veſicula retro dentes hærere, poſt ABBATIUM vulgo tradere ſolent, ſed patet REDI & MEAD experimentis, liquorem in hac veſicula hærentem neutiquam venenatam eſſe, ſed talem demum evadere, quando vulneri inſtillatur.

Primus NICANDER viperas medicamento cuidam contra venenum adjecit, eas in famoſum ſuum antidotum recepit ANDROMACHUS, & illud etiam ab eis denominavit, inde per longum tempus viperas me-

dicamentis contra venena facientibus annumerarunt, virtutem vana theoria nixam, nulla experientia confirmavit; magis autem liquet, earundem efficacia, morbis cutaneis, etiam graviſſimis, medendi a MUSA apud PLINIUM, GALENO, ARETÆO, RHASES, GATINARIA, PORPHYRIO, MEAD & Cl. HAEN laudata & obſervationibus probata, præter hæc, duo ultimi egregii Medici viderunt, inde non levem opem afferri etiam ulceribus internis. Primi, qui viperas hominibus exhibuerunt Medici, eas ex aqua coctas, in modum piſcium edendas propinarunt; medii ævi Auctores, ridendo omnino conſilio, eaſdem gentis gallinaceæ pabulo adjecerunt, & ita paſta animalia aſſumi juſſerunt; optima ratio eſt, quando vipera, unde caput & caudam rejicere ſolent, cum carne fere deſtituantur, in fruſta ſecta, cum juris pulli libris duabus ad remanentiam libræ unius coquitur, colatura mane aſſumitur, & talis juris uſus per tres ſeptimanas continuatur; interdum etiam adhuc alia medicamenta indicationi reſpondentia, juri ſolent addere.

Axungia eſt unguinoſa, conſiſtentiam olei ſpiſſiuſculi & colorem flavum habet, a PLATEARIO ad paralyſin, a LUDOVICI, WEDEL & SLOANE ad oculorum puſtulas & profunda ulcera multum commendatur.

* *Pulvis Viperarum* Pariſini, præeunte MICHAEL DE FABIIS, truncos, corda & jecinora in pulverem redigunt, Wurtemberg. ſolos truncos: *Sal volatilis* WEPFER, magnarum litium inter TACHENIUM & ZWOELFFER auctor, vix aliquid proprii præ aliis congeneribus videtur habere: * *Spiritus* Pariſ. * *Oleum* Pariſ. *Jus* & * *Gelatina* ſemper recens debet parari: * *Syrupus de Viperis roborans* Pariſ. vires roborantes ab aromatibus habet: * *Trochiſci de Vipera* GALEN. unice pro paranda Theriaca aſſervantur.

Viperis

Viperis interdum ſerpentes ſubſtituunt, a quorum tamen * *Exuviis* & * *Axungia*, quæ officinales ſunt, nihil proprii expecto.

γ. FOSSILIA.

ARSENICUM Latin. Barbar. Eſt ſubſtantia ſalina, quæ, ſi pura eſt, albo colore gaudet, linguæ levem acrem ſaporem imprimit, debita ratione fuſa in formam ſemimetallicam, colore, qui plumbeo magis nigricat, inſtructam abit, volatilis, ſupra carbones in fumum album, qui allium redolet, reſolvitur, cupro maculam albam affricat, in omnibus menſtruis, ipſa aqua quoque, notante jam WEPFER, ſolubilis.

Reperitur Arſenicum I. Nativum, 1) ſub forma mineræ A. ex ſquammis ſibi invicem incumbentibus efformatæ, *Arſenicum teſtaceum* L. *Cobaltum teſtaceum* Auctorum. B. ex fibris paralele decurrentibus, friabilibus, *Arſenicum nativum friabile & poroſum* CRONST. *Arſenicum nigrum* WALLER. *Fliegenſtein.* 2) ſub forma terræ, *Calx Arſenici nativa* CRONST. *Terra Arſenicalis* WALLER. *Schwaben.* 3) ſub forma cryſtallorum albarum, *Arſenicum nudum* L. II. Cum aliis ſubſtantiis in proprias glebas concretum, 1) lapideas A. flavas ἀῤῥενικὸν, ἀρσενικὸν, *Auripigmentum* Veterum & Recentiorum, *Pyrites Auripigmentum* L. *Orpiment* B. *rubras* σανδαράχη, *Sandracha* Veterum, *Rauſchgelb*, utrumque ſulphur vehere evictum eſt, 2) mineras, in quibus A. metallis adhæret, paſſim dictas B. Cobalto unitum in variis hujus ſpeciebus, C. cum Niccolo. *Cuprum Nicolai*, *Kupfernickel*, *Cuprum Nickleum* L.

Occurrit ubique per Europam.

Quomodo in Saxonia Arſenicum ex mineris colligatur, & ut album evadat, depuretur, recenſet

ROESEL, nec alia ratione quam depuratum ſolet in uſum recipi.

Arſenicum album, cujus prima mentio apud AVICENNAM occurrit, vires inſigniter rodentes edere, ab eodem etiam parcius aſſumto, ſummos per ventrem dolores, intumeſcentiam abdominis, nec raro lividum colorem hinc inde per habitum corporis ſurgere, gangræna tandem & convulſionibus mori homines, vel nimis frequentes experientiæ docuerunt, ex innumeris obſervatoribus WEPFER, MÜLLER, HOFFMANN, WOLFF, ETTMÜLLER, HENCKEL, STAHL, BONETTUM, FORESTUM, GULDENKLEE, SPROEGEL, MORGAGNI allegaſſe ſufficiat. Sed etiam extus applicatum, non modo partes, quibus imponitur, rodere, ſed quoque reſorberi, & æque triſtes effectus, ac ſi deglutitum fuiſſet, excitare WEPFER, HILDANUS, AMATUS LUSITANUS, HEIMREICH, HODGES, DIEMERBROECK, ANGELUS SALA, DEGNER, SPROEGEL viderunt. Peſſimum autem licet venenum Arſenicum per omnem ætatem habitum fuerit, extiterunt tamen nunquam non homines ſatis audaces, qui illud tam intus quam extus adhibuerunt, AVICENNA ad varios morbos internos ſuadet id potandum, quem WIRTH Archiatrum Hungarum ſequutum eſſe, LANG teſtatur; MYREPSUS in Antidotum Perſicum, quod contra febres laudat, recepit; verſus finem Seculi ſuperioris, illud frequentius ad fugandas febres intermittentes præſcripſerunt, SLEVOGT innumeris exemplis, ejus facultatem febres intermittentes, cito, tuto & jucunde curandi, comprobatam eſſe aſſerit, MOLITOR multa etiam exempla adducit, JACOBI variis obſervationibus probare annititur, potiuncula ex una Arſenici parte, duodecim ſalis alcali & centum cum octo & ſexaginta partibus aquæ, ter de die ægroto exhibita, febres curatas fuiſſe. Externe Arſenicalia GA-

LENUS ad morbos ſplenis & ſub forma clyſmatis dyſentericis, commendat, Seculo XIII illud ad carcinomata adhibere cœperunt, GUIDONE & THEODORICO auctoribus. Mitto illos, qui arſenicalibus, ſeptico ſcopo promiſcue uſi ſunt, aut illud, præeunte CARPO, tanquam amuletum contra peſtem adhibuerunt. Corpus de cujus triſtiſſimis effectibus redundant Obſervatorum libri, ego ſaltem nunquam vellem in uſum trahere, maxime cum ne unica quidem proſtet fida obſervatio, illud in morbis, ad quos laudatur, plus præſtitiſſe, quam medicamenta multo ſecuriora, ejus uſus abſurdiſſimis theoriis nitatur, aut male intellectis Veterum locis, ut HEIMREICH oſtendit. Et licet lubenter concedam, ſulphur ejus virulentiam corrigere & hinc Auripigmentum, Sandaracham &c. mitiora eſſe Arſenico albo, id quod etiam HOFFMANN experimentis probat, nulli tamen vellem auctor eſſe, ut vel hæc in uſum trahat, uſque dum certiſſimis experimentis evictum ſit, quod aliis magis ſecuris medicamentis præſtent.

* *Magnes Arſenicalis* ANGEL. SALÆ paratur pro * *Emplaſtro Magnetico* HARTMANN, quod bubonibus peſtilentialibus imponi jubetur, veneni extrahendi ergo, JUNGKEN, ſe illud in quartana lienis regioni impoſitum & in hernia incarcerata valde proficuum expertum eſſe, aſſerit: * *Arſenicum rubrum* & * *Arſenicum citrinum* vid. *Inſt. Chem.*

CUPRUM Lat. Barb. χαλκὸς, *Æs* Veter. *Cuivre*, *Kupfer*. Eſt Metallum rubrum, odore proprio, ſapore multum nauſeoſo inſtructum, quod fuſum pulcherrimo colore corruſcat, ſenſim ignitum iridis colores optime refert, præ reliquis metallis minus nobilibus tardius ignis ope in calcem abit & tunc *Æs Uſtum* dicitur, id quod mallei ictibus ab ære decutitur *Squamma Æris* appellatur; ab omnibus menſtruis ſolubile, ejus ſuperficies ab aëre in crocum

viridem vertitur, *Æruginem* dictum, ad aquam est: 9: 1.

Cuprum reperitur I. Nativum 1) sub forma sicca, *Cuprum Nativum* Auctorum, 2) sub forma liquida, *Aqua Cæmentatoria* Auctorum, unde *Cuprum Cæmentatorium* Auctorum, *Præcipitatum* L. obtinetur. II. sub forma terræ 1) laxæ α) cæruleæ *Cæruleum montanum* Auctorum, β) viridis *Viride montanum* Auctorum, *Ærugo nativa* WALLER. *Terra viridis* Wurtemb. 2) induratæ a) viridis α) mollioris *Chrysocolla* PLIN. *Atlas*-vel *Sammet-Erz*, β) polituram admittentis *Malachites* PLIN. b) cæruleæ *Lapis Armenus* Auctorum, c) rubræ *Cuprum rubrum* L. III. sub forma mineræ 1) ex rufo cærulescentis *Cuprum vitratum* L. 2) gryseæ *Cuprum cinereum* L. 3) albidæ *Cuprum albidum* L. 4) fulvæ *Minera cupri hepatica* WALLER. 5) flavæ *Cuprum fulvum* L. *Kupfer-Kies.* 6) variis coloribus cæruleo maxime & viridi ludentis *Cuprum purpureum* L: *Minera cupri viridescens* WALLER. Præterea Æs etiam in variis mineris argenti occurrit.

Satis copiose cuprum per Europam passim obtinet.

Cuprum vires rodentes edere, jam GALENUS monet, & præparatis inde conflatis, extus ad consumendas carnes, quæ præter naturam surgunt, ab omni tempore Chirurgi usi sunt, nulli igitur miramur, idem intus assumtum, pro varia, qua recipitur dosi, mox cardialgias & nauseam, mox vomitus & alvi secessus, mox graviora quoque mala excitasse. Licet itaque apud antiquissimas jam gentes æris usus ad supellectilem etiam cibariam obtinuerit, certum tamen est, eas propriis artificiis fuisse usas, quibus impedirent, ne edulia a metallo inquinarentur, & omnino non satis caute in hac ipsa re possumus versari, cum adeo multa exempla gravissimorum symptomatum a contagio æneo excitatorum prostent, ex

innumeris ſequentia modo adduco: Cibos in vaſis cupreis, viridi æris infici, & viride æris venenum eſſe, AVICENNA monet, LEDEL & TACHENIUS inde vomitus & ſeceſſus cieri obſervaverunt, LANZONIUS dirum vomitum, dolores, alvi ſeceſſus ab eduliis in cupreis vaſis coctis ſurgere, variis experientiis docet, MAUCHART inſignes inde ortos vomitus & ipſam mortem adducit, cui TESTI obſervatio accedit, MISSA plura exempla allegat de effectibus venenatis & ipſa morte inde excitatis, COSNIER & FABAS acutiſſimos dolores & convulſiones enarrant, in cœnobio Angelimontano vix non omnes conventuales colica Pictonum affectos, unum etiam mortuum eſſe, ob cibum ex ſupellectili ænea, unde ſtannum deraſum erat, aſſumtum, SCHEUCHZER enarrat, ſimilem de monaſterio Beinvilenſi hiſtoriam Cl. ZWINGER allegat & de monaſterio Neuenburgenſi HUEBER, Cl. RAMSAY plures inde convulſos & delirantes adducit, Idem, ſcorbutum claſſicorum a ſupellectile ænea, qua utuntur, derivare annititur, non pauca etiam inter nos de his noxis occurrunt exempla. Tot cum proſtent documenta de deleterio cupri effectu in corpus humanum, quis credet, quod tamen extiterint Auctores, qui illud innoxie ad vaſa cibaria adhiberi poſſe propriis diſſertationibus voluerint evincere. Imo prudentes Chirurgi medicamento, quod dum rodit, etiam ſimul adſtringit, ne quidem extus utuntur, & ſi intus ſumtum, medicatum unquam effectum edidit, idem ab omni alio draſtico, validas excretiones excitante, omnino quoque ſurrexiſſet.

* *Æs Uſtum*, χαλκὸς κεκαυμένος DIOSC. varia ratione ſolet præparari, id quod ſalia recipit etiam inde magis rodens evadit, cum id cui ſulphur adjicitur, ad indolem vitrioli cærulei vergat; ab eo non abludit * *Crocus Veneris* Wurtemb. *Ærugo*, ἰὸς, *Verd de*

Gris , *Grünſpan* Conf. *Inſtit. Chem.* ut ſordes in ulceribus cacoëtheis ſurgentes conſumantur , olim adhibebatur. *Flores Æris* , *Æs viride cryſtalliſatum* BASIL. VALENT. ad pictorios potius , quam ad medicatos uſus adhibentur : * *Spiritus Veneris* LEMERY nauſeoſo medicamento , aliis rationibus paratum acetum concentratum ſubſtituitur , excitandi ergo naribus admovetur : *Unguentum Ægyptiacum* , apud veteres emplaſtra & unguenta , quæ æs habebant , ab Ægypto ſolebant denominare , ea ad medicamenta uterina externa HIPPOCRATES recipiebat , id quod hodie proſtat , MESUE præſcripſit , ad ulcera ſordida & fiſtuloſa uſurpatur , ut ſordes conſumat & ulteriorem corruptionem impediat , ad ulcera oris a quibuſdam etiam adhibetur , quos ego ſaltem ſequi nollem : * *Unguentum purpureum* WURZ Ægyptiaco minus ſepticum , magis adſtringens eſt : * COLLYRIUM LANFRANCI auripigmentum etiam recipit , rodens valde medicamentum , cautiſſime in morbis oculorum uſurpandum , commendatur quoque ad ulcera venerea : *Aqua Ophthalmica ſapphirina Pharm. Batean.* ad diſſipandam ophthalmiam laudatur : * *Balſamum viride Metenſium* DU CLOS abſtergendi ergo ad ulcera adhibetur , unguento Ægyptiaco mitius eſt : * *Ens Veneris* vid. *Inſtit. Chem.*

CAP. V.

SOPIENTIA.

§. 42.

Medicamenta , quæ nimiæ irritabilitati medentur ſub *Sopientium* nomine venire ſolent : illa quæ ſtimulum enervando agunt , hujus loci non ſunt , nec hic recenſemus medicamenta , quæ tenſionem

minuendo, irritabilitatem quoque moderantur, Παρηγορικὰ, *Lenientia* dicta, illa enim ſub Emollientium titulo fuerunt tractata, Refrigerantia quoque, quæ circulationem imminuendo omnino huc faciunt, jam paſſim fuerunt indicata, hic illa modo conſideramus, quæ ob arctiſſimum inter irritabilitatem & vim ſentiendi intercedentem nexum, hanc imminuendo, illam quoque minorem reddunt. A nimia irritabilitate, cum & dolores & ſpaſmi ſurgant, hæc medicamenta *Antiſpaſmodica* & Ἀνώδυνα ſolent appellari, illa, quæ ſenſus & motus ita inhibent, ut ſomnum producant, *Hypnotica* dicuntur; *Narcotica* autem ea, quæ ſenſorium commune adeo turbant, ut & ſenſus interni lædantur. Indicantur Sopientia, cum dolores urgent, aut nimiæ vigiliæ, circulatio juſtum modum excedit, aut motus involuntarii membra agitant, ſive obrigere faciunt; exulare autem debent, quando vaſa encephali humoribus turgent, in illis morborum periodis, ubi humores coquuntur, nec non quando evacuationem criticam molitur Natura. Tandem quoque apud infantes & debiles cautiſſimus debet eorum uſus eſſe.

α. VEGETABILIA.

ACONITUM, ἀκόνιτον, *Napellus* Arab. *Eiſenhütlein.* Ejus Folia hodie in uſus medicatos recipiuntur, quæ longa ſunt, laciniis profundioribus denuo diviſis ſecta, inferne nervis eminentibus percurſa, glabra viridi nigrore ſplendentia, inodora, recentia, aliquo ex quo guſtata fuerunt tempore elapſo, acrimoniam ſat evidentem produnt, exſiccata inſipida ſunt.

ACONITUM. Corollam pentapetalam irregularem habet, petalo ſupremo cucullato duobus nectariis cochleariformibus imminente, polyantheram; ſtylos aliquot, & his reſpondentes capſulas habet: *Na-*

pellus L. BLACWELL 561. laciniis eundo latescentibus, glabris, agnoscitur.

Crescit in montibus altioribus Europæ, præter maxime Septentrionalem.

Succus, colore spissiorem cerevisiam refert, odorem ingratum spirat, saporem acrem habet, dum ad consistentiam Extracti evaporatur, ad nonam sui ponderis partem redit, & hac ratione inspissatus, salsum & leviter acrem saporem habet, odorem autem virosum, humidum etiam ex aëre attrahit; Folia, cum aqua si extrahuntur, sui ponderis dimidium circiter Extracti aquosi, fatui, vix olidi sistunt, cum spiritu vini autem dant Extracti resinosi aquoso similis $\frac{1}{3}$. REINHOLD.

Veteres admodum vage Aconiti voce usi, ea diversissimas plantas, & vel Ranunculos indigitarunt, nec ad liquidum deducta est SYLVATICI conjectura, quod Napellus Arabum nostra planta sit, hinc neutiquam omnes, quas Veteres de Aconito habent observationes, huc credo adducendas esse, vomuisse inde, resoluta & convulsa fuisse bruta WEPFER, HILLEFELD, SPROEGEL observarunt, qui simul viderunt, in primis viis animalium enecatorum nulla sive inflammationis sive rosionis signa adfuisse: vertigine, syncope, paralysi, affectibus soporosis periisse latrones, quibus experimenti ergo Aconitum datum fuit, MATTHIOLUS & CASPAR BAUHINUS referunt; WILLISIUS quoque, BACO, LENTILIUS, NORÆUS exempla habent de affectibus soporosis ab eo excitatis. Qui effectus rodentes inde ortos adducunt, aut impune tanquam olus comedi tradunt, de alia omnino quam de nostra planta videntur loqui. Plantam adeo evidenter perniciosam primus Illustris STOERCK, ad usus medicatos recipere ausus est & frequenti experientia nisus evicit, eam, si justa exhibetur dosi, potentissime lymphæ spis-

ſitudines ſolvere, & eandem in vaſis aponeuroſium & ligamentorum hærentem, ut inde tranſpiret, diſponere, multas inſuper obſervationes enarrat de rheumatiſmis etiam pertinacioribus ejus ope curatis, cum quibus etiam ROSENSTEINIANÆ & RIBEANÆ apud REINHOLD, nec non LUDWIGIANÆ conveniunt; Hallenſes apud BOEHMER & ANDREÆ, Noſtrates apud REINHOLD, LUDWIG & Cl. COLLIN egregios ejus effectus in arthritide viderunt, COLLIN & convulſiones fugatas adducit, Ill. STOERCK præterea ejus efficaciam circa glandulas induratas & morbos venereos, ſcabiem, ſpinam ventoſam, amauroſin, anchyloſin & febres intermittentes, iteratis experimentis eſt expertus. Succi inſpiſſati, quem Extractum Ill. STOERCK dicit, grana duo probe miſcentur cum ſacchari drachmis duabus, & de hoc pulvere mane & veſperi grana decem, ſingulis vicibus dantur, pro ratione circumſtantiarum doſis etiam augetur, & ad grana quatuor vel ſex uſque Extracti una vice, ſine incommodo dari poſſe, egregius Vir vidit: Cl. KÆMPF ab eſſentia ex Herbæ Aconiti exſiccatæ parte una, cum Spiritus Vini ſex partibus digeſta, ad quadraginta uſque guttas data, in arthritide & glandulis induratis egregios effectus deprehendit.

ASA FOETIDA Lat. Barb. *Teufelsdreck*. Non eſt ſuccus τȣ̃ σιλφίȣ vel Laſeris vel Laſerpitii Veterum, innotuit demum inter Arabes & a Græcis, qui Seculo XII floruerunt, σκοροδολάσαρον fuit dicta, SALMASIUS contendit, Barbaros ex Laſere Aſæ vocem formaſſe & noſtrum medicamentum fœtidum dixiſſe, cum Veterum Laſer ſuaveolens fuiſſe legerint.

Proſtant autem hoc nomine fruſta variæ magnitudinis, quibus color fuſcus eſt, flavo dilutus & aliqua pelluciditas, tenacitas præterea maxima, cum ſub dentibus comminuuntur, ſapor leviter amarus

cum quadam acrimonia, odor virosus, alliaceus, insignis; tali ratione efformata frusta *in granis*, *en larmes* dicuntur, eadem, cum inhærent massis tenacibus, grumulosis, *Electam* constituunt, massæ autem nigricantes, siccæ, minus odoræ, paucissimis granis instructæ, *in Sorten* dicuntur.

Ferula. Flores umbellatos habet, utroque involucro instructos, & semina plana tribus striis notata: *Asa fœtida* L. pinnis sinuatis, obtusis distinguitur.

Crescit in Persia.

Observante Kæmpfer unice ex sauciata radice fluit, & effluit sub forma succi lactei, qui sole exsiccatur, & colorem fuscum induit; idem testatur, drachmam unam succi recentis, fortiorem odorem spirare, quam centum libræ lacrumæ inter nos prostantis.

Extracti aquosi $\frac{3}{4}$ circiter, spirituosi $\frac{3}{8}$ fere & ultra $\frac{1}{64}$ olei odorati exhibuit Neumann; Extracti resinosi parum ultra $\frac{1}{3}$ Cartheuser Tam spiritus vini quam aqua, quando inde destillantur, ejus odorem recipiunt. Lewis.

Tanquam Gummi resina, evidenti odore imbuta, humores valide resolvit & magni usus est ad omnes morbos ab obstructione viscerum oriundos, sed ipsum quod exspirat volatile & quod, observante Millars, omnes excretiones eorum, qui asam fœtidam assumserunt, suo odore imbuit, evidenter motum fluidi nervei sopit; hystericis & viris debilioribus nihil aliud pulchrius esse, quam asam fœtidam in pilulas efformatam, & ter de die assumtam, testatur Boerhaave; Millars eandem infantibus in asthmate convulsivo cum successu dari vidit; Hirschel affectum spasmodicum inde egregie curatum adducit. Vim anthelminticam, cujus suspicionem ratio movet, Wolff experientia confirmavit. Dosis est ad scrupulum unum aliquoties de die. Extus resolvendi ergo partibus induratis, cum successu applicatur, vel sopiendi ergo

naribus admovetur, Cl. PLENCK ejus ope multas ſcrophulas & indurationes vidit curatas.

* BELLADONNA Barb. Μανδραγόρας THEOPHRAST? στρύχνος μανικὸς DIOSCORID. Ejus Folia ex ovatis acuta ſunt, odoris & ſaporis expertia.

ATROPA. Corolla, calice quinquefido ſuſtentata, gaudet quinquefida, iſanthera, monogyna, bacca calici inſidente, biloculari, polypyrena: *Belladonna* L. BLACWELL 564. caule herbaceo & foliis ovato-acutis integris agnoſcitur.

Creſcit in Europa præter Sueciam & regiones magis Septentrionales.

Folia deſtillatione ſpiritum ammoniacalem fundunt. ALBERTI & OETINGER.

THALIUS adducit aliquem, qui ex decocto foliorum ſopore lethali fuit affectus, LAMBERGEN & Illuſtr. HAEN a foliorum granis duobus aut tribus cum aqua infuſis, temulentiam, vertiginem, debilitatem viſus ſurrexiſſe viderunt.

Mitto copioſiſſimas, quæ de radicum & baccarum deleterio effectu, proſtant obſervationes.

Si quidem prioribus, poſt renatas in Europa litteras, Seculis, noſtram plantam, ut vero valde ſimile eſſe videtur, ſub Solano comprehendebant, folia ejus jam diu ad uſus medicatos adhibuerunt; GESNER ſuccum baccarum interne ad ſiſtendos alvi fluxus & dolores, nec non ad conciliandum ſomnum intus dedit. Folia contra cancrum JUNCKER, notantibus ALBERTI & OETINGER, LAMBERGEN, AMOREUX, MARTEAU, COLLIGNON, VAN DEN BLOCK, LUDWIG, CULLEN cum ſucceſſu adhibuerunt, DARLUC inſignes glandularum colli ſcirrhos inde curatos, & feminam tympaniticam multum inde allevatam adducit. GATAKER in ulcere cacoëtheo & doloribus nephriticis egregios ejus vidit effectus. GREDING ex Extracti partibus octo, & pulveris foliorum quinque, pilulas paravit,

quarum sesqui granum, mane & vespera datum, pertinacissimos icteros sanavit. Foliorum siccorum scrupulus cum unciis decem aquæ infunditur, & per priores dies duæ modo Infusi unciæ exhibentur, augetur dein dosis quotidie, usque dum siccitas oris aut vertigo surgant, & ita pateat, quantitas medicamenti ut augeatur, Naturam non concedere. Externe ad cancrum jam GALENUS folia adhibuit, RAJO teste, WILLUGBY eadem extus cum successu mammis scirrhosis & cancrosis imposuit.

CAMPHORA vid. *Resinosa.*

CHAMOMILLA vid. *Amara.*

CICUTA, κώνειον, *Ciguë*, *Schierling*. Recipiuntur Folia, quæ sunt triplicato pinnata, glabra, odore nauseoso & levi sapore instructa.

CONIUM. Floribus gaudet umbellatis, utroque involucro sustentatis, seminibus convexo-planis, striatis, striis crenatis: *Maculatum* L. BLACWELL seminibus non spinosis dignoscitur.

Crescit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Extracti aquosi salini ultra $\frac{3}{8}$, Extracti spirituosi, insipidi & inertis $\frac{1}{24}$ largitur, quod utrumque aquam ex aëre attrahit; succus ex foliis expressus, dum in Extracti consistentiam densatur, $\frac{7}{8}$ ponderis perdit, evidentius salsus, leviter nauseosus evadit, proprium & fœtentem odorem spirat. Cl. EHRHARDT. Spiritum ammoniacalem, Oleum empyreumaticum, salem volatilem fundit IDEM.

Tanta cum fuerit apud Medicos per plurima secula Botanices ignorantia, ut per quam multis in usu fuerit, plantam quamlibet floribus umbellatis instructam, & unde malos effectus in corpus humanum redundare viderunt, Cicutam appellare, hinc non audeo, quæ circa Cicutam observata lego, omnia illi, quæ hodie hoc nomine venit, applicare; interim

tamen quædam ad eam ſpectare vix poterit negari, Cl. GUYOT a foliis affectum ſoporoſum ortum vidit, & WATSON vertigines, comata, convulſiones, mortes, Experientiſſ. ERHARDT deliria & ſummam debilitatem. Extus applicata per longam annorum ſeriem ſeſe inſigne reſolvens probavit, ita ut eandem quoque ad indurationes ipſorum viſcerum adhibuerint, ZORN, ruſticos folia cancro exulcerato cum ſucceſſu impoſuiſſe, teſtatur, eorum ope graviſſimum præputii tumorem ab HEERS curavit, phimoſin ſcirrhoideam SULZER, cataractam MAZARS DE CAZELLE, ulcera fiſtuloſa STOERCK, NOLANUS &c. tumores glandularum, ulcera cacoëthea NOLANUS &c. Noſtram plantam intus dare primus Illuſtr. STOERCK ſuſcepit, ſed non audeo dicere num illam intellexerit HIPPOCRATES & GALENUS, qui κώνειον intus dederunt, & num RENEAULME Cicuta, cujus radicem ad drachmam unam contra obſtructiones dedit, huc pertineat, an illa quam PETRUS SPANUS Seculi XIII Medicus, qui tandem ſub nomine JOHANNIS XXI. ſolium papale conſcendit, contra epilepſiam commendavit, monente NOLANO; Illuſtris Viri auctoritate commoti Medici, eam paſſim in uſum trahere cœperunt, & nunc copioſiſſimis & fidiſſimis obſervationibus compertum eſt; eam juſta doſi validiſſime reſolvere & obſtructiones reſerare, quæ non raro aliis hactenus notis medicamentis reſiſtunt, glandulas ſcirrhoſas ejus uſu reſolutas, præter copioſa apud STOERCK obſervata, DESMILLEVILLE, LANDEUTTE, MAZARS DE CAZELLE, QUERIN, Cl. RAHN, SULZER, LUDWIG fide conſtat; cancrum inde curatum plus quam quinquageſies STOERCK vidit, & viderunt præterea LUDWIG, Cel. TISSOT, LOCHER, DE COTE, PORTE, LARROUTURE, RENARD, COSTE, MAZARS DE CAZELLE, RUTTY, NICOLSON, CULLEN, OTTMANN, ipſum uteri cancrum

noſtro medicamento ceſſiſſe, teſtantur ENGELBERG, MOLINARIS, NOLANUS, RAHN, Exper. LAUTH, Scrophulis ab ea medelam allatam fuiſſe, poſt STOERCK, TISSOT, LUDWIG, NOLANUM, LOCHER, MARTEAU, PELET, FINANTNEVEU, MARTEAU, DE ROQUEMONT, DUPUY DE LA PORCHERIE, MAZARS DE CAZELLE, RAHN, RUTTY, FARR, ſpinam ventoſam ſublatam STOERCK, HARTMANN & HUDEMANN annotarunt, circa ulcera cacoëthea inde curata non paucis STOERKII obſervationibus accedunt etiam a NOLANO, LOCHER, BIESHAAR, RAHN, RUTTY, FOTHERGILL, LAUTH, Prud. GUERIN capta, Phtiſin ſuperatam cum STOERCK, QUARIN, NOLANO, FOTHERGILL, LARROUTURE, morbos cutaneos etiam præter STOERCK, NOLANUS & FOTHERGILL viderunt, obſtructiones abdominales reſeratas, morbos ex iis ſurgentes fugatos, copioſiſſimis exemplis STOERCK probat & ſuis experientiis confirmant QUARIN, NOLANUS, HARTMANN & HUDEMANN, AUBRELIQUE, LOTTINGER, FARR, GUERIN, PARIS, Cl. ERHARDT; cataractam curatam STOERCK aliquoties expertus eſt, nec non CHEMIN & MAZARS DE CAZELLE, ophthalmiam quoque STACHER & ZIEGENHAGEN; hæmorolopiam BRIDAULT; ipſam amauroſin STOERCK; egregios effectus in omni arthritidis & rheumatiſmi genere multis exemplis STOERCK probat, quibus QUARIN, NOLANI, COSTE, FOTHERGILL obſervationes accedunt; Polypi narium curam BRIDAULT adducit; de rachitide fugata, cedemate, cephalea chronica, anginis chronicis, cardialgia, leucophlegmatia, STOERCK exempla habet; qui etiam partes ſphacelatas inde ſeparari vidit, cum ſucceſſu ad morbos venereos adhibitam Cicutam non paucis exemplis STOERCK evincit, quibus etiam experientiæ QUARIN, NOLANI, HARTMANN & HUDEMANN, LANGE & LOCHER accedunt; epilepſiam

profligasse STOERCK, asciten GUERIN, apoplexiam & surditatem, PARIS viderunt.

Tanta testium nube evictam præstantiam Cicutæ, nequaquam evertunt observationes, quibus sine successu adhibitam fuisse memoratur, illæ partim evidenter ostendunt animum pruritu Illustri STOERCK contradicendi agitatum, partim debentur vel hodie adhuc nimis frequenter inter Medicos æque ac Pharmacopœos obtinenti Botanices ignorantiæ, qua factum, ut genuina Cicuta adhibita non fuerit, partim Cicuta id commune habet cum præstantissimis quibuscunque medicamentis, quod non semper auxilium afferat, variis causis impedita, quæ nos latent.

Cum primum Cicutam intus dare cœperint, succum ex foliis expressum prudenter inspissatum & tantum foliorum in pulverem tritorum temperatum, ut humiditatem non ulterius ex aëre hauriret, ad duo grana, bis de die exhibere, & hanc dosin sequentibus diebus augere solebant, ad drachmas sex usque una vice quosdam Medicos ascendisse, apud STOERCK reperio; optima ratio videtur esse, quando primis diebus quatuor grana pro dosi dantur, aliquot granis dosis augetur & ita continuatur, usque dum evidens morbi levamen adesse videamus, eadem tunc dosi per octiduum pergimus, denuo eandem aucturi, usque dum morbus totus fugatus sit. Cicutam præterea non male sub forma Infusi, sive succi expressi exhibitam fuisse reperio, optimo consilio usui interno, externus quoque jungitur.

Emplastrum de Cicuta CRESCENTIENSIS, addito Gummi Ammoniaco, efficacius reddere conatus est. Validum omnino resolvens, quod etiam cum successu hypochondriis imponitur, sub quibus viscera indurata jacent, ipsos pedum clavos inde curatos vidit HIL-

DANUS; * *Oleum per infusionem & coctionem paratum.* Parif.

CROCUS vid. *Aromata.*

CYNOGLOSSUM vid. *Emollientia.*

* HYOSCYAMUS, ὑοσκύαμος, *Jusquiamus* Lat. Barb. *Jusquiame*, *Bilsam.* Folia & Semina folent recipere.

Folia oblonga funt, multis & magnis finibus excifa, lanugine alba obfeffa & odorem virulentum fpirant.

Semina parva funt, rotunda, inodora, rugofa.

HYOSCYAMUS. Corolla irregulari quinquefida, calice quadrifido fuftentata gaudet, pentanthera, monogyna, capfula cujus operculum horizontaliter dehifcit: *Niger* L. BLACWELL 550. foliis finuatis feffilibus diftinguitur. Diverfum effe ab Hyofcyamo nigro Veterum, in Differtat. *de Plantis venenatis Alfatiæ* oftendi.

Crefcit per omnem Europam.

Licet deliria, caliginem, affectus foporofos, convulfiones, mortem inde furrexiffe BORELLI, S. PAULI, SCHULZ, RYSER, HUNERWOLFF, ALBERTI, CAMERARII, GASSENDI, CLAUDER, BUCHNER, PATOUILLART, GMELIN, LA SERRE, GRUNWALD, CHEVALIER, BERTRAND, A NAVIER, MATTHIOLI, ALEXANDRINI, FABRI, SLOANE, ERHARD, PLANCHON, HALLER, HAMILTON &c. obfervationibus conftet, ab omni tamen tempore extiterunt Medici, qui illum vel intus fcopo medicato exhibere aufi funt. SERAPION & HERACLIDES illum, tefte CÆLIO AURELIANO, ægrotis dederunt deglutiendum, ASCLEPIADES & GALENUS ad medicamenta interna adhibuerunt, fuperiorum Seculorum Medicos, Illuftr. HALLER allegat, Illuftris STOERCK in vario convulfionis & epilepfiæ genere, diabete fpuria, melancholia, mania, hæmoptyfi, tuffi ficca, fe illud dediffe

dedisse dicit, Cl. COLLIN in convulsionibus, GESNER in malo hysterico, FOTHERGILL in ulcere viarum urinariarum. Datur succi inspissati granum unum & hæc dosis sequentibus diebus augetur; ad drachmam dimidiam usque Cl. COLLIN ascendisse reperio.

Folia extus, & resolvendi ergo, & scopo anodyno applicantur, semina HIPPOCRATES ad linimentum contra tetanum recepit, pessime eorum fumum dentibus cariosis immittunt.

* *Oleum per infusionem & coctionem* Paris. *Oleum ex seminibus expressum* DIOSCORID. hoc aliquid proprii anodyni habere, communis Auctorum consensus & genius seminum videntur suadere: *Emplastrum de Hyoscyamo* LUDOVICI multum laudatur ad resolvendos tumores glandularum & viscerum, ego ad rheumatismos, quibus semper unguinosa nocent, adhibere nollem: * *Unguentum* Wurtemb.

Parisini etiam Folia & Semina *Hyoscyami albi* L. foliis petiolatis, sinuatis, minoribus, nulla lana gaudentibus distincti, recipiunt, Europæ meridionalis civis, quorum autem effectus in corpus humanum a prioribus non diversus est.

MACIS vid. *Aromata*.

* MANDRAGORA, Μανδραγόρα DIOSC. *Allraun*. Commendantur a quibusdam Radices, quæ crassæ sunt, longæ, creberrime bifidæ, ex cinereo-ferrugineæ, eas, quæ magis nigricant, *Fœminas* appellare solent, intus albent, sapore gaudent acri, amaricante, cui aliquid styptici accedit, & odore viroso.

Atropa Mandrogara L. BLACWELL 364. habitu acauli distinguitur.

Crescit in Europa magis Meridionali & Occidentali, nostras hyemes impunis fert.

Medicamentis narcoticis vulgo solet adscribi, cum Veteres μανδραγόραν THEOPHRASTI, cum ea, quam DIOSCORIDES habet, confuderint, nec mihi de istius

effectibus ulla, cui fidem habere possim, observatio innotuerit, de ejus in corpus humanum viribus nihil audeo decidere; nolo adducere, quas de ejus ad Magiam præstantia, circumferre solent fabellas. HOFFBERG ab ea, extus applicata, egregios ad tumores glandularum vidit effectus.

* *Oleum coctum* Augustan. validum medicamentum anodynum esse dicitur.

MELILOTUS vid. *Aromata.*

MOSCHATA NUX vid. *Aromata.*

PÆONIA, γλυκυσίδη, παιωνία, *Pivoine*, *Gichtrosen.* Radices, Flores, Semina officinas ingrediuntur.

Radices tuberosæ sunt, aliquot pollices longæ, pollicem circiter crassæ, sub cuticula ferruginea, carnem albissimam condunt, levi adstringente & nauseoso sapore, odore exiguo instructam; exsiccatæ, in taleolas sectæ & cuticula privatæ asservantur.

* *Florum* petala custodiuntur profunde rubra, odoris exigui, saporis nullius.

Semina subrotunda sunt, nigra & medullam albam, dulcem includunt.

PÆONIA. Corolla pentapetala, calice quinquefolio sustentata, polyanthera, tri-tetra-pentagyna & capsulis binis ad quinas usque gaudet: *Officinalis* L. BLACWELL 65, 245. foliorum laciniis latis distinguitur.

In Helvetia, Gallia meridionali & Italia sponte crescit, apud nos multum in hortis colitur, & optime nostras hyemes fert.

Radicum Extractum aquosum insipidum fere & inodorum est, spirituosum amarum & adstringens, Florum Extractum aquosum, austerum, & cum quadam amaritie dulce, spirituosum grate olens & saccharina dulcedine instructum deprehendit LEWIS. Semina $\frac{1}{4}$ Extracti aquosi, dulciusculi, $\frac{1}{5}$ circiter

ſpirituoſi, grato odore & ſapore gaudentis, exhibuerunt NEUMANN, Radices autem ultra $\frac{1}{2}$ Extracti aquoſi, & ultra $\frac{1}{4}$ Extracti ſpirituoſi.

HIPPOCRATES & radices & ſemina, tanquam medicamenta uterina, nec non ad reſerandas viſcerum obſtructiones, adhibuit, GALENUS fabulam de radice, e collo ſuſpenſa, qua epilepſia curata fuit, recenſet; ſicque occaſionem dedit, ut hæc radix inſequentibus ſeculis ſpecificum antepilepticum eſſe fuerit reputata, hanc virtutem, ne unica quidem, cui fidere poſſemus, confirmavit experientia; eam noctu effodiendam eſſe, jam THEOPHRASTUS præcepit, alia abſurda circa colligendi rationem addiderunt medio ævo Aſtrologi; ſemina & flores ad radices accedere ſibi perſuaſerunt. Medicamentum, ſuperſtitione excitatum, Aſtrologia ſuffultum, evileſcere cœpit.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. * *Conſerva* EJUSD. * *Extractum* SCHROED. *Syrupus* EJUSD. vulgo in morbis convulſivis præſcribitur: * *Tabellæ ſine igne* Pariſ. ſunt trochiſci ex pulvere radicis parati.

PAPAVER, μήκων. Ejus duæ ſpecies a Veterum temporibus in officinas recipiuntur; μήκων nimirum ἥμερος, Papaver ſativum, *Pavot*, *Magſaamen* & μήκων ῥοιάς, *Papaver Erraticum*, *Coquelicot*, *Klapproſen.*

De priori & Capita & Semina adhibemus.

Capita majuſcula ſunt, rotunda, operculo rotundo tecta, ſub quo multa foramina hiant, quæ in totidem ſepta aperiuntur, odore gaudent viroſo, qui per exſiccationem multum imminuitur.

Semina ſive alba ſunt, ſive nigra, vel potius cæruleſcentia, exigua, odore nullo, ſapore dulci inſtructa.

PAPAVER. Corollam tetrapetalam regularem habet, calice diphyllo ſuſtentatam, polyantheram, monogynam & capſulam ſtigmate radiato coronatam, ſub quo multa foramina hiant: *Somniferum* L.

BLACWELL 482 & 483. foliis amplexicaulibus & incisis distinguitur.

Colitur in Oriente & passim per Europam.

Capita $\frac{1}{5}$ Extracti aquosi largiuntur: Semen spiritum urinosum fundit.

Capita turgent succo, qui ipsum opium constituit, hinc vires sopientes edunt, recentia autem præ exsiccatis, magis sunt efficacia, siccorum unum, ex aqua coquendum, pro dosi præscribitur.

Semen ab HIPPOCRATE nutrientibus adscribitur, & GALENI tempore vulgo in cibum recipiebatur, id quod etiam plures confirmant, inter quos vel PROSP. ALPINUM, DOERING, HERTODT, MATTHIOLUM, TRALLES allegasse sufficiat, & vel inter nostrates pueri illud creberrime ob dulcedinem, qua scatet, largis munipulis solent devorare, nullæ aliæ inde, quam quæ omnibus seminibus oleosis propriæ sunt, vires sunt expectandæ.

Maximam famam assecutum est ex Papavere præparatum.

Opium. Succus nimirum lacteus, quem capita Papaveris continent, inspissatus, odore viroso, sapore acri & amaro instructus, qui in panes, pugni magnitudinem excedentes, formatus, ad nos quoque adducitur; variis quisquiliis vegetabilibus hi panes tecti sunt, quas determinare non possum, id saltem moneo, quod non ad folia Papaveris, quibus opium involvi solet, pertineant.

In Natolia maxime, Persia & Ægypto paratur.

Color, quo id, quod hodie inter nos obtinet, instructum est, illud ex decocto capitum Papaveris parari, probabile reddit, & hinc μηκώνιον Veterum esse, id quod etiam Cel. CONDAMINE & GARCIN fide constat; Ex DILLENII & Ill. HALLER experimentis apparet, Opium, ex capitibus inter nos crescentibus paratum, æque efficax esse, ac illud, quod ex Oriente

ad nos adducitur ; Arabes Thebaicum commendarunt, quæ denominatio etiam hodie adhuc in officinis obtinet, licet prudentes non tam ad patriam, quam ad puritatem respiciant.

ALSTON Extracti spirituosi $\frac{1}{3}$, aquosi $\frac{2}{3}$, quod ipsum Opium sapore & odore refert, inde obtinuit, qui etiam spiritum urinosum & salem volatilem, destillationis ope, ex eo elicuit: BUCHNER & SCHWARZ Extracti aquosi $\frac{2}{3}$, spirituosi ultra $\frac{1}{2}$ recensent: NEUMANN Extracti spirituosi $\frac{5}{6}$ fere, aquosi ultra $\frac{5}{8}$. Aquam & spiritum vini, si ab Opio abstrahuntur, ejus odorem & saporem servare, idem tostione & coctione multum debilitari, Illustris TRALLES probat, nec non Extractum spirituosum aquoso validius agere; sanguini admistum eum attenuat.

Parcissimum fuisse apud HIPPOCRATEM Opii usum, & illum demum inter Empiricos frequentius obtinuisse LE CLERC docet. Illud sensuum & motus muscularis organa ita obtundere, ut eorum functiones imminuantur, imo aucta ejus dosi, sensus internos turbari, musculos resolvi, lethali sopore opprimi homines, per omnia Secula annotatum fuit, ipsa hilaritas & audacia, quas levior ejus quantitas assumta inducere solet, jam species delirii esse videtur. Hanc ejus vim omnis schola GALENI, non pauci quoque ex Recentioribus, a nescio qua virtute refrigerante, deduxerunt, quæ autem adeo non ipsi inest, ut potius ejus usum semper motus cordis & arteriarum incitatos excipere, Illustris TRALLES experimentis evicerit; magis probabili ratione Opium sanguinem resolvendo, vasa hinc distendendo, encephalum & nervos premendo agere, egregii inter Recentiores Auctores contendunt, sed cum vix mente concipere queam, unum aut alterum Opii granum omnem massam humorum ita posse attenuare, ut vasa adeo distendantur, ut vicinam encephali medullam pre-

mant, hinc ejus affectus a principio vaporoſo, quod nares in eodem evidentiſſime diſtinguunt, immediate a nervis ad ſenſorium delato, derivare non dubito, maxime ſi perpendo, quod hoc halituoſo, ſive per toſtionem, ſive per coctionem, abacto, opium iners evadat, quod ſpuma ſolutioni aquoſæ opii ſupernatans & vapores ex eodem eliciti, ipſo in ſubſtantia exhibito, vel validius agant: ab uſu Opii etiam venerem ſtimulari, Egregius TRALLES obſervavit, id quod ab ejus vi in phantaſiam agendi & a calore, quem excitat, videtur pendere; ejus virtus ſudorem promovendi, cum reliquas excretiones ſiſtat, a relaxatione ſphincterulorum, qui vaſis cutaneis præfixi ſunt, cum irritabilitate per experimenta Ill. HALLERI imminuta, unde & reliquorum viſcerum excernentium functionem turbat, videtur deducenda eſſe.

Ex his in Opio eminentibus virtutibus patet, quanti uſus ſit in omnibus morbis, ubi dolores & ſpaſmi urgent. Nemo accurate magis morbos, in quibus id cum ſucceſſu datur, quam Ill. TRALLES evicit, qui, propria & optimorum Auctorum experientia niſus, monet, illud cum egregio ſucceſſu addi Cortici Chinæ in curandis febribus intermittentibus; exhiberi in febre ſecunda variolarum, dum dolores multum vexant; in morbillis, ſi tuſſis, motus convulſivi, dolores, diarrhœa premunt; in doloribus ventriculi, valde magnis & ad omne colicæ genus, præter flatulentam; porro ad inflammationem inteſtinorum, ileum, herniam incarceratam, nephritidem calculoſam, convulſiones & epilepſiam ſine materia; vomitum & ſingultum ſine materia; tuſſim catarrhalem, metaſtaticam, convulſivam; aſthma convulſivum; palpitationem cordis ab acri aut nimia mobilitate; dyſenteriam, ubi dolores intenſe urgent; fluxum menſium dolorificum; metum abortus, antequam hæmorrhagia ſurrexerit, dolores partus ſpurios, lochia nimia a retenta portione

fecundinarum. In ſpaſmo maxillæ inferioris, cynico & opiſthotono, a largioribus ejus doſibus egregios effectus viderunt SYLVESTER, CLEPHANE MACAULAY, HUCK, FARR. Sed medicamentum ſanguinem attenuans, motum humorum intendens, excretiones ſiſtens, cerebrum maxime petens, multis etiam in morbis omnino exulare debet; oſtendit Illuſtris TRALLES, illo abſtinendum eſſe in omni hæmorrhagia, in febribus continuis æque ac malignis, cephalalgia, dyſuria, rheumatiſmo, arthritide, odontalgia, otalgia, malo hypochondriaco, melancholia, mania, tuſſi chronica, graviditate, diarrhœa, hypercatharſi, phtiſi & hydrope. Monet idem egregius Auctor, & quis non videt, quod egregie moneat, illud nunquam in uſum trahendum, ubi patet, ſtimulum quendam evidentem fibras irritare, infantibus quoque illud nunquam eſſe exhibendum.

Doſis ejus inter nos vix granum ſine noxa excedit, optime ſingulis horis unum granum propinatur, uſque dum ejus effectus obſervamus.

Externum Opii uſum Illuſtris TRALLES in univerſum rejicit, quia incerta eſt doſis, quæ de Opio, tali ratione applicato, corpus ſubit, id quod in medicamento ſumme heroico nequaquam negligendum eſt, & quia Opium evidenti, qua pollet, acrimonia, partes, quibus imponitur, irritat, & hinc dolores potius auget, quam ſedat.

Proſtant porro *Oleum ex Seminibus* MESUE, Pariſini duplex habent, quorum unum ex ſeminibus albis, alterum ex nigris exprimitur, ultimum *Huile d'Oeillet* dicitur, adeo nihil hoc oleum ſanitati contrarium habet, ut pueri, teſte REICHARD, placentis ab expreſſione reliquis copioſe veſcantur, eædem ad ſaginanda animalia multum recipiuntur: *Syrupus Papaveris albi*, *Diacodium* Veterum, Pariſini, præeunte GALENO, capita rejectis ſeminibus recipiunt, veliſ-

ſime anodynus, ad unciam unam & ultra poteſt exhiberi: * *Syrupus Diacodii* MONTAN. eſt præcedens, cui adhuc relaxantia adjiciuntur; huic aliquid Croci addendo parant * *Syrupum Diacodium crocatum* Viennenſ.

* *Aqua Generalis* Pariſ. ratione farraginis ingredientium, jure Theriaca liquida mereretur dici, * *Aqua Hyſterica*: variæ ejus præſcriptiones proſtant, nulla placet, Wurtembergenſis præ reliquis magis carminativa eſt & minus humores commovet: * *Balſamum Hypnoticum* MYNSICHT. correctum recipiunt Pariſ. * *Balſamum Hyſtericum* Pariſ. ex fœtidis & Opio conſtat, Noſtratium potius unguentis, quam balſamis adſcribendum: * *Balſamum Odontalgicum* compoſitioni JUNCKEN $\frac{1}{16}$ circiter Opii adjiciunt Wurt. *Diaſcordium* v. *Scordium*: * *Emplaſtrum ad dolores dentium* Noſtr. * *Emplaſtrum Odontalgicum* Wurtemb. * *Emplaſtrum Stomachale* Pariſ. * *Eſſentia Anodyna* LUDOVIC. eſt Extractum Opii in octuplo menſtrui ſpirituoſi & acidi ſolutum; illa omnino præſtat *Eſſentia Anodyna* Wurtemberg. & Noſtr. quæ eſt Opium novem partibus aquæ cinamomi ſolutum: * *Eſſent. Antarthrit. c. Opio* HOFFMANN W. * *Eſſent. de ſcordio compoſ.* * *Extractum Anodynum* Wurtemb. $\frac{1}{9}$ circiter Opii habet: * *Extract. Bezoard. Camerar.* W. *Extractum Opii* voce Paracelſiſtica *Laudanum* dicitur, Pariſini Extractum vinoſum, Noſtrates & Wurtembergenſes aquoſum recipiunt, hi etiam aliud ad mentem LANGELOTT parant, Opium cum aliquo liquore fermentante confermentando & inſpiſſando & illud * *Extractum Opii* dicunt: * *Guttæ Anglicæ Anodynæ* Pariſ. * *Laudanum hyſtericum* Wurtemb. $\frac{3}{4}$ Extracti Opii habet: *Laudanum liquidum* SYDENHAM, dolendum, quod egregius auctor ſe errore Veterum ſeduci paſſus fuerit, & calida Opio junxerit, $\frac{1}{6}$ circiter Opii vehit: * *Laudanum Opiatum* Wurtemb. * *Laudanum Uri-*

narium MICHAEL $\frac{1}{12}$ Opii habet. GORIS, cui Illuſtr. TRALLES aſſentitur, rectiſſime monet, opium omnibus ejus præparatis præferendum eſſe, quicquid ipſi corrigendi ergo adjicitur, vel iners eſt, vel perniciofum, rectiſſime hinc omnia Laudana compoſita exulare jubentur: *Mithridatii* compoſitiones, quæ hodie proſtant, inter ſe differunt, omnes recedunt ab ea, quam nobis ex DAMOCRATE GALENUS reliquit, omnes vere theriacales, Pariſinum $\frac{1}{60}$ circiter, Wurtembergenſe & Argentoratenſe $\frac{1}{30}$ Opii continet. * *Opiata Salomonis* JOUBERT inconcinnam compoſitionem ex aromatibus, quibus minima ratio Opii accedit, conſtantem deſcripſit: * *Orvietanum*, BATEO ab Equite TALBOT communicatum, Wurtembergenſes recipiunt, Theriacam & Mithridatium & magnam adhuc alexipharmacis adſcriptorum farraginem recipit; Pariſini duplicem habent præſcriptionem, unam *Præſtantiorem* dicunt, quæ altera ſimplicior eſt; Electuaria, quæ veneno reſiſtere credebantur, Recentes, monente PAULINI, ab Orvieto, urbe in Italiæ Romania ſita, denominarunt: * PHILONIUM ROMANUM a PHILONE Tarſenſi, qui AUGUSTI ævo floruit, propria elegia, ſtylo figurato compoſita, quam nobis GALENUS conſervavit & explicuit, deſcriptum, non ad præſcriptum PHILONIS, ſed ad formulam NICOLAI PRÆPOSITI parum mutatum recipitur, $\frac{1}{40}$ circiter Opii & $\frac{1}{20}$ feminibus hyoſcyami habet: *Pilulæ de Cynogloſſo* vid. *Cynogloſſum*: * *Pilulæ Solares* WILDEGANSII, inconcinnæ compoſitionis ultra dimidium ab Opio efformatur: * *Pilulæ* STARCKEY ſeu MATTHÆI minus laudandæ, cum ex draſticis & calefaciente multum ſapone terebinthinato conſtent, $\frac{1}{5}$ fere Opii & totidem de utroque Helleboro habent: *Pilulæ de Styrace* vid. *Styrax*: * *Requies* NICOLAI differt ratione ingredientium pro variis Diſpenſatoriis, Wurtembergenſes $\frac{1}{11}$ Opii, ultra

$\frac{1}{10}$ ſeminis Hyoſcyami condunt: * *Pulvis Abſorbens* WEDEL: * *Pulvis Anodynus* LUDOVICI eſt Extractum Opii, cum duplo Coralliorum rubrorum mixtum; eidem Santalum rubrum adjiciendo, & Opium ad $\frac{1}{6}$ deprimendo, * *Pulvis Anodynus* CAMERARII paratur: * *Requies* NICOLAI: * *Syrupus de Karabe: Theriaca* ANDROMACHI. Inconcinna, ſi qua alia compoſitio, cujus encomia, a GALENO proprio tractatu celebrata, abſurdiſſimis hypotheſibus nituntur, quicquid virium habet, unice ab aromatibus & Opio, cujus $\frac{1}{10}$ circiter habet, pendet. Opprobrio artis omnino medicamentum contra omnes regulas bonæ compoſitionis impingens, a PLINIO jam reprehenſum, vel hodie adhuc magno faſtu adornatur, & medicina, quæ ad nullum venenum valet, pro polychreſto antidoto, non modo ubi virus ingeſtum fuit, ſed etiam in morbis, quos venenatis adſcribunt, ab indocta plebe æque ac Medicis præſcribitur: * *Theriaca Cœleſtis.* Ejus primam ideam QUERCETANUS dedit, GREIFF Pharmacopolă Tubingenſis auxit, inde non multum recedunt Noſtrates, abſurditate etiam priorem vincit; Pariſini præſcriptum HOFFMANN, paucis mutatis, ſequuntur, $\frac{1}{20}$ Opii habet: * *Acetum Theriacale* Pariſ. * *Aqua theriacalis Bezoardica* MINDERER vere theriacalis: * *Aqua Theriacalis compoſita* Pariſ. * *Aqua theriacalis Simplex* Wurtemb. ſpiritus potius nomen meretur: * *Spiritus theriacalis* Wurtemberg. * *Spiritus theriacalis camphoratus* Auguſt. minus bene prolixiſſimæ compoſitionis medicamento, plura adhuc ingredientia adjiciuntur: * *Tinctura Bezoardica* LUDOVICI, exæſtuans medicamentum, $\frac{1}{21}$ circiter Opii habet: * *Tinctura Bezoardica* MICHAELIS: * *Tinctura Odontalgica* HOFFMANN: * *Trochiſci Alkekengi* vid. *Alkekengi*: * *Trochiſci de Karabe* vid. *Succinum.* * *Unguentum hæmorrhoidale extemporaneum* Pariſ.

De *Papavere Rhoeade* recipiuntur petala Florum,

quæ rubra ſunt, ovata, odore levi, ſapore nullo inſtructa, & quæ aquæ, cum qua infunduntur, evidentem mucilaginem affricant.

Papaver Rhœas L. BLACWELL 560. Capſulis glabris, globoſis & habitu piloſo dignoſcitur.

Creſcit ubique, præter Europam maxime Septentrionalem.

Hi flores demum Seculo XVI ad uſus medicatos videntur recepti fuiſſe, demulcendo & relaxando potius, quam propria vi anodyna in doloribus pectoris & abdominis, & cum acrimonia obtinet, videntur agere.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. * *Acetum* SCHROED. * *Extractum* QUERCET. * *Conſerva* SCHROED. *Syrupus* QUERCET. * *Tinctura* aquoſa cum ſpiritu vitrioli acuta.

SOLANUM, Στρύχνος κηπαῖος, *Morelle*, *Nachtſchatten.* Recipiuntur *Folia*, quæ rhomboidea ſunt, petiolata, dentato-angulata, odoris expertia, nec proprius in eis eminet ſapor.

Solanum Nigrum L. BLACWELL 107. habitu inermi & glabro, nec non floribus in umbellam collectis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Plantam, quam Veteres oleribus adſcribebant, & qua vel hodie adhuc Indos, tanquam olere, uti, SLOANE teſtatur, primus ARDOINUS venenis adſcripſit, ad quæ ipſam etiam poſt ipſum vix non omnes Auctores referunt, ſed vero valde ſimile eſt, obſervationes, quæ de noxis inde excitatis proſtant, Atropæ potius, etiam Solanum dictæ, quam Solano noſtro eſſe adſcribendas, & infuſum quindecim foliorum granorum ſuccum, ad drachmas tres datum, duas drachmas ſucci ex baccis expreſſi, ſine ullo incommodo, exhibitas adduxi in Diſſertatione de *Venenatis Alſatiæ plantis.* Folia diſcutiendi ergo partibus inflammatis

imponuntur, eadem egregie ad curationem mammarum induratarum facere, crebro expertus est WILUGBY apud RAJUM.

* *Aqua Solani* VAL. CORD. *Oleum Solani* LEMERY ad inflammationes maxime laudatur, egregie ad ambusta conducit: *Unguentum de Solano* Nostrat. egregium medicamentum ad ambusta & ulcera antiqua.

* STRAMONIUM Recent. *Pomme épineuse*, *Stechapfel.* Folia exhibet magna, viridia, angulosa, in lacinias latas divisa, odore viroso instructa.

DATURA. Corollam habet quinqueangularem, simili calice sustentatam, regularem, isantheram, monogynam, capsulam quadrilocularem seminibus reniformibus foetam: *Strammonium* L. BLACWELL 310 fructu erecto, spinoso & foliis glaberrimis distinguitur.

Americanae originis planta, hodie vel nimis frequens per omnem Europam occurrit.

DOEDERLIN integram familiam a Strammonio, sub crambes forma assumto, narcosi & motibus convulsivis corripi vidit, a foliis ulcusculo ad oculum impositis, paralysin pupillae notavit, a seminibus deliria, motus convulsivos, apoplexiam, paralysin surrexisse BUCHNER, KRAMER, SWAINE, Cel. LOBSTEIN viderunt. Sed etiam salutares ejus effectus observarunt Auctores: Illustris STOERCK mentem alienatam eo curatam aliquoties est expertus, plures & insignes effectus aliquis Medicus in *Comment. Lips.* ODHELIUS plures observationes habet de epilepticis eo partim curatis, partim multum levaminis expertis, & BERGII observationes adducit de delirio, spasmis abdominalibus & convulsionibus inde curatis. Datur extractum ad granum unum pro dosi & hac sensim ascendendo ad grana sex usque extenditur.

* *Oleum infusum* Paris.

β. Animalia.

* Alce, ἄλκη, *Elan*, *Elend.* Subministrat ungulas, bifidas, quemlibet animalis pedem terminantes, nigras, magnitudine & figura proxime ad bovinas accedentes, a quibus corneo, qui ad nigrum accedit, colore, & quod rasæ nullum fœtorem spargunt, se distinguunt.

Cervus Alces L. Cornibus ad basin usque palmatis distinguitur.

In Polonia & reliqua Europa Septentrionali, nec non in Asia & America occurrit.

Extracti resinosi $\frac{1}{40}$, aquosi salini $\frac{1}{6}$ Neumann obtinuit.

Primus Erasmus Stella, qui vertente Seculo XV floruit, externum harum ungularum usum contra morbos convulsivos commendavit, sequentes Medici eas ad eundem finem etiam interne dederunt; absurdo commento nititur fabula, animal morbo comitiali subjectum ejus insultus, ungulis sibi aures scalpendo, arcere, docuit experientia, neque animal malo epileptico conflictari, neque ejus ungulas qualemcunque vim habere hoc malum curandi.

Castoreum, καςόριον, *Bibergeyl.* Hoc nomine veniunt duo Folliculi, inferne nexi, deinde divergentes, oblongi, qui progrediendo ampliores & magis ventricosi evadunt, efformati a membrana tenaci & coriacea, quæ substantiam includit nigricantem, tenacem, proprio, qui caput obnubilat, odore & sapore amaricante præditam, inflammabilem, multis cellulis membranaceis distinctam. Sacci majores, ventricosi, graves, substantiam siccam quidem, sed non totam aridam, & fortissimo odore instructam continentes, reliquis præferendi; hi a Russia, Prussia, Dantisco denominantur, nec cedunt iis, qui ab animali, ad Rhodanum degente, desumuntur, testante

GEOFFROI. Canadense, quod Anglicum quoque appellare solent, folliculos minores sistit, substantiam aridam, minus odoram includentes. Non raro folliculis solent sanguinem inspissatum committere, cui, quadam adjecta castorei portione, odorem affricant.

CASTOR. Quadrupes, dentibus in utraque maxilla, incisoribus utrinque duobus, caninis nullis, cauda plana, squammosa gaudet: *Fiber* L. caudam habet horizontalem.

Copiosissime in Europa & America septentrionali & temperata ad fluviorum littora occurrit.

Sacci, qui sub nomine Castorei prostant, ad utrumque urethræ latus, prope præputium hærent, & proprio orificio in urethram aperiuntur; ex animali desumti, infumando contra corruptionem defenduntur.

Tam aqua, quam spiritus vini ejus principia activa extrahunt, spiritus vini inde abstractus, levissime odoratus fit. LEWIS; Extracti aquosi $\frac{1}{4}$ & totidem spirituosi largitur. GMELIN; Salem volatilem destillationis ope obtinuit FASCH, nec non Cl. MODEL, qui oleum quoque, quod bitumen redolet, ex eo destillare vidit; NEUMANN $\frac{7}{28}$ Extracti aquosi & totidem spirituosi accepit.

Sed prostat quoque *Axungia Castorei*, quæ consistentiam unguenti habet, & cujus odor castoreum refert, sed mitior est; desumitur ex sex glandulis conglomeratis, quarum tres ad utrumque latus urethræ, sub folliculis, quæ Castoreum habent, occurrunt, & in urethram aperiuntur.

HIPPOCRATES Castoreum in morbis uterinis & hystericis adhibuit, integrum de eodem tractatum ARCHIGENEM scripsisse, GALENUS refert, ipse illud ad sopiendos nervorum motus & cienda catamenia laudat, & in universum a Medicis ad morbos convulsivos æque ac illos, ubi dolores urgent, malum hypochondriacum maxime & hystericum solet adhi-

beri, & tam extus quam intus præſcribi: SCHULTZ egregios ejus in colica effectus vidit. Datur ad grana octo, a duabus drachmis aſſumtis nec calorem multum nec numerum pulſuum mutatum fuiſſe, vidit ALEXANDER: clyſteribus ejus drachma adjicitur.

Axungiam ad uſus externos modo adhibent & ad unguenta nervina, quæ partibus debilitatis roborandis dicata ſunt.

Eſſentia vel *Tinctura* SENNERT. correcta: * *Oleum ſtillatitium* Pariſini in *Codicem* receperunt. *Oleum coctum ſimplex* FUCHS. * *Oleum coctum compoſitum* DE MANLIIS plura ingredientia aromatica & irritantia habet, ad paralyſin & tabem laudatur: *Extractum* QUERCETAN. Noſtrates ſpirituoſum, Wurtembergenſes ſpirituoſum & aquoſum commixta habent: * *Spiritus Caſtorei compoſitus* Londin. eſt Sal volatile oleoſum SYLVII, Caſtoreo ditatum, ad effectus hyſtericos adhibetur.

HIRUNDINES vid. *Aves*.

LUMBRICI, Ἔν-ερα τῆς γῆς, *Vers de Terre*, *Regenwürmer*. Sunt Inſecta, quæ mediocris calami craſſitiem habent, quinque circiter pollices longa, coloris dilute rubicundi, habitant ut plurimum in cuniculis, quos ſub terra fodiunt, ex iis autem tempore pluvio in diem prodire ſolent.

LUMBRICUS. Corpus teres habet, annulis efformatum, pone caput annulo eminente cinctum: *Terreſtris* L. aculeis inter annulos prominentibus diſtinguitur.

Occurrit ubique.

Ex Lumbricis $\frac{1}{12}$ gelatinæ ſiccæ obtinui; NEUMANN Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{16}$, ultra $\frac{5}{16}$, Extracti aquoſi, ſpiritus urinoſi $\frac{3}{7}$, Olei empyreumatici $\frac{1}{7}$, ſalis volatilis $\frac{1}{32}$.

GALENUS Lumbricos extus ad diſſectos nervos, intus ſumtos a vi diuretica laudari, dicit, ETTMÜLLER,

STAHL, HOFFMANN eos antarthritico & antispasmodico fine laudant, sed fine ratione, cum nulla exacta de his viribus observatio mihi innotuerit, non audeo, nauseosi omnino medicamenti usum multis commendare. Succum expressum ad unciam unam solent cum jusculis appropriatis exhibere, exsiccati ad drachmam dimidiam usque praescribuntur.

Oleum per Infus. VAL. CORD. ad affectus nervorum commendatur: *Spiritus Lumbricorum abstractitius*, ratione virtutis medicatae, vix prae spiritu vini rectificato aliquid proprii videtur habere: * *Spiritus Lumbricorum per se* ETTMÜLLER non videtur ab aliis spiritibus urinosis, animalibus differre: * *Essentia Arthritica* MAURIT. HOFFMANN Gelatinam lumbricorum spiritu vini alcalisato receptam & sopientibus junctam vehit. Datur ad guttas quinquaginta aliquoties de die: eadem etiam cum *Opio* prostat & ejus $\frac{1}{96}$ circiter vehit: * *Essentia Lumbricorum* Branedeburg. * *Pulvis Antarthriticus* WEPFER non placet: *Sal Volatilis* Wurtemb. nil proprii videtur habere.

* UNICORNU, μονόκερως, *Licorne*, *Einhorn.* Est Dens ex basi latiuscula diu cylindricus, tandem in angustum finem terminatus, fibris spiraliter intortis efformatus, variae magnitudinis, octo pedum longitudinem non raro superans. Ejus cortex flavicat, reliqua substantia albissima est.

Primi BARTHOLINUS & WORMIUS, non cornu esse alicujus animalis quadrupedis, quod Auctores effinxerunt, sed dentem Ceti, ostenderunt.

MONODON L. fistula in vertice, & dente praelongo, ex maxilla superiore exserto, gaudet.

Habitat in Mari Groenlandico.

NEUMANN $\frac{7}{24}$ Extracti aquosi, $\frac{1}{4}$ spiritus urinosi, $\frac{1}{32}$ olei, $\frac{1}{91}$ salis volatilis inde obtinuit; gelatinae siccae $\frac{1}{15}$ mihi subministravit.

Seculo

Seculo XV demum ad uſus medicatos cœpit recipi, & ipſi, maximæ contra epilepſiam & venena vires fuerunt adſcriptæ, quas opinio vulgi, ea quæ magno pretio veneunt, etiam magnas ad morbos fugandos vires poſſidere, ſtudium poſſidendi certum contra febrem petechialem, quam a veneno ſurgere reputabant, ſpecificum, auri ſacra fames, & alia ſuſtentarunt. Primus Marini, illud nequaquam expectationi reſpondere docuit, nec hodie alias inde, quam a ceteris dentibus vires ſperare, fas eſt.

Cap. VI.

ATTENUANTIA.

§. 43.

Medicamenta, quæ vitiis fluidorum medentur, ſive eorum qualitates vitiatas tollunt, *Alterantia* Galeni, ſive eadem e corpore eliminant, *Evacuantia* dicta. Alterantium ea quæ ſpiſſitudinem curant Ἀραιωτικὰ, *Attenuantia* appellantur; huc pertinent 1) ea, quæ rationem aquæ in humoribus augent, & quæ recentior ætas *Diluentia* nominavit, 2) ea, quæ ipſum ſpiſſamentum ſolvendo, humores magis flexiles reddunt, διαφορητικὰ, *Reſolventia* Veterum.

§. 44.

Diluentia indicantur in omni ſpiſſitudinis genere, qualecunque illud fuerit, eorum princeps eſt Aqua, omnia reliqua, quæ huc referuntur, unice agunt ratione aquæ, quam vehunt.

§. 45.

Reſolventium illa, quæ faciunt, ut ſordes, quæ ob pinguem & reſinoſam, qua gaudent, indolem

a noſtris humoribus aut a diluentibus ſolvi & e corpore elui nequeunt, ex aqua ſe ſuſpendi & eliminari patiantur, dicuntur Σμήγματα, ῥυπτικά, *Detergentia*, *Abſtergentia.* Sed Reſolventia etiam *Aperientium* nomine veniunt, dum, ut materies obſtruens ex locis obſtructis ſecedere queat, efficiunt. Quæ ex Reſolventibus ſalino ſapore gaudent, τμητικά, *incidentia* appellare, in more habent, reliquis *Reſolventium* nomen relinquunt.

§. 46.

Incidentia ratione mechanica videntur agere, dum rigidæ earum partes ſeſe craſſamenti partibus interponunt, & iſtarum nimis fortem attractionem moderantur; eadem præterea vaſa irritant, & his validius conſtrictis, ipſa altius inter ſpiſſamenti partes adiguntur, quo efficitur, ut partes aquoſæ. craſſamentum ab incidentibus laxatum ſubire, & illud attenuare valeant. Indicantur Incidentia præcipue a ſpiſſitudine mucoſa; eorum abuſus varium acrimoniæ genus cauſatur. Reſolventia non una ratione agere videntur, quædam eorum, tanquam menſtrua operantur, alia vaſorum contractionem ad certum gradum augendo, efficiunt, ut tenacitas vincatur & partibus craſſamenti nimis cohærentibus, partes aquoſæ, quæ illas diſtentas tenent, interponantur, unum quoque ex reſolventibus videtur evidenter ratione mechanica agere. Varia ſpiſſitudinis genera varia reſolventia exigunt.

I. INCIDENTIA.

α) VEGETABILIA.

AROMATA (§. 25.) IRRITANTIA (Cap. IV.)

ACETOSA vid. *Olera*.

* ACETOSELLA Recent. *Oxys* PLIN. *Aleluja* ab Italorum *Lujula*, *Sauerklee*. Exhibet Folia, quæ terna uni petiolo insident, obverse cordata, hirsuta, firmula, sapore acido linguam feriunt; exsiccata omnem saporem perdunt.

OXALIS. Corollam pentapetalam regularem habet, calice quinquefido sustentatam, diplosantheram, pentagynam, capsulam pentagonam, polypyrenam: *Acetosella* L. foliis ternatis, superne cordatis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Salis essentialis $\frac{1}{85}$ circiter inde obtinuit CARTHEUSER. $\frac{1}{320}$ salis essentialis SAVARY, qui præterea $\frac{1}{200}$ Extracti aquosi, $\frac{1}{343}$ resinosi separavit. Adhibetur cum successu ob acidum vegetabile, quo scatet, ad attenuandos spissos humores, multum etiam conducit ad acrimoniam putridam corrigendam, ut FRANCUS in febre epidemica Ulmensi vidit. Folia exsiccata inertia sunt; & succus expressus & folia jure infusa exhibentur.

* *Conserva* VAL. CORD. * *Syrupus* COSTÆI, * *Aqua destillata* VAL. CORD. *Sal Essentialis Collect. Chym. Leidens.* Vulgo illum Pharmacopolæ ex Helvetia & Suecia sibi comparant. Differt a Tartaro crystallorum magnitudine & figura, paucioribus partibus oleosis, acido magis concentrato, & hinc cum Alcohole Naphtam efformante, & quod cum oleo unguinoso in saponem abeat. Circa vires medicatas conf. *Inst. Chem.*

ALLIUM vid. *Olera*.

ANGELICA Lat. Barb. Inde desumuntur Radices, quæ ex crassato capitulo dimittunt plurimas fibras, pedem dimidium circiter longitudine æquantes & angustas, rugosæ sunt, extus ex gryseo-nigricantes, intus albæ, odore forti proprio gaudent & sapore proprio aromatico, salino, cui aliquid amari accedit.

ANGELICA. Floribus umbellatis, involucro utroque fuftentatis, feminibus marginatis, tribus lineis eminentibus notatis gaudet: *Archangelica* L. BLACWELL 496. Folio impari lobato diftinguitur.

In pyrenæis & alpibus feptentrionalibus fponte crefcit, apud nos in hortis colitur.

Sylveftrem præ hortenfi duplo plus refinæ largiri, & eminentiore odore & fapore gaudere, obfervavit LINNÆUS.

Spiritum vini evidentius, quam aquam has radices extrahere, Oleum odoratum inde obtineri, quod linguam valide pungit, Extractum aquofum naufeofe dulce & fubacre effe, monet LEWIS. Olei odorati $\frac{1}{128}$, Extracti aquofi $\frac{3}{8}$, fpirituofi $\frac{1}{4}$ adducit CARTHEUSER.

Humores potenter attenuat & folida ftimulat, in affectibus frigidis & mucofis non male adhibentur, ad morbos malignos olim admodum fuit commendata: mafticatorio quoque fcopo recipitur.

* *Aqua deftillata ex herba & floribus* Parif. * *Aqua deftillata ex feminibus* Parif. * *Aqua deftillata ex Radice* VAL. CORD. * *Oleum deftillatum* VAL. CORD. * *Conferva* Parif. * *Extractum* VAL. CORD. Wurtembergenfes, præeuntibus Brandeburgenfibus, fpirituofum recipiunt: * *Spiritus abftractitius* Wurtemb. * *Effentia* QUERCETAN.

APIUM vid. *Olera.*

ARMORACIA vid. *Olera.*

CALAMUS AROMATICUS vid. *Aromata.*

CARLINA vid. *Amara.*

CEPÆ vid. *Olera.*

COCHLEARIA Recent. *Herbe aux Cuillerées*, *Löffelkraut.* Recipiuntur Folia magnis petiolis innixa, fubrotunda, fapore falino, acri, proprio odore inftructa,

craſſiuſcula, cum recentia ſunt, facie prona depreſſa, exſiccatione omnis odor & ſapor proprius perit, remanente quadam amaritie.

Cochlearia Officinalis L. BLACWELL 227. foliis radicalibus, ſubrotundis agnoſcitur.

Creſcit copioſe ad littora Maris Europæ ſeptentrionalis, occurrit quoque in Corſica.

Aqua æque ac ſpiritus vini inde odorata & ſapida deſtillant, Oleum odoratum, quod obtinetur, in aqua fundum petit, Extractum aquoſum æque ac ſpirituoſum odore & ſapore plantæ propriis carent.

Ipſo ſapore teſte, Cochlearia egregias vires incidentes habet, & hinc a variis Auctoribus multum ad reſerandas obſtructiones viſcerum abdominalium laudatur, & hoc ſcopo juſculis aut ſuccis aperientibus adjicitur; maxime autem, ut ex EUGALENO patet, omni tempore ad ſcorbutum fuit laudata, ubi autem probe ad variam hujus morbi periodum attendendum eſt. Inter nos, ubi verus ſcorbutus rariſſime obtinet, ad cruentationes & alia vitia gingivarum, externe præcipue, adhibetur.

Aqua FOREST. non male collutorio ſcopo recipitur: *Spiritus* MOLLENBROECK Pariſini ad monitum Auctoris Armoraciam adjiciunt: * *Spiritus Volatilis* Pariſ. * *Syrupus* SENNERT. * *Extractum* Wurtemb. * *Conſerva* Auguſt. recenti herbæ, quando ea haberi non poteſt, optime ſubſtituitur.

DAUCI SEMEN vid. *Olera.*

* ERUCA, εὔζυμον, *Roquette*, *Raucken*, *weiſſer Senf. Semina* ſiſtit, quæ parva ſunt, flava, rotunda, oleo turgent, ſapore acri linguam afficiunt.

Braſſica Eruca L. ſtylo fructui inſidente longo, triangulari & foliis lyratis gaudet.

Habitat in Europa calida, in Helvetiam uſque aſcendit, apud nos in hortis colitur.

A GALENO oleribus adſcribitur, & a vi aphrodiſiaca laudatur, ſinapis vires, ſed remiſſiores habet.

* ERYSIMUM, ἐρύσιμον, *Velarum* Gallorum PLIN. *Velar*, *Wegſenf.* Recipiuntur Folia magnis pinnis inciſa, extrema maxima, trifida, hirſuta, leviſſimo ſapore inſtructa.

ERYSIMUM. Corollam cruciformem, ſiliquam ſtrictam, tetragonam habet: *Officinalis* L. BLACWELL 28.

Occurrit ubique.

Ab herba inſipida, quæ, LOBELII maxime auctoritate, magnam famam aſſecuta eſt, ego ſaltem vix vires incidentes expectarem, & neſcio an fides IIDEM habenda, dum plures raucedine laborantes, ea curatos fuiſſe memorat, prudentiores Veteres ſemen potius adhibebant, quod evidentem acrimoniam habet. Medicamentis uterinis ab HIPPOCRATE adſcribitur.

* *Syrupus ſimplex* GEOFFROI: *Syrupus* LOBELII, ſi quas vires habet, illas aliis, quas præter Eryſimum recipit, ingredientibus debet; Pariſini prolixam compoſitionem, adhuc prolixiorem præſcribunt noſtrates.

HELENIUM, ἑλένιον, DIOSCORID. non THEOPHRAST. *Inula*, *Enula campana* Lat. Barb. *Aunée*, *Alant.* Largitur Radices craſſas, multifidas, longas, extus fuſcas, per exſiccationem gryſeas, intus albas, ſapore acri, amaricante, odore proprio non ingrato gaudentes.

INULA. Corollam compoſitam mixtam, calice imbricato ſuſtentatam, ſtamina inferne bifida, receptaculum nudum, ſemina papposa habet: *Helenium* L. BLACWELL 473. foliis amplexicaulibus, omnibus ovatis gaudet.

Creſcit in Europa, præter maxime Meridionalem.

Olei odorati ſpiſſi $\frac{1}{240}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{15}$ aquoſi $\frac{1}{2}$ LEWIS obtinuit; Extracti aquoſi $\frac{7}{8}$ fere, reſinoſi ultra $\frac{1}{5}$, olei ceræformis $\frac{1}{192}$ fere NEUMANN; CARTHEUSER autem $\frac{1}{2}$ Extracti aquoſi, reſinoſi $\frac{1}{12}$.

Medicamentis uterinis ab HIPPOCRATE annumerantur hæ radices, auctore GALENO, ad affectus pectoris laudantur, quibus omnino egregie conducunt, mucum pulmonem attenuando, aut, si symptomatici fuerint, viscera abdominalia aperiendo, humores resolvendo & solida stimulando, sudorem quoque movent, hinc multum superioribus seculis ad morbos malignos, exanthematicos & ipsam pestem laudabantur. Extus multum ad sanandam scabiem commendantur.

* *Aqua destillata* NIC. PRÆP. * *Conditum* VAL. CORD. * *Conserva* VAL. CORD. * *Extractum* VAL. CORD. * *Oleum per Infusionem* Paris. * *Unguentum* ad id nonnulli, præeunte SYLVIO, mercurium recipiunt, Wurtembergenses & Nostrates, præcipientibus Coloniensibus, eundem omittunt, cum fructu scabiosis inungitur.

* IMPERATORIA Lat. Barb. *Ostrutium* EORUND. *Meisterwurzel*, si non est Σμύρνιον Veterum, proxime saltem ad illud accedit. Radices habet aliquot pollices longas, compressas, rugosas, transversim quasi in articulos distinctas, extus cinereas, intus albas, sapore aromatico, acri amaro & odore proprio, ad angelicam accedente, instructas.

IMPERATORIA L. BLACWELL 279. Flores umbellatos habet, involucro partiali paucifolio sustentatos, & semina marginata, duobus sulcis exarata.

Crescit in montibus Italiæ, Galliæ, Helvetiæ, Germaniæ, Daniæ & Sueciæ.

Largitur Extractum spirituosum amarum & acre, aquosum autem vix odorum cum nauseosa amaritie. LEWIS. Ultra $\frac{1}{2}$ Extracti aquosi, $\frac{1}{5}$ fere spirituosi accepit NEUMANN.

Humores valide resolvit, solida quoque stimulat, in colicis & flatuosis divinum remedium C. HOFFMANN dicitur, nec sine successu adhibetur in pectoris affectibus pituitosis, nec non in morbis, qui ab

obſtructis viſceribus abdominalibus ſurgunt, alexipharmacæ, quæ ipſi adſcribuntur, vires, debentur pernicioſæ doctrinæ de morbis malignis ſudoriferis tractandis. Radice maſticata ſuffocationem uterinam averti FORESTUS, ulceribus inſperſa, ſordes eorum abſtergit.

* LIGUSTICUM, Λιγυϛικὸν, *Leviſticum* Barbar. *Livêche*, *Liebſtöckel.* Radices, Folia & Semina in officinas recipiuntur.

Radices Semipedem circiter longæ, extus flavæ, intus albæ, ſapore proprio acri, non ingrato gaudent, aromatico, cui aliquid dulcis accedit.

Folia pinnata, pinnæ ad ovatam figuram accedunt, ſuperne profundioribus dentibus notatæ, ſapore & odore remiſſioribus, præ radicibus gaudent.

Semina flavicantia reliquis partibus magis odora & ſapida ſunt.

LIGUSTICUM. Flores umbellatos habet, utroque involucro ſuſtentatos, ſemina oblonga, quinque ſtriis elevatis notata: *Leviſticum* L. BLACWELL 275. Foliis multiplicibus & ſuperne inciſis diſtinguitur.

In montibus Italiæ & ad Monſpelium creſcit, in Flora Danica quoque recenſetur, apud nos in hortis colitur, & impune noſtras hyemes fert.

Radix aliquid Olei odorati fundit, & omnes ſuas vires Extracto ſpirituoſo impertit. LEWIS. Olei odorati $\frac{1}{128}$, Extracti aquoſi dulciuſculi $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi ultra $\frac{1}{4}$ dedit CARTHEUSER.

Ratione virium, medium inter fœniculum & angelicam locum videtur tueri; ad morbos uterinos maxime laudatur, in quibus humores reſolvendo & ſolida ſtimulando operatur.

* *Aqua deſtillata* VAL. CORD. * *Eſſentia* Wurtemb.

* MEUM, μῆον, *Bærwurzel* Radices nobis exhibet, aliquot pollices longas, calamum craſſas, quædam filamenta capillaria emittentes, extus ex gryſeo

fuſcas, intus albas, odore proprio inſtructas, non ingrato ſapore proprio, primum leviter dulci, quem autem ſalinus excipere ſolet, præditas.

Athamanta Meum L. BLACWELL 525. Foliis glabris diſtinguitur.

Creſcit in Europæ calidæ & temperatæ montibus, non videtur ultra Sylvam Martiam aſcendere.

Ad provocandam urinam & ciendos menſes a GALENO commendatur, id quod vi ſua acri videtur præſtare, ratione vis reſolventis ad Angelicam accedit, qua humores minus commovet.

* *Aqua deſtillata* Pariſ.

NAPUS vid. *Olera*

NASTURTIUM vid. *Olera.*

NICOTIANA Rec. *Tabacum* Rec. *Tobac.* Recipiuntur Folia ex ovatis oblonga, quæ propria exſiccationis ratione flava fiunt, proprio odore & ſapore acri gaudent, qui per ipſum exſiccationis modum adhuc intenduntur.

NICOTIANA. Corollam habet monopetalam, infundibuliformem, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, monogynam & capſulam ventricoſam, bilocularem, quæ receptaculis ovatis, plura ſemina includit: *Tabacum* L. BLACWELL 146. Foliis lanceolatis gaudet.

Planta, Regno Peruviano indigena, a PHILIPPO HERNANDEZ DE TOLEDO, PHILIPPO II. Regi miſſa, a NICOTIO legato Gallo in Luſitaniam, anno 1550 in Galliam, a Cardinale S. CRUCIS autem Romam allata, Anglis per DRACKE anno 1585 miſſa, hodie per omnem Europam & in variis Aſiæ & Americæ regionibus colitur, & vulgo ab aliqua Inſularum Antillarum denominatur; Principibus æque ac pluribus civibus maximo quæſtui, pauciſſimis non in frequentiſſimo uſu eſt.

Principia alcalina fundit, ultra $\frac{1}{3}$ Extracti amari, in recessu urentis, ingratum odorem spirantis, $\frac{1}{6}$ Extracti spirituosi amari & urentis fundit. BUCHNER & FRAUENKNECHT. Bruta, oleo tabaci interemta, sanguinem in corde spumeum, floridum, attenuatum vehere, HARDER vidit.

Innumeræ varietates, quas varia ratio, qua Tabacum condire solent, produxit, ab ipsa quoque conditura dijudicandæ sunt.

Vegetabile acre potenter omnino humores incidit, DODONÆUS hydropem inde curatum vidit, & MAGNENUS copiosas aquas evacuatas; ob eandem, qua pollet, acrimoniam & alvum ducere, & vomitum ciere observatur. Cum habeamus multa medicamenta, quæ eosdem effectus edunt, & multo minus nauseosa sunt, hinc raro hodie intus adhibetur; rarius quoque ulceribus cacoëtheis abstergendis ulterius inspergitur, maxime cum FEHR observaverit, a pulvere Tabaci cum butyro capiti contra scabiem illito, vertiginem, vomitus & tumores surrexisse. Folia Tabaci cum Aceto in cataplasma redacta, tumores hypochondriorum curasse, STEDMANN vidit, frequenter eadem, ad dimidiam unciam usque, clysmatibus immittuntur in pertinacioribus alvi obstructionibus, aut cum humores a superioribus revellendi nobis animus est. Creberrime autem more, qui ab Americanis ad nos descendit, Nicotianæ fumus ore hauritur, aut pulvis naribus attrahitur, utramque rationem ad prophylaxin contra pestem fecisse, observationibus, a VAN SWIETEN collectis, elucescit; fumum qui hauriunt, commoda & incommoda, apophlegmatizantibus propria, solent experiri, & illis, qui iidem assueti non sunt, caput evidenter obnubilatur, facile quoque largior apud teneros homines, & tales, qui modum excedunt, gravia omnino symptomata inde posse excitari, qualia PAULLINI & HELWIG adducunt;

circa hujus fumi effectus dijudicandos ad variam rationem, qua Nicotiana condita fuit, attendendum esse, patet omnino. Fumum ano immittere primi Angli tentarunt, illum in pertinaciore alvi obstructione, ileo & hernia incarcerata egregiam operam præstitisse, Observatores loquuntur, optimum instrumentum ad hanc medendi rationem Illustris GAUB exhibuit. Pulvis Tabaci naribus haustus errhinorum rationem sequitur, varia, quæ ipsi commiscere solent, etiam, ut varios effectus producat, efficiunt. Masticatio foliorum Tabaci, quæ hoc seculo in Anglia invaluit, ex eis, quæ de Masticatoriis monentur, est dijudicanda.

* *Emplastrum* LE MORT egregium resolvens, ad pertinaciores quoque obstructiones facit: * *Extractum* Wurtemb. tanquam validum resolvens in affectibus mucosis ad grana sex exhibetur: * *Oleum destillatum* EVERART. Varia de eo experimenta prostant, quod vulneribus brutorum instillatum mox venenatos ediderit effectus, mox innocuum fuerit, oleo empyreumatico, nauseoso abstinemus: * *Oleum per Infus.* VAL. CORD. vires resolventes & detergentes edit: * *Pulvis sternutatorius* Wurtemb. * *Pulvis sternutatorius variegatus* Wurtemb. * *Pulvis sternutatorius coloratus* Nostrat. * *Pulvis sternutatorius viridis* Nostrat. Omnes a Nicotiana, cui varia aromata adjiciunt, efformantur: * *Species Tabaci pro fumo* CAMERAR. * *Species Tabaci pro fumo* Wurtemberg. * *Spiritus Arthriticus* BOECLER: medicamentum omnino resolvens, ad fugandos rheumatismos adhibetur: * *Syrupus simplex* EVERARTI inter nos obtinet: * *Syrupum* QUERCETANI correctum & efficaciorem Wurtemb. & Paris. habent, uterque cum successu ad morbos, qui a pituita surgunt, adhibetur: *Unguentum* EVERART. * *Unguentum compositum* JOUBERT ad tumores scrophulosos & affectus cutaneos laudatur.

NIGELLA vid. *Aromata.*

* PERSICARIA Lat. Barb. *Flœhkraut.* Folia tam Mitis quam acris officinas ingrediuntur.

Mitis folia, ſunt ex ellipticis longe lanceolata, leviter hirſuta, non raro maculis notata, odore nullo, ſapore leviſſimo, acidulo & adſtrigente prædita.

Acris folia, prioribus ſimilia, anguſtiora, nunquam maculata ſunt & evidenti acrimonia prædita.

Polygonum Perſicaria L. BLACWELL 118. Corollis hexantheris, monogynis ciliatis gaudet. *Polygonum Hydropiper* L. BLACWELL 119. ab antecedente vaginis truncatis differt.

Creſcunt in omni Europa.

Mitis, extus applicata, a TOURNEFORT tanquam ſummum remedium contra gangrænam laudatur, de Acris virtute ad œdemata, aut calculum, nullæ fidæ obſervationes proſtant, nec vis lithontriptica, quam SCHULZ de *Polygono Amphibio* L. quod vulgo *Perſicariam acidam* appellat, proprio tractatu evincere nititur, poſterioribus obſervationibus eſt confirmata.

* *Aqua deſtillata* BOYLE: * *Sal fixus* per incinerationem paratus. Pariſ.

PETROSELINUM vid. *Olera.*

RAPHANUS vid. *Olera.*

SCILLA vid. *Amara.*

β) ANIMALIA.

MILLEPEDES, ὀνίσκοι, ὄνοι, *Cloportes*, *Mauereſel. Kellereſel.* Sunt Inſecta dimidium pollicem circiter longa, ad aliquot lineas lata, ſuperne ex cineritio nigricantia, inferne alba, eorum corpus ex circeliis eſt compoſitum, cute duriuſcula tectum, ſapore leniter ſalino linguam afficiunt.

Nigri & majores reliquis præferuntur, & cum, ſi continguntur, ſeſe in glomum contrahere ſolent,

hinc inter exſiccatos eos rejicimus, qui in longum extenſi ſunt, quia illos non violenta, ſed ſpontanea morte interemtos eſſe, ſuſpicio eſt.

Oniscus. Inſectum alis carens, pedes in utroque latere ſeptem & antennas duas habet: *Aſellus* L. corpore ovato & cauda bifida gaudet.

Occurrit per omnem Europam, in regionibus calidioribus major eſt & magis nigricat.

Largiuntur $\frac{1}{16}$ gelatinæ multum nauſeoſæ, dum deſtillantur exhibent $\frac{1}{5}$ circiter ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{16}$ Olei, $\frac{1}{17}$ ſalis volatilis, ſal alcali ex eorum cineribus extractus, ſuavem odorem ſpirat. Neumann inde $\frac{1}{3}$ circiter ſpiritus urinoſi, $\frac{1}{11}$ Olei empyreumatici, $\frac{1}{96}$ Salis volatilis, Extracti præterea ſpirituoſi $\frac{1}{10}$, aquoſi $\frac{1}{5}$ obtinuit; Cartheuser Extracti aquoſi $\frac{5}{12}$, ſpirituoſi ſubacris $\frac{1}{7}$ fere.

Attenuandi ergo a Galeno laudantur, Dioscorides obſtructiones hepatis inde reſerari & urinam moveri obſervavit & variis exemplis Ettmüller probare nititur; in omni ſpiſſitudine, mucoſa æque ac melancholica cum ſucceſſu dantur, nec inefficaces in morbis arthriticis obſervantur, in ulceribus cacoëtheis & tumoribus mammarum etiam opem attuliſſe, vidit Riverius. Recentes exſiccatis omnino præferendi, eorum centum & plures quoque pro doſi adhibentur, ita ut ſuccus inde exprimatur & juſculo appropriato adjiciatur.

* *Eſſentia* Wurtemb. ipſi ſucco poſtponenda eſſe videtur: * *Conſerva* Wurtemb. videtur ſuperflua eſſe, cum millepedes recentes per omnem annum poſſint haberi.

* Scincus, σκίγκος. Hoc nomine proſtat animal quatuor pedibus inſtructum, ſex pollices circiter longitudine æquans, viſceribus orbum, & ut hæc potuerint eximi, per omnem faciem corporis inferiorem plaga longitudinali apertum; tota cutis ſquammoſa

& argentea est, cum flavedinis vestigio, dorsum spina eminente distinctum & fasciis transversis cæruleis notatum, cauda ad latera contracta brevis, caput corpori immediate contiguum, conoideum, frons nullas squammas habet, maxilla inferior, superiore minor, exacte triangulum refert, pedes quatuor non magni, quinque digitis liberis, membranaceis instructi; odore nullo, sapore salino gaudet.

LACERTA. *Scincus* L. cauda apice compressa & digitis muticis, membranaceis distinguitur.

In Ægypto & Arabia Petræa occurrit.

Scincos vires aphrodisiacas possidere, cum GALENO per omnem ætatem fuit assertum, id ipsum vel hodie adhuc in Oriente vulgo credi, HASSELQUIST testatur, sed non perspicio, unde hæ vires debeant surgere, nec ulla fida, quæ id confirmet observatio, nota mihi est, a sale communi, quo conditi ad nos adducuntur, vires incidentes possunt expectari.

γ) FOSSILIA.

* BORAX Barb. βόραχ Græcor. Recent. a *Baurach* Arabum, qui hunc salem speciem Nitri seu Baurach esse reputarunt, *Tincar* Arab. Est Sal, qui ex India sub forma crystallorum variæ magnitudinis & figuræ ad nos vehitur, aliqua pinguedinis specie videntur esse instructæ hæ crystalli, sapori earum aliquid lixiviosi junctum est, colorem habent virescentem, & non raro cortice albo pulverulento obductæ conspiciuntur.

Borax olim ex Alexandria Venetias ducebatur, & ibi depuratus per Europam divehebatur, hinc ab hac urbe vulgo solet denominari, licet maxima boracis quantitas hodie in Belgio depuretur. Refert autem

Borax depuratus cryſtallos majores, pryſmaticas, multilateras, obtuſas, pellucidas, quæ diſſolvendæ ultra vigecuplam aquæ rationem exigunt, calore in pulverem album fatiſcunt, ſupra carbones ſpumant, vitri ſpeciem mentiuntur, foſſilium fuſionem promovent, præcipue pro ferruminando auro adhibentur, hinc gravi omnino errore non pauci Boracem *Chryſocollam* eſſe Veterum reputant; ſuccos cæruleos viridi colore tingunt. Borax cum acidis non effervescit, ſed per illa in duo principia, Salem ſedativum nimirum & Alcali foſſile, diſpeſcitur, ſolutiones in acidis factas præcipitat.

De ratione, qua Indi Boracem parant, nihil certi conſtat, in eo ſaltem plures, quæ ad nos pervenerunt relationes, conveniunt, illum parari ex aquis, ad fodinas cupri reperiundis, id quod & crudi color vireſcens, viridis color, quem alterum ejus principium ſpiritus vini flammæ affricat, & regulus cupri, quem Cl. CADET ex Borace non depurato ſeparavit, etiam confirmare videntur.

Continet $\frac{1}{2}$ aquæ POTT; ſalis ſedativi $\frac{1}{2}$ KAAS; ejuſdem $\frac{1}{3}$ BARON.

Tanquam ſal vires incidentes edit, & quia oleoſis junctus in ſaponem abit, abſtergentes quoque exſerere poſſe nulli dubitamus, cum autem varia ſalia habeamus, quæ has vires etiam evidentiores poſſident, hinc rariſſime intus datur, virtutem, quam ipſi vulgo adſcribere ſolent, partum pellendi, nulla juſta obſervatio confirmavit; in caſu, quem de Medico Hetruſco nobis FALLOPIUS conſervavit, decoctorum pellentium potius, quam Boracis effectum demonſtravit. Extus interdum ſcopo coſmetico adhibetur.

Sal ſedativus Homber. vid. *Inſtit. Chem* * *Species Diaboracis* MYNSICHT: compoſitio abſurda.

Nitrum, νίτρον, *Salpetre*, *Salpeter.* Eſt Sal, qui in cryſtallos pryſmaticos concreſcit, ſapore amaricante gau-

det, linguæ frigoris ſenſum imprimit; & dum aqua diſſolvitur thermometrum deſcendere facit, fuſum, ſi principium inflammabile additur, vehementem & flammantem motum, quem *Detonationem* dicunt, ſuſcipit, ex proprio Acido & Alcali vegetabili conſtat.

Nitrum Veterum a noſtro omnino diverſum eſt, quippe quod ex aquis lacuum & fluviorum coxerunt, in aëre deliquium patiebatur, non detonabat & toſtum nigreſcebat. Primus ISAAC BEN ABRAM apud SERAPIONEM noſtri Nitri videtur mentionem feciſſe.

Veterum Aphronitrum, & Flos Nitri mox Salem mirabilem, mox Salem Ammoniacum fixum, mox Nitrum murarium denotant.

Noſtrum Nitrum nobis in larga quantitate ex Oriente adducitur, ubi ex ſolo excoquitur, in Barbaria, teſte SHAW, in Japan, ad Oram Africæ, in Tataria, Coromandel, Malabar, ad Gangem in Regno Mogolis. Conf. *Hiſtoire des Voyages.*

In Europa non adeo copioſe reperitur, nec tale, quod non prævio quodam labore opus habeat, antequam in uſum trahi poſſit. Paratur ex muris ſive terris, ad quas, ſive ſub forma ſtalactitæ occurrit, & *Aphronitrum* dicitur, ſive ſub albi tomenti ſpecie excreſcit *Halonitrum*, *Salpetre de Houſſage*, ſive ſolo ſapore & detonatione ſe prodit, *Nitrum Embryonatum* Alchymic.

Omnes terræ, quæ Nitrum ſubminiſtrant, laxiorem conſiſtentiam habent, aëris actioni erant expoſitæ & vaporibus ſubſtantiarum, putreſcentium penetratæ, hinc ſal, qui inde elixatur, non raro aliquid urinoſi vehit, in pulchras cryſtallos reduci nequit, ſed neceſſe eſt, ut alcali fixi ope, tam ab urinoſo, quam a terra calcarea, liberetur. Videtur partes terreſtres ad ſubeundam mixtionem ſalinam proprias, halitus aquoſos ex aëre reſorbere, & cum eis acidum egormare, quod, dum ſub ortu principium inflammabile ex ſubſtantiis

ſtantiis putreſcentibus exhalans, in ſuam mixtionem recipit, propriam ab omni reliquo acido diverſam indolem acquirit, ortum hac ratione acidum, accreſcit terræ, in qua ſurrexit, tanquam matrici, modo, quem mox dixi, inde ſeparandum. Eluceſcunt ex his principia, quibus nituntur artificia, quorum ope, ut hic ſal largius in Europa obtineri poſſit, tentant efficere, ea præcipue PIETSCH & SIMON exponunt.

Nitrum, quod creberrime in aqua puteali occurrit, ab ipſis cæmenti, quo receptacula eorum firmantur, partibus, vapores aquoſos recipientibus, & cum eis in acidum abeuntibus, videtur deducendum, φλογιστον, quod hic mixtionem ſubit, ſive ex terra accedit, ſive a ſordibus, quæ caſu in puteum ceciderunt, ſubminiſtratur. Num alcali vegetabile, alterum Nitri principium, etiam a ſordibus derivare licebit?

Obtinetur Nitrum ex ſuis matricibus, dum illæ labris committuntur, quorum fundus ad altitudinem aliquot pollicum ſtramen, quod ſordes retineat, habet, adjicitur ſtramini, cinerum reſpectu terræ elixivandæ $\frac{1}{3}$ & calcis vivæ $\frac{1}{6}$, aquæ ope elixivatio perficitur, lixivium calore non nimis magno ad juſtum terminum evaporatur, adjicitur aliquid lixivii cauſtici, ut omnes partes calcareæ ſecedant, &, ut in cryſtallos coëat, ſeponitur; id quod iteratis cryſtalliſationibus nullum ulterius Nitrum largitur, *Lixivium Nitri*, *Eau Mere*, *Mutterlaug* dicitur. Illud terris nitrariis iterum ſolent affundere, ſed non adeo accurate omne Nitrum exinde ſeparatum eſt, ut non aliquid adhuc vehat. Nitro, ratione quam dixi, parato, quod *Crudum* dicere ſolent, nunquam non ſal communis adhuc ſolet immixtus eſſe, iteratis demum cryſtalliſationibus ab eo ſeparandus.

Nitrum Veterum cum palam a noſtro differat, nec vires medicatæ, de illo celebratæ, ad hoc referri poſſunt. Noſtrum cum ſit ſal medius, hinc jure incidentes effectus ab eo exſpectantur, docuit autem experientia, iſtud propria quadam virtute ſanguinem attenuandi gaudere, imo, phlogiſtica ſpiſſitudine laborantem, ab eo reſolvi, & in craſin naturalem reduci, id quod facile in ſanguine, e vena emiſſo, experiri datur, & inter primos HOFFMANN annotavit. Idem, præ aliis ſalibus mediis, efficacius putredini reſiſtere, Illuſtris PRINGLE obſervavit. Celebratur præterea ejus vis refrigerans, quam multis experimentis in proprio corpore ſtabilivit Cl. ALEXANDER, qui ſimul animadvertit, elapſis circiter duodecim, poſtquam aſſumtum fuit, minutis, pulſuum numerum ad priſtinos rythmos redire, imo ad ſeſqui drachmam & ultra, ſi aſſumitur, varia incommoda excitari, & arteriæ ictus multiplicari. Vis refrigerans Nitri, unde pendeat, nondum liquet, ex eo ſaltem derivanda non eſt, quod Nitrum, in aqua ſi diſſolvitur, thermometrum deprimat, quam primum enim ſolutio peracta eſt, thermometrum ad priſtinam altitudinem redit, nec integrum; ſed ſolutum Nitrum ſanguinem adit; præterea ſal ammoniacus & ſal communis, dum aquam ſubeunt, etiam majus, quam nitrum, frigus producunt, ſed neutiquam adeo evidenter, ut iſtud, corporis humani calorem minuunt, nec a ſanguine attenuato hic effectus poteſt deduci, cum, quæ idem præſtant, alcalina non evidenter refrigerent. Ob vim refrigerantem & ſanguinem diſſolventem in omni æſtu ſanguinis exhibetur, & præcipuis medicamentis antiſpaſmodicis adſcribitur.

Doſis eſt ad drachmam dimidiam, in affectibus pectoris, & topicis primarum viarum vitiis, etiam imminuenda.

Aqua fortis, *Aqua Regis*, *Liquor Nitri fixus*, *Magnesia alba*, *Nitrum antimoniatum*, *Nitrum depuratum*, *Nitrum fixum* vid. *Instit Chem.* * *Nitrum perlatum* in phlogosibus ab acrimonia acida conducit; * *Nitrum Rosatum* BARCHUSEN ad gargarismata recipitur: * *Nitrum Saturninum* JUNGKEN non male extus ad discutiendas inflammationes adhibetur: *Nitrum tabulatum* est sal prunellæ in tabulas redactus: *Pulvis Antispasmodicus* Halens. *Temperans* STAHL Polychrestum remedium, quo vulgo ad omnem orgasmum sanguinis uti solent, solo Nitro non videtur præstare: *Pulvis Antispasmodicus Offic.* Nostrat. antecedenti medicamentum absorbens jungit: *Sal Polychrestus* vid. *Instit. Chem.* *Sal Prunellæ* QUERCETANI, *Crystallus mineralis* BEGUIN. primus BASILIUS VALENTIN. illud indicare videtur, est Nitrum, cujus portio quædam in Salem polychrestum versa est, ego ipsi semper Nitrum præferrem, adhibetur ad morbos faucium: *Spiritus Nitri* vid. *Inst. Chem.* * *Spiritus Nitri anticolicus* Brandeburg. medicamentum inconcinnum: *Spiritus Nitri dulcis* vid. *Instit. Chem.* *Trochisci ex Nitro & Cinnabari* Nostr. Suave medicamentum, quod cum successu ad sitim sedandam, mucum attenuandum & sanguinis æstum temperandum assumitur; iidem etiam non male parantur, cum loco cinnabaris succus Citri recipitur.

SAL AMMONIACUS. Is, qui nostro tempore in officinis prostat, Seculo XVI ad finem vergente, demum obtinuisse videtur.

Adducitur ad nos forma panum rotundorum, quorum diametri novem circiter pollices æquant, una facie concavorum, vertice crasso eminente instructorum, altera facie convexorum, sub utraque superficie sordida, nigra, substantiam salinam pellucentem, sapore vivido salino linguam ferientem vehit:

Paratur hic ſal in Ægypto ſublimationis ope ex fuligine excrementorum, quæ animantia, multo ſale paſta, excludunt, notantibus LEMERY, GRANGER, HASSELQUIST, eundem eadem fere ratione in Imperio Indoſtan parari, fidem facit Illuſtris GAUB, qui etiam mentionem facit ejus, qui ab aliquot retro luſtris Brunſvigæ paratur, albiſſimus eſt, formam panum, in quos ſaccharum formatur, habet, & quem Ægyptio, nonniſi minore alcali volatilis ratione, cedere, expertus ſum.

Sal Ammoniacus nativus, quem, teſte Cl. MODEL, Calmuccorum regio ad rupes creſcentem largitur, gryſeis cryſtallis efformatus, & ille, qui ſubſtantiam laxiorem & flavam refert, copioſe ad montes ignivomos & Solfataræ occurrens, in noſtris regionibus muſea curioſorum, nequaquam officinas intrat.

Salem Ammoniacum ex Acido ſalis & Alcali urinoſo conſtare, evici in *Inſtit. Chem.*

Hunc ſalem vires incidentes editurum, facile patet, & hinc ad omnes morbos, a ſpiſſitudine mucoſa oriundos, cum ſucceſſu adhiberi poſſe; eundem propria virtute febres intermittentes fugandi gaudere, MUYS multis obſervationibus ad liquidum deducere conatus eſt, quas ſuis quoque WOLFF, LOESEKE & JACOBI confirmarunt; cum febres intermittentes ſemper uſum incidentium exigant, non male noſtrum ſalem, quem ſpecifice hic conducere fidi Auctores teſtantur, aliis ſalibus mediis in hoc morborum genere præferimus: ejus doſis ad drachmam unam extenditur.

Extus, cum ejus vis antiſeptica Ill. PRINGLE experimentis confirmata ſit, non male ad medicamenta contra gangrænam recipitur; ſpecifica virtute ad curandam ſcabiem gaudere, Cl. PLENK eſt expertus.

* *Elixir Pectorale Regis Daniæ* Wurtemb. Eſt ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus a variis plantis, quæ autem carminativæ potius ſunt, quam pectorales,

abſtractus & ſucco liquiritiæ edulcoratus, in morbis a flatibus oriundis conducet, multo concinnius, & ad. affectus pectoris mucoſos aptiſſimum eſt * *Elixir Pectorale* RINGELMANN in *Pharmacopœa Danica* deſcriptum: * *Ens Veneris* vid. *Inſtit. Chem.* * *Eſſentia Balſamica* GMELIN, ad debilitatas fibras primarum viarum admodum utilis: * *Flores Antimonii rubri* BASIL. VALENT. admodum draſtici ſunt: *Flores ſalis Ammoniaci Martiales*, qui a Pariſinis ſub titulo *Florum ſalis Ammoniaci hæmatiticorum* repetuntur v. *Inſt. Chem.* * *Flores ſalis Ammoniaci ſimplices* Wurtemb. non differunt a *Sale Ammoniaco depurato* SCHROEDER. *Sal volatile aromaticum* Pariſ. *Sal Anglicum volatile* Wurtemb. egregium medicamentum excitans: * *Sal volatile oleoſum* BOERHAAVE a viribus Angelicæ laudatur: * *Sal volatile oleoſum* Wurtemb. *Liquor oleoſus* SYLVII: *Sal* vel *Liquor oleoſus* SYLVII, *Spiritus volatilis aromaticus oleoſus* Pariſ. *Spiritus ſalis Ammoniaci Aromaticus* Edinburg. *Tinctura ſtomachica* Lipſ. ſunt ſpiritus ſalis Ammoniaci vinoſi, oleo variorum aromatum fœti, in affectibus frigidis primarum viarum ad ſcrupulum unum pro doſi exhibentur; extus vel naribus admoventur, vel illinuntur membris debilitatis: * *Spiritus Bezoardicus* BUSSI, eſt alcali volatile oleo empyreumatico fœtum, ſanguinem potenter reſolvit & exagitat, excretiones aquoſas auget: *Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus*: *Spiritus Salis Ammoniaci cum calce viva* ſeu *volatilis urinoſus* Wurtemb. *Spiritus Salis Ammoniaci cum Sale Tartari*: *Spiritus Salis Ammoniaci vinoſus* ſeu *Sal volatile Ammoniacum* Pariſ. vid. *Inſtit. Chem.*

SAL COMMUNIS. *Sal Panis Arab.* Eſt ſal medius in cryſtallos cubicas concreſcens, proprio ſapore præditus, ſupra carbones decrepitans, ex proprio acido & alcali foſſili conſtans. Triplex ejus genus ſolet proſtare: Foſſilis nimirum, Marinus & Fontanus.

Sal fossilis, quem, si in crystallis pellucidis occurrit, *Salem Gemmæ* Latino-Barbari appellant, in montium visceribus latet, & satis copiose in reliquis Orbis partibus æque ac in Europa occurrit, Transylvania, Hungaria, Polonia, Germania, Anglia, Hispania &c. eo abundat. Eruitur e montibus, rationibus mechanicis, sordes, quæ ipsi adhærent, iterata solutione & crystallisatione auferuntur.

Sal marinus hæret in omni aqua; quæ sub maris nomine globum nostrum ambit, & a Geographis variis nominibus, pro variis locis, quos alluit, insignitur; habet autem aqua marina eo plus salis, quo calidius est clima, ubi occurrit, & quo major est profunditas, unde hauritur: obtinetur sal ex aqua marina, evaporationis ope, quæ in locis septentrionalibus per ignem promovetur, in meridionalibus autem aqua marina, supra magnas areas ducta, actioni solis & aëris exponitur; dum hæc aqua semper salem mirabilem & salem ammoniacum fixum vehit, hinc sal, evaporatione obtentus, demum purior evadit, quando per aliquot annos in acervos collectus, utrumque salem heterogeneum ad fundum dimisit. Sal marinus, qui evaporatione supra areas obtinetur, a terra, quæ ipsi accrescit, gryseus & nigricans solet esse, iteratis demum solutionibus & crystallisationibus depurandus.

Sal fontanus, qui etiam *Communis* audit, paratur ex fontibus, quos *Salinas* dicere solent, per omnem orbem creberrime obviis, evaporatio salinarum in propriis labris, moderato igne instituenda, ut salia heterogenea, una cum selenite, ad fundum colligantur, & jactura æque ac enervatio salis caveatur. Muriam debiliorem ope domuum gradatoriarum concentrare solent, ut alimento ignis sub evaporatione parcant, consilio forsan minus laudando. Conf. Illustris HALLER. Omnem omnino attentionem

meretur, quod ubi ſal marinus occurrit, etiam vix non ſemper ſelenites, ſal mirabilis, & ſulphur inveniantur.

Ratio acidi in vario ſale cibario varia eſt, hinc illum ratione ſaporis & virtutis condientis multum differre obſervamus; id interim experientia docuit, ex aqua marina paratum, reliquos acrimonia ſuperare.

Bonus ſal cibarius debet eſſe albus, omnis peregrini ſaporis expers, nec in aëre humeſcere.

Sal communis in modum reliquorum ſalium mediorum vires incidentes habet, & hoc ſcopo non male iſtorum in locum recipitur, eodem, cum carnes condire a longiſſimo retro tempore receptum ſit, hinc præeunte GALENO, tam extus quam intus ad arcendam putredinem adhiberi ſolet, immo cum Idem Medicinæ princeps ex carne ſalita, ſalis vim fibras rigidas reddendi, perſpexerit, ideo vires exſiccantes quoque ab eo in corpore ſurrecturas monuit. Illuſtris PRINGLE pulcherrimis experimentis evicit, ſalem cibarium corpus animale minus quam alia ſalia contra putredinem defendere, imo eundem, ſi ſubſtantiis animalibus in ratione, quæ 1 : 8. minor eſt, adjicitur, etiam corruptionem augere. Patet ex his, cur hunc ſalem optimo conſilio cibis pro adjuvanda digeſtione adjiciamus, irritando enim fibras primarum viarum, eas ad vividiores contractiones compellit, viſcidum & ciborum & humorum chylopoicticorum corrigit, & efficit præterea, ut ipſi cibi citius reſolvantur, & partes nutritioni aptas dimittant. Extus ad fotus antiſepticos & diſcutientes recipitur, nec non ad enemata irritantia.

* *Sal decrepitatus* Pariſ. * *Sal depuratus* Pariſinis, inter quos vulgo ſal marinus gryſeus obtinet, neceſſarius: * *Sal febrifugus* vel *digeſtivus* SYLVII: *Sal mirabilis* GLAUBER: *Spiritus Salis* vid. *Inſtit. Chem.* * *Spiritus Salis coagulatus* MYNSICHT. eſt ſal digeſtivus, in quo alcali excedit: * *Spiritus Salis* GLAUBER.

* *Spiritus Salis dulcis*: * *Spiritus Vitrioli philoſ.* vid. *Inſt Chem.*

SODA Recent. *Alumen Catinum* Lat. Barb. Hoc nomine proſtat maſſa terreo-ſalina, in diverſæ magnitudinis glebas efformata, quæ duritie lapides æquat, colore gryſeo cæruleſcente gaudet, miculis parvis albis, & magnis nigris diſtinguitur, plurimis foraminibus hiat, odorem ſpirat nec gravem nec ingratum, ſapore gaudet ſalſo & lixivioſo.

Orientalis & Occidentalis occurrit; illa in Ægypto, Syria, Tripoli, Tuneti, Aſtracani paratur, rariſſime tabernas intrat, hanc in Hiſpania, Italia, Anglia, Gallia, Germania conficiunt: Orientalis optima cenſetur & ſive ab Ægypto denominatur, ſive *Rochetta Alexandrina* dicitur; inter Occidentales Alonenſis præfertur, quam & *Hiſpanicam*, *Soude de Barille* appellare ſolent, ea, quæ Carthagenæ conficitur, vilioris omnino conditionis eſt.

Soda in aëre humeſcens, quæ ſoluta fœtet, eminentiori cruſta viridi obducitur, fragilis, aut minoribus foraminibus pertuſa, rejicienda eſt.

Paratur ſoda ex plantis ad mare creſcentibus, quas in foſſis comburunt, & cineres hac ratione ortos, continuato igne, in majores maſſas conferruminant, illarum cum varia ſint genera, hinc varium quoque Sodæ genus occurrit: *Salicorniæ* L. & *Salſolæ* L. præſtantiſſimam Sodam largiri experientia evicit, optimam Alonenſem ex *Meſembryanthemo Nodifloro* L. parari, quod & in hunc ſcopum ſerere ſolent, teſtantur Cl. JUSSIEU & Cl. BASTER, Alexandrina ex *Meſembryanthemo Coptico* L. conficitur. Proprium eſt his plantis, ut ſalem marinum in ſuam ſubſtantiam recipiant, eundem quædam plane non mutant, ut de *Salicornia Europæa* L. Illuſtr. GAUB expertus eſt, quædam iſtum ita laxant, ut ignis plantam comburens acidum in aërem pellere queat, re-

manente altero ſalis marini principio, alcali foſſili nimirum, partibus terreſtribus a planta reſiduis, nexo. Vidit Illuſtr. DU HAMEL Salſolam in horto a mari & ſalinis remotiſſimo, ſalem, dum in cineres reducebatur, communem & ſodam dediſſe. Dum promiſcue plantas ad mare creſcentes comburunt, accipiunt ſodam cineribus clavellatis inquinatam.

In Soda, qualis vulgo proſtat, alcali vegetabile, alcali foſſile, ſalem marinum, ſulphur & terram calcaream æque ac vitreſcentem obtinere, IMLIN vidit. Soda ſimplex vitriariis maxime & ſaponariis in uſum cedit, ad ſcopos medicatos non adhibetur. ENCKELMANN monet, SEIGNETTE Pharmacopœum Rupellenſem, qui labente Seculo ſuperiore floruit, ſalem ex Soda cryſtalliſatum, ſub nomine *Salis Alcali*, ad curandos morbos rheumaticos maxime adhibuiſſe, & pro more eorum temporum laudes ejus propria ſcheda ebuccinaſſe. Alcali foſſile reſpectu effectus medicati, a vegetabili non differre, facile perſpicitur.

Sal polychreſtus DE SEIGNETTE vid. *Inſt. Chem.*

§. 47.

II. RESOLVENTIA.

AMARA (§. 24.) RESINÆ (§. 26.) VOMITORIA (§. 56.) IRRITANTIA (§. 41.) SOPIENTIA (§. 42.)

ARNICA. Hac voce primus FEHR uſus eſt, evidenter ex *Ptarmica*, qua GESNER, qui inter primos hujus plantæ meminit, eam denominavit formata, *Betoine des montagnes*, *Wolverley*. Folia æque ac Flores officinis ſubminiſtrat.

Folia ex ovatis oblonga ſunt, utrinque tomentoſa, ſapore dulciuſculo, cui vix diſtinguenda amarities accedit, inſtructa, aquam, cum qua coquuntur, ſapore ſalino afficientia.

Flores aſſervantur a calice evulſi, flavi, manifeſtius quam folia amari, aquæ ſaporem amaricantem & acrem communicant.

Arnica. Flores compoſitos mixtos habet, calice imbricato, ſeminibus radii nudis diſtinguitur: *Montana* L. foliis ovatis integris agnoſcitur; cum omnia ſemina papppoſa habeat, omnino Doronicis adſcribenda.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Folia Extracti aquoſi $\frac{1}{3}$, ſpirituoſi $\frac{1}{6}$ circiter largiuntur: Flores $\frac{5}{16}$ Extracti aquoſi, $\frac{3}{16}$ ſpirituoſi. Neumann. Folia $\frac{5}{16}$ Extracti aquoſi, ultra $\frac{1}{8}$ ſpirituoſi, Flores extracti ſpirituoſi nonnihil urentis $\frac{3}{16}$ & aquoſi amari $\frac{1}{4}$ circiter Cartheuser. *Oleum deſtillatum* fundere in *Chym. Journal.* III. 100. obſervatur.

Joel ruſticos herbam cum floribus ad caſum ab alto haurire, monet, Renealm urinam movere, habuit compertum. Primus Fehr ejus inſignes vires in effuſis aut ſtagnantibus humoribus non paucis obſervationibus probavit, quibus præter illas, quæ *Actis Medicorum Berolinenſium* & *Tentaminibus Vratislavienſibus* inſertæ ſunt, nec non eas, quas Alberti & de la Marche adducunt, Gohl, Bruckner, Neuhold, Carl, Cl. Delius & Plenck accedunt. Nulli igitur dubitamus, ut frequentius in uſum ducatur, ſuadere. Cum ejus hauſtus non raro nauſeas & cardialgias excitaſſe obſervatus fuerit, hinc minores ejus doſes prius tentandæ, & in delicatioribus herba potius, quam flores, in uſum ducenda. Vulgari ratione æquæ herbæ ac florum partes ad drachmam unam, cum aquæ unciis tribus, pro una doſi, infunduntur.

Bardana Barb. *Lappa*, *Perſonata* Lat. Barb. Αρκεῖον, Αρκτιον, *Glouteron*, *Kletten*: Exhibet Radices craſſas, foris nigricantes, ſapore dulciuſculo inſtructas.

Arctium. Flores compoſitos tubuloſos habet, calice, ex ſquammis, apice reflexo hamatis, imbricato ſuſtentatos, thalamo ſetaceo inhærentes, ſemina ſtriata, brevi pappo ſuſtentata: *Lappa* BLACWELL 117. foliis petiolatis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa.

Extractum aquoſum, æque ac ſpirituoſum levi dulcedine gaudent, cum admixta amaritie & levi ſalſedine LEWIS. Extracti aquoſi fere $\frac{1}{2}$, ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ circiter NEUMANN obtinuit, illius ultra $\frac{1}{5}$, hujus $\frac{1}{9}$ circiter CARTHEUSER.

GALENO folia in uſu erant; radices a vi reſolvente laudantur, FORESTO fuit relatum, decocto harum radicum gravem arthritidem curatam fuiſſe; ſimilis hiſtoria apud ALSTON occurrit; FORMII obſervatio de HENRICO TERTIO Galliarum Rege per ecoctum hujus radicis a PENA curato, licet unde FORMIUS eam acceperit, lateat, licet PENA ejus non meminerit, & ipſa, quæ ibi deſcribitur cura, præcipue balneo laconico adſcribenda eſſe videatur, multos impulit, ut lignis & radicibus reſolventibus exoticis radices Bardanæ ſubſtituendas eſſe, crediderint.

* *Aqua a foliis abſtracta* Pariſ.

* BECCABUNGA Barb. *Bachbungen.* Dat folia ovata, ſerrata, glabra, ſucculenta, ſapore aquoſo inſtructa. *Veronica Beccabunga* BLACWELL 48. racemis lateralibus & foliis ovatis planis gaudet.

Creſcit in omni Europa.

MAURIT. HOFFMANN, ſucci ex Beccabunga expreſſi, efficaciam ſe in ſcorbuto expertum eſſe, teſtatur, cum portulaca cæterum ratione virium medicatarum convenit; minus bene folia exſiccata aſſervantur.

* *Aqua deſtillata* Pariſ. * *Syrupus ex Succo* Eorund.

BETA vid. *Olera.*

BRASSICA vid. *Olera.*

*CALENDULA vid. *Amara.*

CAPPARIS CORTICES vid. *Olera.*

CARDUUS MARIÆ. Barb. *Chardon Marie*, *Frauendistel.* Folia & Semina in indicibus medicamentorum occurrunt.

Folia magna ſunt & lata, pulchro reti albo picta, profundioribus & majoribus ſinibus laciniata, margine ſpinoſo inſtructa, ſapore ſalino, cui levis amarities juncta eſt.

Semina non minima, cylindroidea, utrinque leviter compreſſa, ſub cortice fuſco, ſplendente, medullam albam & dulcem includunt.

CARDUUS. Flores compoſitos habet tubuloſos, calice ſquammis ſpinoſis imbricato, & receptaculo ſpinoſo ſuſtentatos, nec non ſemina papposa: *Marianus* BLACWELL 79. foliis amplexicaulibus, pinnatifidis, ſinuatis, ſquammis calicinis nudis, utrinque ſpinam canaliculatam educentibus, gaudet.

In Germaniam ſeptentrionalem uſque aſcendit.

Folia olim reſolvendi ergo contra viſcera obſtructa laudarunt: ſemina ſpecifice pleuriticis commendarunt, ſed non video, quid præ aliis demulcentibus præſtare queant.

Aqua Cardui Mariæ SCHROEDER. iners.

*CHEIRI Lat. Barb. λευκοῖον, κνῆκος Veter. *Leucojum luteum* vel *Viole latea* Veter. *Keiri* Arab. *Giroflée*, *gelbe Violen*, *Nägelein.* Flores aſſervantur, qui recentes gratum & fortem odorem ſpirant, quem autem exſiccati omnem deponunt, & ſapore amaricante, cui aliquid ſalini junctum eſt, gaudent, colore flavo inſtructi.

CHEIRANTHUS. Corolla gaudet cruciformi, calice utrinque gibboſo inſtructa, ſiliqua compreſſa, ad margines denticulo notata, ſtylo bifido coronata, ſemina marginata, compreſſa includente: *Cheiri* L. BLACWELL 179. folia lanceolata, acuta, glabra habet.

Europæ calidiori propria planta, dum ubique in hortis culta fuit, ſemina ſua ſpargendo, nunc pluribus in regionibus ſpontanea occurrit, in Boruſſia adhuc obtinet.

Aqua deſtillata odorata eſt, Extractum aquoſum evidenter ſalinum LEWIS.

Sapor vires attenuantes pollicetur, & hinc hi flores ad promovendum menſium fluxum facere poſſe videntur, qui autem virtutem fœtum pellendi ipſis adſcribunt, hypotheſi potius, quàm experientia nituntur. REUSNER eos cum ſucceſſu ad prophylaxin contra apoplexiam & paralyſin uſurpatos refert.

**Aqua deſtillata* SCHROED. **Conſerva* SCHROED. **Oleum per Infuſ.* ÆGINETÆ.

CHELIDONIUM, χελιδόνιον, *Chelidoine, Schoellkraut.* Majus & Minus proſtant.

Majus, Τὸ Μέγα, κυρκυρα Græc. Recent. Exhibet *Radices*, quæ exſiccatæ digiti circiter craſſitiem habent, in plures fibras terminantur, fuſcæ, medulla gryſea, ſapore, qui leviter linguam ferit, gaudent; recentes totæ croceæ croceum ſuccum fundunt, evidenter acrem. **Folia* glauca ſunt, hirſutie notata, ſemipinnata, pinnis in aliquot lobos ſecedentibus, recentia ſuccum fundunt, radicum ſucco ſimilem.

CHELIDONIUM. Corolla tetrapetala gaudet, calice diphyllo ſuſtentata, polyanthera, ſiliqua polyſperma: *Majus* BLACWELL 91. pedunculos umbellatos habet. Creſcit in omni Europa.

GALENUS radicem reſolvendi ergo in ictero commendat, ſuccum autem abſtergendi fine ad vitia corneæ. Ab ejus attenuante virtute ſurgit effectus ſudoriferus, quem Brunſvicenſes ab eo experiri LANGE teſtatur, qui ab Extracto vinoſo ad duos ſcrupulos in obſtructionibus viſcerum abdominalium & in farctibus pulmonum dato, egregios effectus vidit.

CRAMER folia, ſub forma infuſi theæformis data, podagricis & calculoſis multum ſolatii attuliſſe, refert.

Radix recens ad drachmas ſex, exſiccata ad drachmas duas in infuſo aquoſo datur.

**Aqua deſtillata* NICOL. PRÆPOS. quicquid etiam non infimi ſubſellii Auctores in ejus laudem dixerint, præ ſimplici aqua nihil proprii habet.

**Minus* τὸ μικρόν. Folia exhibet reniformia, petiolata, glabra, leviſſimo ſapore, ad plantas naſturcinas accedente, inſtructa.

RANUNCULUS Corollam habet pentapetalam, calice quinquefido ſuſtentatam, polyantheram, polygynam, ſemina nuda: *Ficaria* L. BLACWELL 51. Calice triphyllo, corolla polypetala gaudet, num Ranunculis relinquenda?

Creſcit in omni Europa.

Dum GALENUS, Chelidonium minus majore acrius eſſe, dicit, ejus radicem intelligit, quippe quam recentem cutim in veſicam elevare, Cl. KRAPFF teſtatur; folia adeo mitia ſunt, ut, teſte Ill LINNÆO, variis in locis in acetaria recipiantur. Totius plantæ uſus hodie eviluit.

CHINÆ RADIX Recent. *Eſquine*. Geniculata eſt, nodoſa, tuberculis pluribus obſita, ſub cuticula ex fuſco-rufeſcente medullam albam includit, cui aliquid rufi admixtum eſt, ſapore & odore caret. Rejicimus radices leviores, illas porro, quæ pauciorem aut ſpongioſam medullam habent, eas præterea, quarum foramina a vermibus roſa, mercatores paſta ex terra rubra obduxerunt, notante jam VESALIO, nec non eas, quæ ex America ad nos adducuntur, & colore, ſive nigricante, ſive magis rufo diſtinguuntur.

SMILAX. Planta relativa diphyta, corolla hexapetala nuda, in maribus iſanthera, in feminis trigyna & fructu bacca gaudet: *China* L. BLACWELL 433.

caule aculeato, tereti, foliis ovato-cordatis agnoscitur.

Crescit copiose in China, & teste BROWN in Jamaica.

Smilax Pseudochina, unde viliores radices desumuntur caule inermi, tereti & foliis caulinis cordatis agnoscenda, Virginiæ & Jamaicæ civis est.

Extracti aquosi insipidi $\frac{1}{2}$, & spirituosi levissime sapidi $\frac{1}{4}$ largitur LEWIS. Extracti spirituosi circiter $\frac{1}{9}$, aquosi ultra $\frac{1}{3}$. NEUMANN. Extracti spirituosi leviter balsamici $\frac{1}{9}$, aquosi insipidi $\frac{1}{3}$ JUCH & ERMEL.

Hanc radicem a Lusitanis in Europam adductam fuisse, AMATUS refert, versus medium Seculi XVI Venetiis in usu esse cœpisse, VESALIUS testatur, ad affectus nervorum, ad morbum articularem & ad labem siphyliticam, cum primum innotuerit, fuisse adhibitam VESALIUS quoque refert. Cl. BOEHM magnum auctorum numerum excitat, qui eam contra morbum venereum adhibuerunt, sed graves quoque Auctores subjicit, qui eandem inertem in hoc morbo sunt experti, quibus ASTRUC & GEOFFROI addendi sunt, cum mihi ne de ulla quidem fida observatione constet, ejus solius ope vel veneream vel aliam quamcunque acrimoniam fuisse curatam, fateor, me a medicamento insipido & inodoro non audere insignem efficaciam polliceri.

CICHORIUM vid. *Olera.*
DAUCUS vid. *Olera.*
EBULUS v. SAMBUCUS.
ENDIVIA vid. *Olera.*
EUPATORIUM vid. *Amara.*

*ERYNGIUM, Ηρύγγιον, *Chardon roland*, *Mannstreu.* Radices largitur, quæ pollicis crassitiem habent. fibrosæ sunt, extus nigræ & striis transversalibus notatæ, intus albæ, sapore dulciusculo instructæ.

Eryngium. Floribus pentaphyllis, ſimilibus calicibus ſuſtentatis, iſantheris, digynis, fructu ovato, bifariam ſecedente gaudet: *Campeſtre* L. BLACWELL 297. foliis amplexicaulibus, pinnato laciniatis diſtinguitur.

Creſcit in Europa temperata, in Saxoniam uſque aſcendit.

GALENUS has radices ad movendam urinam commendat, S. PAULI ad ciendos menſes, non pauci ad fines aphrodiſiacos, nulla exacta de earum efficacia obſervatio ſeſe nobis offert, ſapor dulcis vires reſolventes ipſis ineſſe, ſuſpicionem movet, quinque radicibus aperientibus minoribus adſcribuntur.

**Conditum* VAL. CORD. * *Conſerva* Pariſ.

GALBANUM, Γαλβάνη. Eſt Gummi reſina tenax, ductilis, ex rufo-flaveſcens, ſapore amaricante, acriuſculo, odore proprio gravi inſtructa.

Siccum in grana concretum, quæ ad avellanarum uſque magnitudinem aſcendunt, extus ferruginea, intus exacte ungues referentia, *en Larmes* dicitur, idem etiam interdum ſub forma granorum minorum, flavicantium, ſemipellucidorum occurrit; huic cedit, id quod in maſſas majores concretum eſt, *en Pains*, & cujus varia genera proſtant, quæ, quo plures ungues & pauciores ſordes habent, & quo minus fuſca ſunt, aut nigra, eo reputantur meliora. Proſtat etiam interdum *Galbanum liquidum ex Perſia*, conſiſtentia terëbinthinæ inſtructum, cui multæ fæces nigræ commixtæ ſunt, tempore ad fundum ſecedentes, odorem reſinæ, nequaquam Galbani, habet. Galbanum ex *Bubonis* ſpecie deſumi, Ill. LINNÆUS tradit, HERMANN plantæ Galbaniferæ ſemina alata, & quæ non villoſa ſunt, adſcribit, temere hanc litem decidere nolo.

Creſcit in Africa.

Olei eſſentialis $\frac{1}{21}$ circiter, $\frac{15}{32}$ reſinæ inſipidæ & inodoræ, $\frac{3}{16}$ Extracti aquoſi, amari & acris NEU-

MANN

MANN obtinuit; Extracti aquosi $\frac{1}{6}$, spirituosi $\frac{3}{4}$, Olei essentialis $\frac{1}{21}$ CARTHEUSER. Ex aqua se patitur suspendi, quoad maximam partem in aqua solubile est.

Ab HIPPOCRATE ad suffitus uteri commendatur, calefacientes vires ipsi GALENUS adscribit, cum Gummi Ammoniaco ratione virium videtur convenire, cui pro usibus internis postponitur ob gravem, quo gaudet, odorem, & vires calefacientes, quae ab oleo ejus odorato pendent. Extus potentissimum resolvens, ad omnes humores duriores cum successu adhibetur, nec male umbilico hystericarum imponitur.

**Spiritus* Paris. **Oleum destillatum* SCHROEDER. **Oleum per infusionem* Paris. non spernendum, pro resolvendis tumoribus induratis: *Emplastrum de Galbano crocato* MYNSICHT: dimidiam modo Galbani rationem Wurtembergenses recipiunt, optimum medicamentum resolvens ad tumores scirrhoideos & ad mammas a lacte stagnante induratas; nec sine successu scopo anodyno applicatur: **Emplastrum ad clavos pedum* Nostr. resolvendo, nomini respondere potest.

GRAMEN, Ἄγρωστις, *Chiendent*, *Zwecken*. Radices largitur praelongas, geniculatas, flavescentes, sapore dulci, odore nullo instructas.

Triticum repens L. BLACWELL 537. calicibus quadrifloris acutis distinguitur.

Copiose occurrit per omnem Europam.

Frigidis has radices GALENUS annumerat, ob vim aperientem, quam saponaceo suo succo praestant, a multis Auctoribus laudatae, calculos biliarios ab iis solutos observavit LOESECKE, vulgatissimum apud nos ingrediens est decoctorum, quae pro potu ordinario assumuntur.

**Aqua destillata* NICOL. PRAEPOS.

GUAJACUM Lignum Rec. *Lignum Sanctum* Rec. *Franzosenholz*. Est ponderosum, valde durum, viridi

nigricans, ſapore amariuſculo, cui aliquid acris accedit inſtructum; accenſum odorem non ingratum ſpirat, alburno flavicante cingitur, quod cortex ex variis ſquammis efformatus tegit, colore ex buxeo-badio gaudens, & cujus ſapor præ ligno magis acris eſt; adducitur ad nos ſub forma fruſtorum ſectorum, aliquot pollices craſſorum.

Lignum ponderoſum, quod multum nigri habet, & cui cortex tenacius adhæret, pro optimo habetur.

* *Reſina Guajaci* in majoribus fruſtis ad nos adducitur; compoſitis ex granis flavo-fuſcis, pellucentibus, quibus variæ ſordes commixtæ ſunt, inter dentes tenacibus, ad ignem liqueſcentibus & fumum, qui mihi ſaltem non ſuavis videtur, emittentibus, ſapore leviſſime amaro inſtructis.

GUAJACUM. Corollam pentapetalam, regularem, diploſantheram, monogynam & fructum compreſſum angulatum habet: *Officinale* L. BLACWELL 350. foliis bijugatis gaudet.

Habitat in America Meridionali.

Ligni ſpecies magis flaveſcens & minus nigra olim *L. Sancti* nomine diſtinguebatur, hodie non amplius dubium eſt, variam arboris ætatem differentis coloris cauſam eſſe.

Lignum Extracti aquoſi, cui multum reſinæ adhæret, & quod linguam pungit $\frac{1}{6}$. ſpirituoſi mitioris $\frac{1}{4}$ largitur. LEWIS. Extracti reſinoſi $\frac{7}{32}$, aquoſi $\frac{3}{32}$. NEUMANN. Extracti aquoſi linguam urentis $\frac{1}{5}$, ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ circiter. CARTHEUSER. Ego $\frac{1}{16}$ Extracti aquoſi, quod odore & ſapore ad Balſamum Peruvianum accedit, inde extraxi. Ex Cortice NEUMANN Extracti reſinoſi $\frac{1}{9}$, aquoſi autem $\frac{1}{3}$, ex Reſina autem $\frac{7}{12}$ Extracti reſinoſi & $\frac{1}{6}$ aquoſi obtinuit.

Innotuit hoc Lignum in Hiſpania anno 1508, in Italia 1517, ſerius per reliquam Europam devectum fuit; Hiſpani illud tanquam remedium antivenereum ab Americanis acceperunt.

Quæ fuerint noſtri Ligni circa curandos morbos venereos fata, large recenſet Cl. BOEHM: cum ratio, qua illud exhibebatur, non potuerit non humores inſigniter commovere & partibus fluidioribus privare, ſolida autem multum debilitare, certior vero & tutior ſit horum morborum per hydrargyrum therapia, hinc eo ſolo ſiphylitidis curam hodie Medici non ſuſcipiunt; cum autem aquæ, cum qua coquitur, & balſamicas & reſolventes partes immiſceat, hinc & ad alios morbos, ubi humores ſpiſſi & corrupti ſunt, cum ſucceſſu, juſta ratione ſervata, præſcribitur. In phtiſi egregios ejus effectus viderunt SYLVATICUS, RIVERIUS, SCHENCK, SCHULZ, CRUGER. In febre hectica LOESECKE. Seſqui uncia cum quatuor aquæ libris ad remanentiam unius coquitur.

Reſinam ad eoſdem ac lignum uſus adhibent, & illam ad drachmæ dimidiæ pondus præſcribunt. In liquore ſpirituoſo ſolutum Arthriticis multum commendatur.

* *Oleum deſtillatum* BRENDEL unquam paratum fuiſſe dubito: * *Spiritus* SCHROED. præ aliis ſpiritibus empyreumatibus nihil proprii habet: * *Reſina* iners: * *Extractum* SCHROEDER. efficax omnino: * *Oleum Empyreumaticum* IDEM.

* HERNIARIA Barb. *Tourquette*, *Herniole*, *Bruchkraut*, *Harnkraut*. Plantæ minoris Cauliculi proſtant teneri, geniculati, quibus folia ex ovatis acuminata adhærent, ſive glabri ſive hirſuti, ſapore levi acrimonia linguam feriente inſtructi.

HERNIARIA. Corolla quinquefida, regulari, nuda, iſanthera, digyna, capſula monogyna gaudet: *Glabra* & *Hirſuta* L. BLACWELL Tab. 320. cauliculis herbaceis diſtinguitur.

Creſcit ubique per Europam, præter maxime Septentrionalem, hirſuta in Europa temperata obtinet.

Seculo XVII demum innotuit, ſine ulla genuina

observatione ad hernias laudatur, cum ejus sapor aliquid incidentis ipsi inesse suspicari faciat, hinc calculosis forsan aliquid solatii afferre potest; cum autem & hic efficaciora & certiora habeamus medicamenta, ejus usus hodie eviluit.

* *Aqua destillata* CAMERAR.

LACTUCA vid. *Olera*.

LAPATHUM, Ὀξυλάπαθον, *Rumex*, *Patiene*, *Grindwurzel*. Radices subministrat fibrosas, pollicem crassas, extus nigras, intus lutescentes, sapore acriusculo cum aliqua adstrictione & levi amaritie instructas.

Rumex acutus L. BLACWELL 491. valvulis dentatis, graniferis & foliis lanceolatis, serratis distinguitur.

Crescit in omni Europa.

Utrumque Extractum amarum & adstringens est. LEWIS.

Has radices apud Veteres ad usus internos adhibitas fuisse non reperio, recentiore ætate aperiendi scopo in multo usu sunt, cum acri & amaro, quo pollent, principio spissos humores attenuent, & adstrictione, visceribus obstructis robur dent; alvum quoque ab iis cieri experientia probat. DIOSCORIDES eas extus adhibitas contra morbos cutaneos commendat, & hac ratione cum successu usurpari S. PAULI observatione evincit, sed nec male in iisdem morbis intus dantur.

Recentes ad unciam dimidiam in jurcula recipiuntur; exsiccatarum drachmæ duæ cum aquæ unciis sex ad remanentiam unciarum trium coquuntur, pro dosi.

* *Extractum* VAL. CORD.

Parisini quoque *Rumicem Patientiam* L. *Sanguineum* L. & *Aquaticum* L. præscribunt, quorum tamen radices nec inter se, nec ab acuto, respectu vis medicatæ, multum differre videntur.

MANNA vid. *Purgantia.*

* MERCURIALIS, *λινόζωστις, παρθένιον, ἑρμοῦ βοτάνιον, Bingelkraut*, exhibet Folia oblonga, angusta, profundius crenata, inodora & insipida.

MERCURIALIS. Planta relativa, diphyta, corolla trifida, in maribus polyanthera, in feminis digyna instructa, capsula didyma, biloculari, dipyrena prædita: *Annua* L. BLACWELL 162. Caulem brachiatum habet, folia glabra, flores spicatos.

In Borussia adhuc occurrit.

Ab HIPPOCRATE intus ad ducendam alvum & hydropem, extus relaxandi ergo laudatur; vires alvum laxandi, &, dum extus applicatur, digerentes inde pollicetur GALENUS, hos effectus folia recentia, saponaceo, quo scatent, succo, videntur præstare, eadem a Nostratibus, butyro frixa, herniis incarceratis solent imponi, ab exsiccatis nullas vires spero.

Mel Mercuriale August. ad clysmata abstergentia recipitur: * *Syrupus longæ Vitæ* ZWINGER non sine successu resolvendi ergo exhibetur, & hinc varium morborum genus & curatur & præcavetur; tribunum militum autem, qui ZWINGER hunc syrupum communicavit, & rusticum Calabrum quondam huic syrupo debuisse, quod ultra centum annos vixerint, nondum confectum est.

NASTURTIUM PETRÆUM Nostr. *Saxifraga* Barb. *Cresson de Roche*, *Steinkressen.* Recipiunt Cauliculos, qui recentes succulenti sunt, nonnisi superne divisi, teneri, parvis foliis obsessi reniformibus, creberrime integerrimis, hirsutis, exiguis petiolis sustentatis, leviter acri & leviter adstringente sapore gaudent.

CHRYSOSPLENIUM. Corolla quadrifida vel quinquefida irregulari, diplosanthera, digyna, capsula birostri, polysperma gaudet: *Alterni folia* L. foliis alternis distinguitur.

Crescit per omnem Europam.

Deſtillatione principia alcalina fundit; Extracti aquoſi ½ fere, ſpirituoſi ⅕ largitur; dat etiam exiguam portionem Salis eſſentialis. PALLAS.

Noſtra demum ætate officinas noſtras intrare cœpit, & crebro contra tuſſim & aſthma adhibetur, in quibus etiam ob vires reſolventes, quas ſapor & locus natalis, cum nonniſi ad loca aquoſa occurrat, indicant, non male uſurpatur; ab Auctoribus hinc inde ad aperiendas obſtructiones viſcerum abdominalium & abſtergendos renes commendatur.

* ONONIS, Ἄνωνις, Ὄνωνις, *Arrêt de bœuf*, *Hauhechel.* Deſumuntur Radices, quæ longæ ſunt, tenaces, extus fuſcæ, intus albæ, ſapore leviſſime acriuſculo inſtructæ.

ONONIS. Corollam papilionaceam habet, calice, cujus quædam laciniæ ipſam longitudine æquant, ſuſtentatam, legumina rhomboidea, turgida: *Spinoſa* L. BLACWELL 301. floribus ſubſeſſilibus & caulibus ſemi erectis diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Abſtergens & incidens, diuretica & calculum comminuens a GALENO laudatur; multos reperio, qui hæc ex GALENO repetunt, nullum qui ea propria obſervatione confirmet; Ill. HAEN, ſe foliorum Ononidis decoctum cum ſucceſſu in nephritide fuiſſe uſurpatum, refert.

* PARIETARIA Lat. Barb. Ἑλξίνη, *Helxine* Veter. *Caſſe pierre*, *Glaskraut*, *Tag-und Nacht-Kraut.* Recipimus Folia ovato-oblonga, pilis ſparſis obſeſſa, longis petiolis innixa, ſapore leviſſime adſtringente prædita.

PARIETARIA. Planta relativa, monophyta, floribus involucro communi ſuſtentatis, corolla quadrifida, in maribus iſanthera, in feminis monogyna,

fructu monofpermo gaudet: *Officinalis* L. folia lanceolato-ovata, alterna habet.

Vulgaris in Europa temperata planta, non ultra Saxoniam afcendit.

Refrigerandi ergo a DIOSCORIDE laudatur, PARACELSI ævo ad comminuendum calculum cœpit laudari, ex imaginatione potius, cum inter medios lapides crefcat, quam ex obfervatione, ab herba infipida & inodora, ego faltem, non magnas vires expecto.

* PEUCEDANUM, πευκέδανον, *Queue de Pourceau*, *Haarftrang*. Radices exhibet, quæ fibrofæ funt, extus fufcæ, intus albæ, recentes fuccum album plorant, fapore ad aromaticum accedente, neutiquam amaro inftructum; exficcatæ proprium odorem fpirant, non naufeofum, faporem dulciufculum habent, aquam, cum qua coquuntur, non fine amaritie acriufculam reddunt.

PEUCEDANUM. Flores umbellatos habet, utroque involucro inftructos, femina alata & ftriis eminentibus notata: *Officinalis* L. foliis aliquoties trifidis, capillaribus diftinguitur.

Crefcit in Europa temperata, non occurrit ultra Saxoniam.

Extractum fpirituofum faporem adftringentem & odorem naufeofum habet. DELIUS & WAGNER.

Medicamentis uterinis ab HIPPOCRATE adfcribitur, GALENUS radicibus calefacientes & digerentes vires adfcribit, eas vi faponacea agere optime HIPPOCRATES dicit, leniter catharticas effe DELIUS & WAGNER propriis experimentis probant.

* PILÆ MARINÆ, σφαῖραι θαλασσίαι, *Meerbullen*. Subftantiæ flavæ, leves, rotundæ, ex recrementis radicum conglomeratis efformatæ, odore & fapore carentes.

Cl. PALLAS post KLEIN testatur, has pilas esse tubera radicum *Zosteræ marinæ* L. in Oceano & Mari Baltico occurrentis, maceratione resoluta & agitatione Maris conglomerata.

Liquorem urinosum & oleum nigrum inde obtinui.

Per se nunquam usurpantur, ustæ ad pulverem strumalem recipiuntur.

PIMPINELLA Lat. Barbar. *Bourage*, *Bouquetine*. Radices exhibet, quæ ad digiti crassitiem accedunt, fibrosæ sunt, albæ, sapore evidenter acri & ad saponem accedente instructæ: *Pimpinella Saxifraga* L. BLACWELL 472. foliis pinnatis, foliolis radicalibus subrotundis, summis linearibus gaudet.

Crescit in omni Europa.

Oleum destillatum hæ radices fundunt, omnem suam efficaciam spiritui vini, cum quo infunduntur, relinquunt, Extractum resinosum valde acre largiuntur. LEWIS. Extracti resinosi $\frac{1}{16}$, gummosi $\frac{1}{3}$ circiter exhibent. CARTHEUSER.

A radice, sapore evidenter acri & saponaceo instructa, vires humores spissos resolvendi & vasa obstructa reserandi jure expectamus, primi qui eam ad usus medicatos adhibuerunt Auctores, contra calculum usurpabant, ad menses & lochia movenda in communi apud Norimbergenses usu esse, C. HOFFMANN annotat, præcipue autem STAHLII auctoritate creberrime ad sanandos morbos adhibebatur, postquam is ejus vires ad omnes ægritudines, ubi humores attenuandi & solida reseranda sunt, stabilivit, egregie quoque ad incommoda a retento in corpore hydrargyro facere, & BORRICHIUS & omnis STAHLII schola asseverant; in morbis mucosis maximo cum successu datur.

Exhibetur ad drachmam dimidiam in substantia, ad sesqui drachmam in infuso.

Eſſentia Brandeburg. licet ab omni Secta Stahliana maximi fiat, ego tamen ſpiritum vini, nunquam, ubi reſolvendi animus eſt, vellem exhibere: * *Extractum* Brandeburg. iners eſt.

POLYPODIUM, *πολυπόδιον*, *Engelſüſſ.* Ejus Radices longæ ſunt, anguſtæ, variis articulis aſperis diſtinctæ, ſub cortice ruſeſcente, medullam flavam, vireſcentem, includunt, ſapore dulci, cui adſtrictio juncta eſt, inſtructam.

Polypodium Vulgare BLACWELL 215. Foliis ſimplicibus, pinnis oblongis, integris diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Polypodium quercubus innaſcens præſtare, eſt commentum FALLOPII.

Extracti aquoſi dulcis $\frac{1}{2}$ fere, ſpirituoſi nauſeoſi $\frac{3}{8}$ NEUMANN obtinuit; CARTHEUSER Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi $\frac{1}{12}$.

Radices coctione amareſcunt.

GALENUS ex hypotheſi his radicibus vires exſiccantes adſcribit; DIOSCORIDES autem laxantes, ſapor vires reſolventes efficaces pollicetur. Non male infuſis aperientibus & laxantibus adjiciuntur, Cl. POISSONNIER commendat maniacis, ut per quatuordecim dies quovis mane, decoctum ex Radicum Polypodii unciis duabus cum libris ſex aquæ ad remanentiam librarum quatuor coctis hauriant, & ſi nulla inde catharſis ſequitur, eidem pulverem ex Radicis Polypodii drachma una & Nitri ſcrupulo præmittant.

* *Extractum* VAL. CORD.

PORTULACA vid. *Olera*.

RAPA vid. *Olera*.

RUBIA, Ἐρυθρόδανον, Ἐρευθόδανον, *Garance*, *Röthe*, *Krapp*. Radices exhibet fibroſas, calami craſſitiem æquantes, totas rubras, ſapore amaricante & adſtringente præditas.

RUBIA. Corolla quinquefida, interdum quadrifida gaudet, ſupera, rotata, iſanthera, monogyna, baccis duabus coalitis, monopyrenis: *Tinctorum* BLACWELL 326. Foliis ſenis diſtinguitur.

In Europa temperata ſponte creſcit, vix ultra Alſatiam aſcendit; colitur paſſim per Europam, etiam multum inter nos, cultura radices majores & magis rubras producit.

Extracti aquoſi quod acidiuſculum ſaporem habet $\frac{2}{3}$, reſinoſi auſteri $\frac{3}{8}$ fere largitur Cl. STEINMEYER. Extracti aquoſi $\frac{1}{4}$, reſinoſi $\frac{1}{6}$. CARTHEUSER.

Urinam animalium his radicibus paſtorum rubedine tingi, GALENUS obſervavit, ſed eorundem oſſa quoque rubra evadere annotavit & uberius deduxit BOEHMER, cui circa curioſum omnino φαινόμενον, Illuſtris HALLER quoque addendus eſt, notandum utique, ſola oſſa, nequaquam cartilagines & ligamenta, inde tingi, colorari quoque materiem perſpirabilem: obſervavi præterea cum Cl. STEINMEYER eundem quoque effectum præſtari ab *Aſperula Cynanchica* L. & *Arvenſi* L. *Galio vero* L. *Galio Mollugine* L. *Galio Aparine* L. & *Valantia Cruciata* L. Cum itaque has radices evidenter ad oſſium uſque ſubſtantiam penetrare certum ſit, hinc cum ſucceſſu eas adhiberi ad difficillimos morbos a ſpiſſo humore oſſa obſidente, patet, primus GLISSONIUS eas ad rachitidem commendavit, plurimos graviſſimo hoc affectu laborantes earum ope ſanitati redditos fuiſſe, teſtantur COSNIER & ROBERT, idem Cl. LEVRET vidiſſe ROESNER teſtatur; eaſdem vires aperientes habere, GALENUS refert; earundem ad icterum curandum efficaciam HOFFMANN quoque confirmat, juniorem puellam earum ope a cruſta lactea liberatam viderunt COSNIER & ROBERT. Adſcribuntur Radicibus quinque aperientibus minoribus.

* RUSCUS, ὀξυμυρσίνη, BRUSCUS Latin. Barbar. *Petit-houx*, *Mausdorn*. Radices ejus ſunt fibroſæ, calamum craſſæ, copioſiſſimas fibras emittunt, albæ, ſapore dulci gaudent, cui leniſſima acrimonia accedit.

Ruscus. Planta relativa diphyta, corollam hexapetalam habet, nectario inſtructam, mares triantheros, feminas monogynas, baccas diſpermas: *Aculeatus* L. BLACWELL 155. foliis ſupra floriferis nudis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, in Helvetiam uſque aſcendit, noſtras hyemes fert.

A vi reſolvente multum laudatur, diureſin maxime movere obſervatur, RIVERIUS hydropem inde curatum allegat. Annumeratur quinque Radicibus aperientibus majoribus.

SACCHARUM, Σάκχαρ, σάκχαρον, *Sal Indus Arab. Sucre*, *Zucker*, Significat in univerſum omnem ſalem eſſentialem ſapore dulci inſtructum, ſtrictius autem & vulgo, denotat ſalem eſſentialem ex proprio plantarum genere deſumtum, quod eſt:

SACCHARUM. Corolla glumoſa bivalvi, lanugine inhærente gaudens, trianthera, digyna, monoſperma: *Officinarum* L. floribus paniculatis diſtinguitur.

Inter Tropicos antiqui & novi orbis ſponte creſcit, inde in varias Aſiæ, Africæ & Americæ regiones translatum, copioſiſſime colitur; aliquid ejus quoque in Sicilia & Hiſpaniæ Granada coli lego.

Ante medium ſuperioris Seculi Luſitanos omne Saccharum Europæ intuliſſe, eadem temporis periodo Anglos, anno 1716 demum Gallos illud adveхiſſe, reperio.

Veteres receperunt ſalem, qui ex annoſis plantis ſub forma granorum exſudavit, & illum *Salem Indum* dixerunt: ratio eundem, modo hodie uſitato copioſe obtinendi, & ad varium puritatis gradum eve-

hendi, ab Arabibus repetenda: consistit autem in eo, ut succus ex planta exprimatur, is sub nomine *Vesou* venit, & ope lixivii caustici, aquæ calcis & humorum serosorum ab excedente ratione partium gummosarum, quæ ipsi adhærent, liberetur, & ut in Salem concrescere possit, disponatur; hæc præparatio, quæ multas encheireses exigit, egregie ab Ill. DU HAMEL descripta est.

Pro vario gradu, ad quem Saccharum sub depuratione perductum est, varium colorem & variam consistentiam solet adipisci, id, quod nondum in formam cohærentem coiit, & nondum album evasit *Moscovade*, magis depuratum *Cassonade* & in officinis Germaniæ *Saccharum Thomæ* solet appellari, hoc ipsum pro diversa plantæ ætate & pro diverso solo, ubi crevit, variam omnino indolem habet, pro vario quoque depurationis modo, quod expertum est, tam colore quam consistentia solet variare, quo magis brunum est, eo reputatur vilius, rejiciendum illud quoque est, quod humidum digitis adhæret, & quod empyreumatico odore nares ferit; hoc Moscovatum iteratis depurationibus album redditum, & in panes cohærentes conoideos efformatum *Miscellaneum*, *Farinaceum*, *Lumpenzucker* dicitur; hoc, quo plures adhuc depurationes subit, eo magis solidum, durum, album & splendens evadit; Belgis & Germanis in more est, diversas ejus species diversis nominibus exprimere, quæ hic eo ordine appono, quo ad majorem puritatis gradum deductum saccharum denotant: *Melissæum* sive *Melis*, *parvum Melis*, *Rafinatum*, *Boyer-Brod* & *Canariense*, hoc ultimum Gallorum *Sucre Royal* respondet: sub omnibus sacchari depurationibus liquor obtinetur, qui sub formatione panum inde defluit, largiore ratione partium mucilaginosarum fartus, is *Syrupi Saccharini*, *Molasse*, *Syrop* nomine venit, colore nigricante,

ſapore & odore minus ſuavi gaudet, & ſordidus eſt, nec bene ſaccharo in compoſitionibus humidis ſubſtituitur: hic Syrupus, nec non ſpuma, quæ ſub depurationibus ſurgit; cum aqua diluuntur & fermentationi vinoſæ ſubjiciuntur, ſpiritus ardens deſtillatione obtentus *Rum* dicitur.

Saccharum frequentis & multifarii omnino uſus eſt: tanquam ſubſtantia mucilaginoſa, dulcis, evidenter ad nutritionem facit, PISO teſtatur, fæces a depuratione ſacchari reliquas mancipiis ad victum ſufficere & eadem iſtis nutrita, per totum ſemeſtre æſtivum duriſſimos in molendinis labores perficere; idem, cum vi ſaponacea gaudeat, hinc princeps remedium eſt in ſpiſſitudine humorum, & omni, qui ex ea ſurgit, morbo; cum etiam ſaccharum aqua dilutum facile acorem ſuſcipiat, evidens fit, cur in omni morbo acuto cum ſucceſſu propinetur, ejuſdem in his præſtantia etiam ex efficacia, qua putredinem arcet, eluceſcit, quippe quæ vulgatiſſimis apud dulciarios experimentis conſtat, & ab Illuſtri PRINGLE confirmata eſt; egregius hic Vir frequenti ſacchari, qui increbuit, uſui, minorem, quem hodie experimur, lepræ & morborum putridorum numerum adſcribit; eadem præterea ſubſtantia dulcis & mucilaginoſa acrimoniam qualemcunque humorum etiam efficaciter obtundit, & ſtrictas fibras relaxat, hinc cum maximo ſucceſſu ad pectoris affectus & ad phtiſin quamcunque adhibetur; lumbricos quoque ab eo necari, REDI eſt expertus. Qui a ſaccharo depurato ſibi metuunt, quia ipſi ſub depurationibus, quas ſubiit, cauſticum ex calce acceſſiſſe ſuſpicantur, meminerint, aquæ calcis nihil cauſtici inhærere, & ne veſtigium quidem calcis in ſaccharo detegi poſſe.

Externe abſtergendi ſcopo ulceribus ſordidis carni fungoſæ, maculis corneæ inſpergitur, ſub for-

ma suffimigii discutiendi ergo adhibetur, clysmatibus quoque pro faecibus attenuandis adjicitur.

Dentes inde nigrescere & cariosos reddi, ex ejus indole viscida, quae istis accrescit, & fermentationem acidam subit, liquet; quod hypochondriacis & scorbuticis noceat, potius ex hypothesi, quam ex observatione dici puto, absurdissime etiam optimum muci dissolvens, pituitam gignere, asserere solent; ptarmicis quoque additur.

Saccharum Thomae, cum multas partes mucidas habeat, hinc eccoproticis ad aliquot uncias adjicitur.

Hodie, praeeunte inter primos MESUE, ubicunque fere Veteres mel adhibuerunt, ipsi viribus par, sed majori gratia pollens, saccharum substituimus.

Sacchari genera, quae ex *Arundine arbore* L. *Acere saccharino* L. *Acere rubro* L. *Acere Platonoide* L. *Betula nigra* L. *Juglande alba* L. *Gleditsia* L. *Zea* L. *Asclepiade nivea* L. & variis radicibus indigenis parant, hujus loci non sunt.

Saccharum copiosissime in cibum recipitur, praeterea omnium conditorum, conservarum, rotularum, trochiscorum, morsulorum & longe plurimorum syruporum basin constituit.

Saccharum Candum MYREPS. quod a recentiorum Graecorum, κάνδιον, qua figuram acutam seu angularem denotant, denominarunt: quo pulchrius est saccharum, unde paratur, eo ipsum pulchrius evadit, id, quod ex saccharo nondum ad albedinem deducto, conficitur, constituit *Saccharum Candum rubrum*: *Saccharum Penidium Arab. gedrehter Windzucker* Nostratibus, est saccharum ad consistentiam tabulandi coctum & perpetua, usque dum refriguerit, tractione in speciem albam, non transparentem redactum, quam in gyros & panes formare solent, prioribus minus gratum, prae illis nihil proprii habet: *Saccharum clarificatum* est saccharum aqua solutum & in consisten-

tiam ſyrupi reductum : * *Eſſentia dulcis* Wurtemb. inconcinna compoſitio : *Globuli Moſchati* Wurtemb. cur medicamento ano intrudendo moſchus & zibethum adjiciantur, non video.

Salsaparilla ſub hoc nomine ad nos adducuntur Radices, quæ aliquot pepum longitudinem habent, flexiles, & hinc crebro in gyros flexæ occurrentes, varia craſſitie inſtructæ, quæ ad calamum anſerinum uſque accedit, multas fibrillas capillares emittentes, ſub cortice rufeſcente, ſubſtantiam farinaceam, albam includunt, quæ medullam quoque albam ambit, nitidam, odore & ſapore carent.

Afferuntur hæ Radices corbibus coërcitæ, ex aliquo radicum ſerpentium genere, quod ab illis non multum videtur recedere, textis.

Radices graciles, extus nigras, intus non albiſſimas, & quæ non facillime per longitudinem findi poſſunt, rejicimus.

Smilax Sarſaparilla L. caule aculeato, angulari & foliis inermibus, ovatis, trinerviis diſtinguitur.

In China & America Meridionali occurrit.

Aqua cum his radicibus cocta, rubrum colorem & ſaporem, qui evidenter linguam afficit, aſſequitur. Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$ Gmelin & Gærtner inde obtinuerunt; Extracti aquoſi ſalini, amaricantis $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi $\frac{1}{4}$ Neumann; Extracti aquoſi $\frac{1}{4}$, Extracti ſpirituoſi balſamici, ſubacris $\frac{1}{12}$ Cartheuser.

Hæ radices ſub initia Seculi XVI in Europam allatæ & tanquam eximium ad fugandam luem veneream medicamentum commendatæ fuerunt, auctores, qui earum laudes canunt, æque ac illos, qui ſtant a parte contraria, Cl. Boehm collegit: morbum venereum, qui Mercurio non potuit fugari, Sarſaparilla curatum Hunter vidit, & Fordyce varias obſervationes ennarrat de hoc morbo, fruſtra hydrargyro & Ligno Guajaco oppugnato, Sarſaparilla demum

victo, ſimilem etiam experientiam apud Illuſtrem STOERCK reperio. Vires reſolventes hanc Radicem edituram eſſe, nullus dubito, aquæ enim, quacum decoquitur, evidentem ſaporem conciliat, hinc non ſine ſucceſſu in varia humorum ſpiſſitudine, morbis cutaneis, arthriticis, catarrhalibus adhiberi poterit. Tumores duros continuato ejus uſu curatos, SCULTETUS teſtatur. Ut omnes ſuas vires aquæ largiatur, diutius cum ea coquenda eſt.

* *Extractum* Wurtemb. non inefficax eſſe videtur.

SAMBUCUS, Ἀκτῆ, *Sureau*, *Holder*. Arboreum æque ac Herbaceum χαμαιάκτην, *Ebulum*, *Yeble*, *Attich* ad uſus medicatos recipimus. De illo Folia, Flores, Cortex & Baccæ recipiuntur, de hoc Baccæ:

* *Cortex* eſt arboris liber extus viridis, intus albus, ſapore adſtringente & auſtero linguam ferit.

* *Folia* magna ſunt, pinnata, una impari, omnibus ovato-lanceolatis, ſerrata, ſapore herbaceo inſtructa.

Flores aſſervantur cymoſi, albi, ſuavi odore & levi ſapore inſtructi.

* *Baccæ* proſtant in officinis rotundæ, ſapore proprio dulciuſculo gaudentes, ad eas * *Baccæ Ebuli* proxime accedunt.

SAMBUCUS. Corollam monopetalam habet, quinquefidam, rotatam, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, trigynam & baccam ſubrotundam, diſpermam: *Nigra* L. BLACWELL 115. floribus cymoſis & caule arboreo gaudet: *Ebulus* L. BLACWELL 488. caule herbaceo diſtinguitur.

Creſcunt in Europa, præter maxime Septentrionalem.

Flores parum olei deſtillati butyracei fundunt. LEWIS.

Folia HIPPOCRATES hydropicis, & illis quibus lochia difficilius fluunt, commendat, alvum quoque inde

inde duci contendit, eorundem extus applicatorum usum in hæmorrhoidibus RUDOLPHUM II. expertum esse, WELSCH testatur; GUJOT, se iteratis vicibus eorum non leves vires emollientes vidisse, & recentia & calefacta sibi multo usu fuisse ad erysipelas averterit Cortice mediano a vehementissimis hæmorrhoidum doloribus pastorem convaluisse, REUSNER refert, eundem hydropicos sanasse, BRUCKMANN tradit, & Ill. HALLER plura loca Auctorum adducit, qui ab ejus uncia una alvum duci viderunt, ad hunc scopum etiam a nostris rusticis non raro adhibetur. Flores, volatili, quo gaudent, principio, vasa leniter stimulant & humores attenuant, hinc intus scopo sudorem movendi, extus discutiendi, in usum recipiuntur, eosdem ad lac augendum facere, WERLHOFF est expertus.

Baccæ exsiccatæ, quæ vulgo *Grana Actes* solent appellari, ab HIPPOCRATE contra hydropem & morbos uteri præscribuntur, easdem CROLLIUS ob signaturam, cum similitudinem inter eas & excrementa intercedere sibi persuaserit, ad dysenteriam laudat, & hinc vulgo adstringentibus solent annumerari, sed virtutem hanc neque ex sapore colligere possumus, nec illam ulla fida observatio evincit.

Ebuli partes ratione virium ad Sambucum accedunt.

* *Acetum* QUERCETAN. a gratia commendatur: *Aqua destillata* suavis saporis & odoris est, non male ad mixturas diaphoreticas adhibetur: * *Oleum coctum* MESUE: *Rob* August. ob indolem saponaceam, quam cum pulpis fructuum communem habet, cui & aliquid acris accedere videtur, magnum in resolvenda humorum spissitudine medicamentum est, excretiones aquosas promovet, in morbis catarrhalibus, nec non quando viscera abdominalia obstructa sunt ad dimidiam unciam cum successu datur, a Parisinis sine

ſaccharo paratur æque ac *Rob Ebuli* Auguſt. quod ipſi viribus par eſt: * *Julepus Sambucinus* Wurtemb. * *Mel Sambuci* Wurt. reſolvendi ergo ad gargariſmata laudatur: *Spiritus Florum per ferment.* SCHROED. apud Pariſinos per errorem typographicum baccæ loco florum præcipiuntur, efficax omnino medicamentum, ubi indicatio diſcuſſionem præcipit: * *Spiritus baccarum Sambuci per fermentationem* Auguſt. * *Spiritus baccarum Ebuli per fermentationem* Auguſt. dubito hos ſpiritus unquam fuiſſe in uſum tractos: * *Tragea granorum Actes* WOLFF, a Pariſinis ſub ſpecie & nomine *Trochiſcorum* aſſervatur, qui, æque ac Noſtrates, nucem moſchatam omiſerunt, earum rationem minorem, quam WOLFF, Wurtemb. præcipiunt, ſed ab hac nuce ejus vires, ob quas contra fluxus alvi commendatur, præcipue videntur pendere: * *Unguentum Sambucinum* Noſtrat. ad ambuſta laudatur.

* SAPONARIA: hanc vocem a denominatione germanica *Seiffenkraut* ſurrexiſſe, teſtatur TRAGUS, Radices & Folia officinis relinquit.

Radices calamo anſerino craſſiores ſunt, fibroſæ, ſub cuticula flaveſcente carnem albam condunt, ſapore dulci gaudent.

Folia ſunt ovato-oblonga, viridia, nullo neque odore, neque ſapore inſtructa, aqua cum eis cocta ſaporem leviſſime ſalinum acquirit, plane non amarum.

SAPONARIA. Corollam regularem pentapetalam habet, calice quinquefido ſuſtentatam, diploſantheram, digynam, capſulam unilocularem, polyſpermam: *Officinalis* L. BLACWELL 113. calice cylindraceo & foliis ovato-lanceolatis diſtinguitur.

In omni Europa, præter magis Septentrionalem occurrit.

Radices Extracti aquoſi $\frac{11}{16}$, ſpirituoſi $\frac{5}{16}$, quod utrumque dulce eſt, largiuntur. NEUMANN; Extracti aquoſi acris $\frac{2}{5}$, ſpirituoſi etiam fortius linguam ferientis $\frac{1}{7}$ circiter. CARTHEUSER.

TRAGUS monachos mendicantes hac planta, loco ſaponis, uti aſſerit; folia cum aqua agitata ipſi aliquid viſciduli videntur impertire, &, quia aliqualem ſpumam formant, non contemnenda eſſe in lue venerea, STAHL aſſerit, quod autem Idem radicem ſalſaparillæ prætulerit, vix credo NEUMANN.

SARCOCOLLA vid. *Emollientia.*

* SAXIFRAGA, *Steinbrech.* Radices in uſum veniunt ſeu exigui bulbilli, qui ſub involucro rufo, piloſo, pauciſſimum carnis albæ, inſipidæ & inodoræ continent.

SAXIFRAGA. Corolla gaudet pentapetala, regulari, calice quinquefido ſuſtentata, diploſanthera, digyna, capſula biroſtri, polyſperma: *Granulata* L. BLACWELL 56. foliis caulinis reniformibus, & radice granulata diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Diverſiſſimæ plantæ Saxifragarum nomine venerunt apud Veteres & Auctores ſeculorum ſuperiorum, mox enim tales, quæ inter medios lapides creſcunt, mox tales, quæ calculum veſicæ imminuere credebantur hac voce indigitabant; vel hodie adhuc Pariſini *Peucedanum Silaum* L. *Gypſophylam Saxifragam* L. ad hunc titulum referunt. Omnes effectus, qui ab eis, quas deſcripſi, radicibus promittitur, cum unice nitatur earum cum lapidibus ſimilitudine, hinc jure eviluerunt.

* SCROPHULARIA Barbar. *Kropf oder Braunwurzel.* Ejus Radix tuberoſa eſt, extus gryſea, multis tuberculis obſeſſa, odore caret, ſaporem dulcem habet, cui aliquid leviſſime acris & amari accedit.

SCROPHULARIA. Corolla urceolata irregulariter quinquefida gaudet, lacinia infima reflexa, calice bilabiato ſuſtentata, capſula biloculari, polypyrena:

Nodosa L. BLACWELL 87. folia cordata habet, caulem acutangulum & flores racemosos.

Crescit in omni Europa.

Extracti aquosi $\frac{11}{16}$, spirituosi $\frac{1}{2}$, quod utrumque dulce fuit, NEUMANN obtinuit: Extracti aquosi $\frac{1}{4}$ amaricantis, spirituosi amarioris totidem CARTHEUSER.

Ad scrophulas facere dicitur, sed nullam fidam, quæ hanc virtutem probat reperio observationem, hinc valde metuo, ne illa ipsi ex signatura adscripta sit; æque ac quod contra hæmorrhoides faciat, ut ab HEUS, RIEDLIN &c. observationibus probare contendunt.

* *Emplastrum de Scrophularia* Wurtemb. ad ulcera sordida conducere dicitur.

* SEMPERVIVUM, ἀΐζωον, *Joubarbe*, *Hauswurzel*. Inde vulgo in usum trahuntur Folia ex ovatis-oblonga, crassa, ciliata, hinc convexa, inde concava, succo aquoso insipido instructa, cui aliquid acerbi accedit.

SEMPERVIVUM. Corolla polypetala gaudet, calice multifido sustentata, isanthera & capsulis pluribus: *Tectorum* L. BLACWELL 366. folia glabra habet & quæ rosulam ad terram faciunt.

Crescit per omnem Europam.

Primus BURCKHARDT annotavit, succum Sempervivi cum alcohole in coagulum abire, idem CARTHEUSER confirmat, qui eundem quoque ab utroque alcali, neutiquam autem ab acidis, cogi vidit.

Saponaceas, & hinc resolventes & detergentes vires habet, sed austeriusculo, quo gaudet, principio, repellentem quoque virtutem exserit, hinc a GALENO extus ad erysipelas & phlegmonem laudatur, RHODIUS clavum palpebræ inde curatum vidit, nubeculam oculis obversantem *Vratislavienses*, dolores ab hæmorrhoidibus cæcis excitatos, sopitos, & maculas faciei lenticulares abstersas Cl. SCOPOLI observavit. Ruricolæ nostrates succum ex Sempervivo expressum febricitantibus propinant; folia clavis pedum impo-

nere,& ita eos extirpare, inter noſtrates eſt receptum. Omnis plantæ vis cum a ſucco pendeat, & ea per omnem annum vigeat, hinc neutiquam exſiccata aſſervanda eſt.

* *Syrupus* Wurtemb.

Reliquæ *Sedi* & *Sempervivi* ſpecies ad hanc, ratione virium, accedunt, quædam etiam evidentiore acrimonia pollent.

* SENECKA RADIX Rec. Fibroſa eſt, digito minore, tam longitudine, quam craſſitie cedit, ex capite craſſiore plures fibras emittit, parum nodoſas, ſub cortice craſſiore, ſive fuſco, ſive ex cinereo flavo, medullam albam includit, odore nullo, ſapore acri inter pimpinellam & pyrethrum medio gaudet.

POLYGALA. Corollam habet ſive tetra- ſive polypetalam, irregularem calice triphyllo ſuſtentatam, octo antheras, ſtylum unicum, capſulam bilocularem: *Senega* L. floribus tetrapetalis, caule herbaceo ſimpliciſſimo, foliis lato-lanceolatis gaudet.

Creſcit in Virginia, Penſylvania, Marilandia.

Extracti aquoſi valde acris $\frac{3}{8}$, reſinoſi mitis $\frac{1}{16}$ exhibet Cl. BURCKARD. CARTHEUSER illius $\frac{1}{6}$, hujus $\frac{1}{4}$ adducit.

Primus TENENT hujus radicis notitiam nobis dedit in tractatu anno 1736 edito: eandem ad ictum ſerpentis crotalophori certum remedium eſſe Americani a longo retro tempore compertum habuerunt; & ex eo quod hic ictus homines peripneumonia perimat, radicem Senecka quacunque ratione inflammatis pulmonibus medelam allaturam eſſe, ſuſpicarunt Medici, nec eorum ſpem vanam fuiſſe TENENT, GRONOVIUS, LEMERY, JUSSIEU, BOUVART experientiæ probant, ſed eandem radicem etiam alias humorum ſpiſſitudines, præter phlogiſticam, attenuare, BOUVART obſervationibus patet, qui inde anaſarcas curatas vidit, valide quoque urinam duci expertus eſt.

GRONOVIUS præterea ejus vires ad rheumatiſmos, arthritides & febres intermittentes æque ac lentas celebrat. Optime ejus uncia una cum aquæ libris duabus ad remanentiam unius libræ coquitur, & ſingulis horis unum decocti cochlear exhibetur.

Polygalas noſtrates, ratione virium ad radices Senecka accedere primus Perilluſtris DU HAMEL evicit, & recentiſſima experimenta probant.

* VICTORIALIS Barb. *Allermanns-Harniſch*, *Siegwurzel.* Rotunda & Longa in officinis proſtat.

Rotunda figuram ſuperne contractam habet, ſub involucro gryſeo, reticulari, fibroſo, bulbillos duos includit, concretos, quorum alter alteri inſidet, inferior minor orbiculatus eſt, utrinque compreſſus, alter ventricoſus, uterque albus, in exſiccatis ſapor leviſſime dulcis obtinet.

GLADIOLUS. Corollam habet hexapetalam, irregularem, ſpatha bivalvi ſuſtentatam, triantheram, monogynam, capſulam trigonam, trilocularem, polyſpermam: *Communis* L. foliis enſiformibus & floribus diſtantibus diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, occurrit adhuc in Helvetia.

Longa ad quatuor pollicum magnitudinem accedit, oblonga eſt, ſuperne parum contracta, ſub reticulo priori ſimili, caulis rudimenta educit, nec bulbillos, neque ſaporem aut odorem alliaceum in exſiccata reperio.

Allium Victorialis L. BLACWELL 544. foliis caulinis latis, lanceolatis, ſtaminibus ſimplicibus, umbella nuda diſtinguitur.

In Aquitania, Helvetia, Alſatia, Palatinatu, Auſtria creſcit.

Reticula harum radicum tanquam thoracem conſiderat ſuperſtitioſum vulgus, hinc eis ſeſe contra vulnera immunes reddi poſſe, & alia adhuc miracula

expectant, quibus ingenium ſatis imbecille eſt, ut ad magiam confugiant.

VINCETOXICUM Barb. *Hirundinaria* Barb. *Dompte-Venin*, *Schwalbenwurzel.* Radices recipimus, quæ magnæ ſunt, ex uno capite plurimas tenues fibrillas emittunt, longas, multum flexiles & varie contortas, albas, odore evidente, ſapore acriuſculo & leviter amaro inſtructas.

ASCLEPIAS. Corollam habet monopetalam, calice quinquefido ſuſtentatam, iſantheram, digynam, nectaria quinque, operculo tecta, folliculos duos longos, ſemina papposa includentes: *Vincetoxicum* L. BLACWELL 96. foliis cordato-ovatis, planis, glabris, & caule erecto diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem, Angliam & Belgium.

Extracti aquoſi $\frac{5}{17}$, ſpirituoſi $\frac{1}{4}$ NEUMANN obtinuit, utrumque dulciuſculum & ſuave eſſe aſſeverat, aquoſum etiam præ ſpirituoſo magis ſapidum eſſe, LEWIS autem ſpirituoſum aquoſo efficacius eſſe contendit, cui & CARTHEUSER aſſentitur, qui $\frac{1}{4}$ fere Extracti aquoſi & $\frac{1}{8}$ ſpirituoſi inde ſeparavit.

Odor æque ac ſapor harum radicum efficaciam declarant, nec illas humores attenuare, ſolida ſtimulare, obſtructa reſerare, excretiones aquoſas promovere dubitamus: DÜRR plures hydropicos harum radicum uſu curavit, & ſcrophulas iis ſanatas ELSNER vidit.

* *Extractum* SCHROED. * *Eſſentia* Wurtemb.

β) ANIMALIA.

MEL, Μέλι, *Miel*, *Honig.* Eſt ſubſtantia, quæ mediam inter ſolidam & fluidam conſiſtentiam habet, colore ſive albo ſive badio gaudet, ſapore dulci, odore proprio, cui interdum alius a vegetabilibus, unde ſurrexit, ſolet accedere.

Album, & quod ex granis quasi compositum esse videtur, reliquis præfertur.

Colligitur Mel ab *Ape Mellifica* L. ex nectariis varii generis florum, quorum succum dulcem proboscide sugit, primo ventriculo condit, inde evomit & partim pro nutritione adhibet, partim in favorum cellulas deponit, ut gens per illam anni partem, quæ nullos flores excludit, penum habeat, quo vitam sustentet: hoc ipsum mel, favos diffringendo colligimus, id quod sponte destillat *Virgineum* dicunt, & optimum est, sequitur illud, quod ex favis torculari subjectis exprimunt, semper cera inquinatum, & cum illud hac ratione eliquantes nunquam non favos prius aqua conspergant & igni exponant, hinc omnino alteratum reputandum est.

Licet omnino confectum sit, Mel eo præstantius surgere, quo præstantiores sunt flores, unde ab apibus hauritur, & hinc Narbonense albissimum & Rorem marinum sapiens ad vicum Courbiere, qui tribus horis a Narbona distat, collectum plurimi fiat, hodie tamen non ulterius observatur, quod venenatum quoque Mel ex virulentis plantis ab apibus hauriatur; quæ de talibus mellis generibus venenatis tradunt, non observatione, sed mera hypothesi nituntur.

Ubi Veteres mel adhibebant, Recentiores saccharum recipere solent, cum quo etiam omni omnino dote convenit, virtutes, cum ejus historiam delineavimus, jam dictæ fuerunt, id tantum hic noto, quod saccharum variis depurationibus, quas, antequam in usum trahatur, subit, multa mucilagine, a qua tamen & demulcens & saponacea virtus pendet, privetur, & ideo pro medicato scopo, Mel, saccharo præferendum esse videatur.

Mel nutrire, alvum ducere & abstergere Galenus monet, Hippocrates illud etiam extus abstergendi ergo commendavit. Extus ad digerendos &

aperiendos abſceſſus egregie facit, coctione inſpiſſatum, forma ſuppoſitorii, ano immittitur.

* *Aqua Mellis* HIERONYM. vix aliquid proprii videtur habere, nec cur incrementum capillorum promovere dicatur perſpicio: * *Aqua Mellis odorata Regia* Pariſ. omnem gratiam debet ſuaveolentibus, a quibus ſpiritus vini abſtrahitur, neutiquam melli: * *Mel deſpumatum*, Veteribus jam uſitatum medicamentum, cum Mel coctione multum gratia perdat, nec bonum mel depuratione opus habeat, hinc eviluit: * *Hydromel* GALENUS *Melicraton* HIPPOCR. *Aqua mulſa* Melli $\frac{2}{3}$ aquæ adjicit, Pariſini 22plum; Wurtembergenſes 12plum, ſemper uſus modo tempore parandum: * *Hydromel vinoſum* vid. *Inſt. Chem.* * *Oxymel ſimplex* GALEN. præſtantiſſimum medicamentum, in omni ſpiſſitudine humorum, præprimis in phlogiſtica, aqua dilutum, largis hauſtibus bibendum: * *Spiritus Mellis* præ aliis ſpiritibus acidis empyreumaticis nil proprii habet.

SANGUIS HIRCI vid. *Ovis*.

SPONGIÆ, σπόγγοι, σπογγιαὶ, *Eponges*, *Schwämme*. Sunt ſubſtantiæ fibroſæ, multis foraminulis inſtructæ, variæ magnitudinis, hæc foramina ſunt orificia canalium, qui liquorem, cui ſpongia immittitur, hauriunt, & ipſam intumeſcere faciunt, colore gaudent ſpongiæ fuſco, plus minus diluto, odor illis proprius eſt, minus gratus & ſapor nullus.

Quo molliores ſunt, quo minoribus poris, quo diluto magis colore gaudent, eo reputantur meliores, & tales *Baadſchwämme* ſolent dicere, majoribus foraminibus pertuſæ, minus ſequaces *Roſsſchwämme* appellantur, & harum minora fruſta *Fragmenta Spongiarum*.

SPONGIA. Vermis gelatinoſus eſt, textura celluloſa, cavernoſa, fibroſa veſtitus: *Officinalis* L. habitu molli, tenaci, plus minus lobato diſtinguitur.

In Mari Mediterraneo & Rubro copioſe occurrit.

Deſtillatione largam quantitatem alcali volatilis fundit, in cinerem redacta, multum alcali foſſilis largitur LEWIS: Extracti aquoſi ſalini, ſpongias redolentis $\frac{1}{8}$, ſpirituoſi etiam ſalini $\frac{1}{48}$ exhibuit NEUMANN, qui etiam obſervavit, aquam ab ea abſtractam odoram eſſe, eamque ab omnibus acidis diſſolvi.

Ad ſuffitus uterinos ab HIPPOCRATE adhibebantur ſpongiæ; partibus vulneratis, ut ſiſtatur hæmorrhagia, applicantur, & tunc in modum agarici aut boviſtæ agunt, hunc in finem quoque a GALENO laudantur, qui eaſdem combuſtas acres eſſe dicit, & digerendi facultate præditas, id quod etiam ex earum analyſi facile elucescit. Primus ARNOLDUS DE VILLA NOVA eas intus contra ſtrumas dedit, & hic omnino magni uſus eſſe, copioſiſſimæ obſervationes omni die confirmant, num id ratione, alcali foſſilis, quo ſcatent, præſtent, num ſpecifice agant, ulteriora experimenta docebunt.

Doſis eſt ad ſcrupulos duos.

Spongiarum Lapidum nomine aſſervantur Lithophyta, diffractu facilia, aſpera, quæ evidentia indicia præ ſe ferunt, quod aliis corporibus adnata fuerint, non paucis variæ adhuc quiſquiliæ adhærent, aliorum una facies concava eſt, odore maris nares feriunt, cum acidis evidenter efferveſcunt, & indolem calcaream produnt.

CELLEPORA. Lithophytum foraminulis urceolatis ſubmembranaceis *Spongites* L. lamellis ſimplicibus undulato turbinatis, cumulatis; cellulis ſcriatis: oſſulo marginato. Maris Mediterranei civis.

Ab his lapidibus calculum renalem diſſolvi, quis credet GALENO? hodie, uſti ſpongiis admiſcentur, pro curandis ſtrumis.

Pulvis ſtrumalis ARNOLDI DE VILLA NOVA. Ab Auguſtanis correctus hodie proſtat, omnino ulterius

corrigendus. Datur ad drachmam unam, quæ circa ejus uſum ad phaſes lunæ adcommodandum VILLA-NOVANUS præcipit, prudentes negligunt, nec cogunt ægrotantes eundem ſiccum deglutire, ex eo Noſtrates *Tabulas ſtrumales* parant, in quibus vires ejus nimia ſacchari ratione ſuffocantur: *Spongia præparata* Pariſ. egregium medicamentum ad dilatanda vulnerum & ulcerum orificia.

γ. FOSSILIA.

ANTIMONIUM Barb. ςίμμι, ςίβι, *Stibium* Barb. *Antimoine*, *Spiesglas*. Eſt ſubſtantia foſſilis, nigro, plumbeo colore inſtructa, ſtriis ſplendentibus diſtincta, ex ſulphure & proprio metallo ad æquas partes mixtis, conſtans.

Occurrit vulgo partibus terreſtribus inquinatum, & *Minera Antimonii* dicitur, hæc ſive non radiata apparet, *Solida* WALLER, ſive radiis aut ſtriis longitudinalibus percurſa, *Stibium ſtriatum* L. ſeu in cryſtallos efformata, *Stibium cryſtalliſatum* L. ſeu in tenera fila efformatur, *Minera Antimonii plumoſa* WALLER. eadem interdum aliquid arſenici recipit, & *Stibium Rubrum* L. conſtituit, interdum flavum, interdum cæruleum colorem induit.

Occurrunt hæ glebæ paſſim per Europam, Hungaricæ plerumque reliquis puriores ſunt, & magis nitent, quia Aurum vehere creduntur, ideo ab Alchemicis reliquis præferuntur.

Eliquatur Antimonium e ſua minera ratione ſimpliciſſima, a CRAMER egregie deſcripta, quod vulgo proſtat, creberrime figuram conoideam habet. Cum nondum plane liqueat, num Veterum ςίμμι, ſit noſtrum Antimonium, hinc de ejus apud Veteres uſu nihil audeo decidere. Primus BASILIUS VALEN-

TINUS nostrum fossile ad usus medicatos sumsit, sed præparata modo ex eo adhibuit, crudum venenum esse pronuntians, omnis etiam Alchemicorum secta, Chemiæ ope, nonnisi varia ratione tractatum Antimonium ad morbos laudavit, sed ipsis his præparationibus cum regulinam maxime partem, omnino virulentam acceperint, & hinc medicamenta ex Antimonio parata drasticas vires ediderint, ideo plurimi Medicorum, qui superioribus seculis floruerunt, id esse venenum, ex pharmacopoliis rejiciendum, statuerunt, & Parlamentum Parisinum anno 1566 publico Edicto ejus usum prohibuit, anno 1666 demum novo Edicto eundem iterum permisit. Inter primos KUNCKEL Antimonii crudi usum internum commendat, & aliquot observationes refert de gravissimis morbis arthriticis & rheumaticis eo curatis, has propriis experimentis dein confirmarunt PAULINUS, HOFFMANN, FURSTENAU & HEISSENIUS &c. ultimi etiam atrophiam & affectus epilepticos ejus usu curatos, adducunt. Pecudes, & porcos maxime, Antimonii ope saginari & a lepra curari, BASILIUS VALENTINUS & *Philosophical Transactions* monent, homines quoque inde pinguescere, apud PAULINUM memoratur, nec non luem veneream fuisse curatam, febrem quartanam pertinacem, aqua cum eodem decocta fugatam, de MURALTO refert. Qua ratione Antimonium ad secundas vias possit pervenire, me ignorare fateor, nec tamen audeo in dubium vocare observationes, ab Auctoribus gravissimis adductas, illud crebro ad drachmam unam, sine ullo incommodo fuisse usurpatum, vidi, sed vidi etiam, quod hominibus, quorum primæ viæ sordes habuerunt, cardialgiam & nauseam excitaverit, non male ipsi medicamentum absorbens adjicitur, ut acidum, in primis viis obtinens, infringatur.

Æthiops Antimonialis ELLER non male Æthiopi

minerali videtur anteponi: * *Antihecticum* POTER. *Antimonium Diaphoreticum* ſeu *Diaphoreticum minerale* Pariſ. * *Bezoard. minerale*; *Butyrum Antimonii*, *Chermes minerale*: *Cinabaris Antimonii*: * *Crocus Metallorum* vid. *Inſt. Chem.* * *Decoctum Antivenereum laxans* Pariſ. in nimis parca quantitate laxantia videtur recipere: * *Diaphoreticum Martiale*: * *Flores Antimonii* HELMONT. validiſſimum emeticum, quod vix ad duo grana exhibere licet: * *Flores Antimonii nivei & ſplendentes* BASIL. VALENT. * *Flores Antimonii rubri* EJUSDEM, hi non adeo ſimplici ratione, qualis in *Codice Pariſino* indicatur, obtineri poſſunt, omnes cum unice a Regulo efformentur, multum draſtici ſunt: * *Hepar Antimonii*: * *Materia perlata*: *Mercurius Vitæ*: vid. *Inſt. Chem.* * *Morſul. Antimoniales* KUNCKEL debent $\frac{1}{9}$ Antimonii vehere, Auctor jubet eorum quatuor ſcrupulos ter de die aſſumere: *Nitrum Antimoniatum* vid. *Inſt. Chem* * *Panacea Antimonialis* LEMERY validum draſticum, quod ad octo & viginti guttas exhibetur: * *Regulus Antimonii*: * *Regulus Martialis*: * *Regulus Medicinalis*: *Sulphur auratum Antimonii* vid. *Inſtit. Chem.* * *Syrupus Emeticus* ſeu *Oxyſaccharum vomitivum contra Peſtem* ANGELI SALÆ: *Syrupus Emeticus* ZWOELFFER, uterque ad drachmas ſex uſque præſcribitur, prudentius doſis partitim per intervalla adhibetur, uſque dum, quem intendimus, effectus obtineatur: *Tartarus Emeticus*: *Tinctura Antimonii acris*: *Tinctura Antimonii Tartariſata*: *Tinctura Metallorum* ſeu *Lilium* PARACELSI Pariſ. * *Vitrum Antimonii*: * *Vitrum Antimonii Ceratum* vid. *Inſt. Chem.* * *Vinum Emeticum* LEMERY ſive *Aqua benedicta* RULAND. ad Vini libras duas Croci Metallorum uncias quatuor recipere Pariſini ſuadent, LEMERY monet, non minores eſſe medicamenti vires ad quod unica modo uncia Croci metallorum recipitur;

datur ad unciam unam pro dosi, quam quoque per vices exhibere suaderem.

Cinnabaris vid. *Mercurius.*

Mercurius Barb. ὑδράργυρον, *Argentum vivum, Queckſilber.* Eſt ſubſtantia fluida, ſoli auro & platinæ gravitate cedens, calore etiam minore, quam quo aqua ebullit, volatilis, frigore valde intenſo in conſiſtentiam ſolidam abiens, ſolo calore in pulverem rubrum fatiſcens, plurima corpora metallica diſſolvens, ab omnibus ſalibus ſolvenda.

Occurrit ſive ſub forma nativa *Virgineus* Auctorum, ſive ope ſulphuris in formam mineræ redactus, hæc minera, pro varia ratione ſulphuris ad mercurium, & pro varia terræ, cui inhæret ratione, ſive ſimpliciter *Mineræ Mercurii* nomine venit, ſive *Cinnabaris*, quando nempe pulcherrima rubedine tincta eſt & nulla terra inquinata.

In Suecia, Hiſpania, Hungaria, Auſtria, Hydria, in Foro Julio & Aſia occurrit.

Hydrargyrum, cujus ſuperficiem cuticula tegit, aut cujus globuli non liberrime fluunt, ſed diviſi caudam quaſi trahunt, inquinatum eſt; multæ licet illud depurandi laudentur rationes, quarum etiam plures non raro ſuccedunt, optima tamen ſemper eſt deſtillatio, nec aliud ad uſus medicatos debet recipi, niſi quod prius ex retorta in vas recipiens fuit pulſum. Celerrime probitas hydrargyri tentatur, dum illud in cochleari ferreo carbonibus ignitis exponitur, ſincerum enim totum in auras abit, & quicquid peregrini habuit, in cochleari relinquit.

Hydrargyrum vix non omnis Antiquitas venenis annumeravit, ſolus Galenus fatetur, ſe nullum cum eodem experimentum inſtituiſſe, unde ſibi de ejus virulentia conſtaret: inter Arabes demum ejus uſus externus obtinuit, & ſeculo XVI intus uſurpari cœpit, ut in Diſſertatione de *Hydrargyri præparatorum*

internorum usu, comite Cl. EHRMANN defenſa, fuit probatum.

De effectibus ejus medicatis acturus, primum eos, quos in primas vias edit, notabo, dein, quid ad ſecundas vias delatum præſtet, recenſebo. Mercurius, ſi vivus deglutitur, totum canalem inteſtinalem permeat, & talis, qualis ore aſſumtus fuit, ex ano elabitur, id quod AVICENNA jam annotavit & innumeris dehinc obſervationibus conſtat, eundem, ſuo pondere canalem inteſtinalem emetientem, tenaciſſimas fæces expuliſſe, intus ſuſceptiones aut alia inteſtinorum obſtacula ſolviſſe, graviſſimos ileos & vomitus curaſſe, ZWINGER, BUCHNER, RAU & præprimis Ill. DE HAEN obſervationibus probant, dum autem hoc ſcopo exhibetur, ad tres & plures uncias pro doſi erit propinandus; nec dubito, quin hac ratione aſſumtus, etiam anthelminthicos effectus edere queat, licet eum pro hoc ſcopo conſultius, varia ratione præparatum, exhiberi putem. Quando autem Hydrargyrum in ſecundas vias recipitur, tunc ſummos edit effectus reſolventes, in minimos enim globulos dividendum minima etiam vaſa ſubit, ad quæ vix aliud medicamentum penetrare valet, & ibi nata obſtacula removet, præterea vi cordis & arteriarum cum humoribus agitatum, in illos eo validius impellitur, quo ipſum illis multo majore denſitate gaudet, quippe quæ ſanguinem tredecies ſuperat, obſervante MUSCHENBROECK, eos attenuat, modo evidenter mechanico, viſciditatem tollit, imo ſi ejus ratio modum excedit, ipſa etiam naturalis craſis humorum laxatur, qui tum vaſa minora ſubeunt, & ex eis elabuntur, creberrime quidem ex vaſis oris & faucium, unde Ptyaliſmus, non raro etiam per vaſa inteſtinorum. Hæc agendi ratio Mercurii, inter eas quæ hactenus traditæ ſunt, maxima veri ſpecie gaudet, licet non inficias eam, quod ſuis omnino adhuc prematur diffi-

cultatibus, interim quocunque modo agat, id tamen certum eſt, quod eodem valentius medicamentum reſolvens non habeamus, hinc in omni ſpiſſitudine cum ſummo ſucceſſu exhibetur, ſi phlogiſticam excipimus, cum calor excedens & fibræ per morbum tenſæ, medicamentum frictionem intendens non admittant. Ejus egregias vires ad morbos, qui oſſium ſubſtantiam afficiunt, MARTYN, SCHREIBER, BUCHNER & NIEMANN adducunt, præſtantiam ad ulcerum cacoëtheorum curam, longe plurimi medentium viderunt, inter quos VALLISNERIUM, TREW, ALBERTI & HAVIGHORST ſufficiat allegaſſe, cancrum eo curatum Ill. SANCHEZ, *Nova litteraria Maris Balthici*, BORRICHIUS evincunt, quanti uſus ad morbos oculorum, ſuffuſionem, cœcitatem ſit, PETRONII, RHODII, BOYLE, BORRICHII, WESTPHAL &c. fide conſtat, præſtantiſſimum ad rheumaticos & arthriticos morbos medicamentum WEDEL, LÖW, HUXHAM ſunt experti, ejus præſtantia ad omne genus febrium ex WILLIS, BALLONIO, BORRICHIO, BENVENUTO, HUXHAM, MOREALI patet, WILLIS paralyſin eo curatam vidit, tumorem ſtrumoſum CLAUNIG, plurimum ad curandas variolas facere BOUCHART, GRASSIUS, *Acta Medic. Berol.* HUXHAM, SPIES, CATANEUS, GALE &c. probant, cum evidenti ſucceſſu contra hydropem adhibitum ERNIUS, DECKERS, SIMSON referunt, ſcorbutici curati apud WILLIS & LENTILIUM occurrunt, eximios ejus effectus in morbis capitis & encephali viderunt BERNITZ, ACOLUTHUS, BUDÆUS, ROLFINCK, RIEDLIN, in diſſolvendis calculis renum & veſicæ MEAD, ad hydrophobiam curandam conducere, Cl. HAGG multis obſervationibus probavit, Mercurium denique præcipuum, ſi non unicum morborum venereorum remedium eſſe, fida quatuor retro ſeculorum experientia probavit, & innumerorum Auctorum

rum testimoniis constat, quæ, si hic vellem adducere, vix non omnes, qui de siphylitide scripserunt, Medentes essent allegandi.

Sed idem egregium medicamentum gravissima quoque mala excitat, quando minus prudenter exhibetur, vel ipsam nativam humorum nostrorum crasin dissolvit, vel tenerrimas in cellulas involucrorum, quæ medullam nervorum cingunt, aut in cellulas ossium effusum, gravissimos nervorum & ossium morbos producit; quantæ noxæ ex ptyalismo surrexerint, variis observatorum locis, in *Dissertatione supra citata* evictum est, & evicerunt ingenui Auctores, qui contra perniciosam hanc medendi methodum, maximo ægrotantium damno nimis diu usitatam, insurrexerunt, inter frequentes observationes de gravissimis morbis nervorum & ossium, a mercurio, ipsis inhærente, excitatis, vel FERNELIUM modo, BORRICHIUM, RAMAZINUM, HOFFMANN, THILEMANN, LENTILIUM allegasse sufficiat.

Quot rationibus Mercurius adaptari possit, ut sanguinem subeat, per principia Chemiæ liquet, & in *Dissertatione citata* fuit explicatum.

De *Cinnabari*, κιννάβαρι, quæ *Minii* nomine apud Veteres veniebat, quod vix ad sanguinem venire possit, in *Instit. Chem.* monui, eadem nunquam, nisi prius sublimatione depurata fuerit, intus danda est, cum fossilibus creberrime heterogenea soleant accrescere.

Aethiops Antimonialis: Aethiops mineralis pro variis dispensatoriis, variam mercurii ad sulphur rationem recipit: * *Aqua Grysea* GOHL est solutio mercurii in acido nitri, trigecuplo decocti traumatici diluta, tanquam mitius septicum ad ulcera phagedænica recipitur: * *Aqua Mercurialis* Wurtemberg. ad effectus cutaneos laudatur, sed ejus usus summam prudentiam exigit: *Aqua Phagedænica*. CHARAS,

Optime ex tempore a Chirurgis paratur, & recipitur ea mercurii sublimati ratio, quam indicatio exigit: * *Arcanum Corallinum*: *Cinnabaris factitia*: *Cinnabaris Antimonii* vid. *Inst. Chemiæ*: * *Emplastrum Mercuriale* Wurtemb. easdem vires cum *Emplastro de Ranis cum Mercurio* habet, quod videatur sub *Ranis*: * *Mercurius liquidus* vel *Aqua Mercurialis* Paris. est solutio mercurii in acido Nitri, trigecuplo aquæ diluta, datur ad guttas quindecim & ultra: *Mercurius præcipitatus albus*: *flavus* seu *Turpetum minerale*: *per se* vid. *Inst. Chem.* * *Mercurius præcipitatus viridis* BEGUIN, ob æs, quod habet, nunquam in usum trahendus: * *Mercurius præcipitatus ruber*: *Mercurius sublimato corrosivus*: *Mercurius sublimatus dulcis* vid. *Instit Chem.* * *Mercurius violaceus* Paris. Est cinnabaris factitia ob majorem, quam habet, sulphuris rationem nigrescens: * *Opiata Mesenterica* Paris. non placet: *Panacea Mercurialis* vid. *Instit. Chem.* * *Pastilli Mercuriales* Paris. optimis ægrotantium rebus, omnes suffitus mercuriales eviluerunt: *Pillulæ Mercuriales*, BELLOSTE pillulis, in quibus mercurius vivus, variis purgantibus mixtus, obtinet, magnam famam conciliavit, plures tales compositiones passim prostant, Parisinæ $\frac{3}{10}$ diagrydii, $\frac{1}{7}$ resinæ jalappæ, $\frac{3}{10}$ mercurii vehunt, Nostrates diagrydii, mercurii, pulveris Jalappæ & trochiscorum alhandal de singulis $\frac{1}{6}$ habent: *Pillulas mercuriales e Mercurio dulci* præcedentibus Germani substituerunt: * *Rotulæ contra vermes* ZWOELFFER correctæ, ad lumbricos dantur cum successu: * *Saccharum Vermifugum* Paris. seu *Mercurius saccharatus* Edinburg. bonum omnino medicamentum, quod non solum ad vermes, sed etiam in aliis morbis, ubi mercurius indicatur, potest exhiberi: * *Trochisci Anthelmintici* sive *Hermetici* SCRETÆ non sine successu ad enecandos & ejiciendos vermes adhibentur, trochiscus continet mercurii dulcis

grana circiter quatuor, & diagrydii granum unum: * *Trochisci Escharotici* Paris. valde rodentes: * *Trochisci Escharotici cum minio* LEMERY; correctos Parisini recipiunt, prioribus multo mitiores: * *Unguentum Mercuriale citrinum ad scabiem* Paris. * *Unguentum Mundificans* STAHL vid. *Plumbum*: *Unguentum Neapolitanum* THEODORIC. Parisini axungiæ porcinæ æquas partes mercurii admiscent; idem, dum mercurium, terebinthina extinctum, axungiæ porcinæ adjiciunt, medicamentum formant, quod *Unguentum gryseum mercuriale* appellant, hoc ipsum est *Unguentum Neapolitanum* Nostratium & Wurtembergensium, formula Parisina $\frac{1}{9}$, Wurtembergensis $\frac{1}{4}$, Nostra $\frac{1}{8}$ Mercurii recepit; cum hodie prudentius, quam olim, Mercurius administretur, hoc ad frictiones in siphyliticis instituendas præfertur priori, ad pediculos fugandos quoque & ad curandam scabiem adhibetur: observavit Cl. BEAUMÉ, mercurium facere, ut axungia citius rancescat: *Unguentum Pediculorum* August. præter mercurium etiam varia acria recipit: * *Unguentum ad Scabiem* Wurtemb. non auderem medicamentum saturninum ad morbos cutaneos adhibere: * *Unguentum ad Scabiem* ZELLER non contemnendum.

CAP. VII.

INCRASSANTIA.

§. 48.

Nimiæ tenuitati humorum Veteres per παχυντικὰ, *Incrassantia*, obviam ire tentarunt, referebant eo Gummata, quæ pro ratione, qua aquam subeunt, eam viscidiorem, & hinc magis spissam reddunt, cum autem facile pateat, in magno illo, quod vasa nostra vehunt, humorum volumine, talem inspissationem locum ha-

bere non posse, quæ, si etiam obtineri posset, non nativa, sed omnino morbosa esset; tenuitas quoque præternaturalis non aliter, quam ejus causas tollendo possit curari, hinc titulum hunc non male ex Therapia expungi posse, evidens esse duco; nec a vi acidorum fossilium, qua liquores serosos densant, unde *Coagulantia* dicuntur, aliquid, quod huc faciat expecto, cum nunquam nisi valde diluta, quo ipso ad hunc effectum ineptiora redduntur, intus ea dare liceat, spissitudo quoque, quæ inde induceretur, semper præternaturalis esset.

Cap. VIII.

ABSORBENTIA.

§. 49.

Medicamenta, quæ acrimoniam acidam corrigunt, Ἀναπίνοντα. *Absorbentia* dicuntur, pertinere huc omnia alcalia, nec tyro Chemiæ ignorat. Pathologia acida, sub initium superioris Seculi ab Helmontio efficta, a Tachenio diducta, a Medicis, qui Cartesium secuti sunt, sustentata, a Sylvio per Belgium, a Bontekoe, Waldschmidt, Ettmüller &c. per Germaniam disseminata, in causa fuit, ut hoc medicamentorum genus, tanquam certissimum auxilium ad omnes febrium ordines, & ad omnem sanguinis æstum fuerit commendatum, & licet meliora nunc edocti Medici, falsam de acido, communi febrium causa, hypothesin repudiaverint, in multis tamen, maxime Germaniæ locis, ad hæc medicamenta mox confugiunt, cum calor præternaturalis ægrotos invadit. Illi quoque Medici, qui febrem sub fermentationis idea sibi stiterunt, nostra medicamenta ad eas curandas multum facere, reputarunt, cum alcalia fermen-

tationis progressus inhibere, constet; eadem etiam *Præcipitantia* non pauci appellant.

§. 50.

Cum salia alcalia medicamentis incidentibus (§. 46.) adnumerare soleant, ad absorbentia nonnisi terras referunt, de his, si quid etiam in sanguinem irreperit, illud adeo exiguum est, ut de effectu plane desperandum sit, hinc maxime, cum etiam vix acrimonia acida in massa humorum obtinere posse videatur, medicamentorum nunc recensendorum longe plurima, efficaciam suam non ultra primas vias extendere, & nonnisi ab acrimonia acida in primis viis obtinente indicari, elucescit; iis autem, cum difficilius iter per canalem intestinalem emetiantur, vulgo aliquem salem medium adjicere solent, qui præterea effervescentiam ex congressu absorbentis cum acido oriundam moderatur, & incommoda ab aëre impetuosius sub effervescentia secedente metuenda, avertit. Abusus Absorbentium non modo primas vias gravat, dum earum vires in promovendis substantiis duris, validius resistentibus consumuntur, sed eadem quoque muco intestinali irretita, in speciem cæmenti abeunt, lateribus intestinorum accrescunt, ἔμφραξιν, gravissimorum morborum causam producunt, imo docentibus experimentis Illustris PRINGLE & Cl. MACBRIDE putrefactionem promovent; elucescit hinc, quam perniciosam rationem sequantur, qui illa ægrotis, excedente calore æstuantibus, exhibent.

α. ANIMALIA.

CANCRORUM CHELÆ vid. *Nutrientia.*

CONCHA, κόγχη, *Coquille*, *Muschel.* Hoc nomine in officinis veniunt domus testaceorum, saporis & odo-

ris expertes, cum acidis effervescentes & igne in calcem vivam abeuntes. Sine discrimine ex omni vermium testaceorum genere desumi possunt, apud nos vulgo eas recipiunt a *Mya Pictorum* L. testa ovato-oblonga & dente crenulato instructa.

Copiosissime in fluviis obtinet.

Primus CROLLIUS Conchas, tanquam certissimum contra febres intermittentes remedium, laudavit, si earum scrupuli duo instante paroxysmo assumuntur, hinc quoque sub *Specifici Antifebrilis* CROLLII nomine, si in pulverem reductæ fuerint, venire solent, præ reliquis absorbentibus nihil proprii habent.

* *Conchæ Citratæ* Nostrat. conveniunt cum Oculis Cancrorum citratis.

CORALLIA ALBA } vid. *Roborantia specifica.*
CORALLIA RUBRA }

CORALLINA Barb. *Corallen oder Meermoos*, *Coralline*, *Mousse marine.* Prostant hoc nomine fragmenta ramosa, quorum teneris ramis foliola exigua & tenerrima pinnatim adhærent, colore albo, consistentia friabili, odore nauseoso, marino, sapore salino instructa.

CORALLINA. Stirps geniculata, filiformis, calcarea: *Officinalis* L. habitu pinnato gaudet.

In Oceano Europæo & Mari Mediterraneo frequens; recens variis coloribus ludit, quos autem in littore, soli & aëri exposita, deponit.

Cl. PALLAS rationibus non levibus Corallinam ordini vegetabilium restituit, propria experientia destitutus Ill. LINNÆI & ELLIS auctoritate nitor.

Calcinatione in calcem vivam abit. LEWIS: Extracti aquosi $\frac{1}{4}$ largitur, & cum destillationi subjicitur, spiritum urinosum fundit. NEUMANN.

Medio ævo fama de ejus vi anthelmintica debetur, ea, cum nec ratione, nec ulla, quæ fidem meretur, observatione evinci queat, præter absorbentes, nullæ aliæ ipsi tribuendæ vires.

* Judaicus Lapis, λίθος Ἰουδαϊκός. Est Lapis albus olivæformis, totus striis longitudinalibus notatus, petiolo instructus, intus substantiam sistit, ex lamellis semipellucidis efformatam, quam ideo seleniticam appellare consuèverunt, sed improprie omnino, quia evidenter cum acidis effervescit.

*Helminth

olithus Judaicus* L. Efformatur ab aculeis echinorum in lapidem versis.

Passim per Europam occurrit.

Ab omni retro tempore calculos dissolvere creditus est, hanc virtutem ad calculum renum Galenus restringit; jure hodie eviluit.

Lucii Piscis Mandibula vid. *Nutrientia.*

Lyncis Lapis Barb. *Belemnites* Barb. *Alpschoz, Luxstein.* Est Lapis, qui ex basi lata, sensim in verticem angustum terminatur, intus ad aliquam altitudinem cavum conoideum continet, totus substantia splendente, quæ in strias ab axi ad peripheriam tendunt, ordinata est, efformatus, colore gaudet falerno, pro varia varietate magis aut minus diluto differt quoque multum longitudine æque ac crassitie; dum fricatur cornu odorem spirat.

Helmintholithus Belemnites L. Nondum confectum est, a quo animali in lapidem verso efformetur, *Alcyonium Lyncurium* esse Ill. Linnæus contendit.

Crebro per omnem Europam occurrit, vulgatissimum Alsatiæ petrefactum.

Quidquid de ejus viribus narrant Auctores, sive anilibus fabulis debetur, sive signaturæ commentis, sive falsæ de ejus ortu opinioni, hinc ejus usus inter Medicos naturam ac rationem duces sequentes exolevit.

Pp 4

Percarum Lapides vid. *Nutrientia.*
Ostrearum Testæ vid. *Nutrientia.*
Ovorum Testæ vid. *Nutrientia.*

β. Fossilia.

Calx, Τίτανος, *Chaux*, *Kalch.* Eſt ſubſtantia terreſtris, quæ ſive ſub forma pulveris, ſive lapidis friabilis, ſive lapidis duri, qui autem nunquam adeo indureſcit, ut chalybe percuſſus ſcintillas evomat, occurrit, in acidis cum efferveſcentia diſſolvitur, ſola nec maximo igne fundi poteſt.

Calx ſub forma pulveris rimas montium occupans, *Lac Lunæ* Gesn. *Agaricus mineralis* Ejusd. *Calx Gur* L. in officinas recipitur, non raro pro *Farina foſſili*, cœli donum credita, anonæ caritate in cibum recepta fuit, Bruckmann: lapidis friabilis ſpecie occurrens, ſive partibus mollioribus, non aſperis, digitos inquinantibus conſtans *Cretæ* nomine, *Craie*, *Kreide*, pharmacopolia intrat, magna terræ ſtrata, longas montium catenas efformat, ſive aſperior, figura, aſperitate, colore multum varians *Tophos*, *Stalactitas* conſtituit; quæ in lapidem durum concrevit, dum ad eam duritiem pervenit, ut poliri poſſit, *Marmor* dicitur, dum ex lamellis in varias figuras angulares ordinatis formatur, *Spatum* appellatur, *Calcareus* demum, dum maſſas difformes format, quæ non raro integros montes conſtituunt.

Dum calcarei juſto igne uruntur, duritiem perdunt, friabiles fiunt & ſimul acquirunt qualitatem, ut quando aqua ipſis affunditur, intenſo exæſtuent calore, & partes animales, quibus applicantur, in modum ignis deſtruant, veniunt tunc ſub *Calcis vivæ*, τῦ Ἀσβέςυ nomine, hæc cum aquam accipit, ſive illam ex aëre hauriat, ſive illa ipſi affundatur, in pulverem

dilabitur & ſuam cauſticitatem perdit, *Extincta* dicitur. Rationem ortus Calcis vivæ & qualitates ipſi proprias recenſet Chemia. Convenientia Calcarei cum teſtis conchyliorum, conchylia creberrime in Calcareo reperiunda, obſervatio DE LA FAILLE, qui in tractu Alnatenſi (*pays d'Aunis*) ex limo maris & conchyliis, pauco elapſo tempore, lapides ſurgere vidit, odor gravis ſub Calcarei uſtione nares feriens, terra calcarea ad Halam evidentiſſime ex teſtis orta, annotante Cl. SCHREBER, veſtigia ſalis marini, obſervante MEYER, in calcareo occurrentia, obſervatio de calcareo nunquam in montibus primitivis oriundo, valde probabilem reddunt conjecturam, omnem Calcem ex teſtis conchyliorum deſtructis eſſe ortam & montes calcareos, copioſiſſime per orbem occurrentes, ſurrexiſſe cum mare a continente receſſit & limum & conchylia reliquit, quæ labente tempore in lapidem concreverunt. Quia calcareo, tum ſub prima ejus origine, quam per omne, quo formatus erat, tempus varia heterogenea potuerunt accreſcere, hinc, cur ratione coloris, conſiſtentiæ, bonitatis ad parandam inde calcem vivam differat, eluceſcit; partes calcarei aquis abraſæ & tum depoſitæ terras calcareas & ſtalactites conſtituunt, pro variis heterogeneis, quæ ipſis accreverunt, vario, quem ſubierunt, tritu, & hinc oriunda attenuatione, vario colore, varia raritate, vario lævore gaudent.

Lapis Calcareus per ſe ad uſus medicatos non recipitur, quæ de propriis Lactis lunæ viribus allegantur, vulgi commentis a ſimilitudine ejus coloris cum lacte animali, aut ejuſdem credulitati debentur: Calx viva cum aliis mixta, tanquam pſilothrum ſeu depilatorium adhibetur, intus ſi daretur, omnino veneni rodentis effectus ederet, ſed peſſime id, quod ſoli calci vivæ, ob cauſticitatem, qua pollet, proprium eſt, omni calci attribuerunt, etiam illi, quam

omnis indolis causticæ expertem esse, omnia loquuntur: Creta contra acrimoniam acidam intus datur, & datur cum successu.

Aqua Calcis Vivæ, κονία, est aqua, quæ ex Calce viva aliquid terræ recepit, quod naturæ salinæ proximum est, MEYER quo nemo majore cura experimenta circa calcem instituit, ad unam partem Calcis quinque & viginti partes aquæ jubet recipi, sed simul monet, medicamentum earundem plane virium surrecturum, si vel sexaginta aquæ partes adhiberentur; ALSTON, etiam si bis centum aquæ partes, uni calcis affunduntur, aquam non debiliorem fieri annotavit, & simul observavit, calcem vivam per annum quoque asservatam, æque efficacem aquam largiri, quam statim, postquam ex fornace extracta fuit, recepta, hæc aqua nisi in vasis probe clausis asservatur, substantiam, quam ex calce recepit, sub forma cuticularum sensim sensimque in superficiem ascendentium, & dein ad fundum vasis descendentium, dimittit, & omni virtute propria, qua gaudebat, privatur. HIPPOCRATES hanc aquam extus contra vitiliginem commendat, primus BATEUS eam sub nomine *Aquæ benedictæ* ad usus internos adhibuit, Ill. PRINGLE, Cl. MACBRIDE & *Essais pour servir à l'histoire de la Putrefaction* eam putredinem arcere experimentis evicerunt; ALSTON tentamina probant, vermes ab ea enecari, & calculum dissolvi, ultimum WHYTT, BARTHOLINUS, LUCAS & WALPOLE quoque confirmarunt: febres rheumaticas ea curatas, gravia a podagra retrograda mala & morbos cutaneos, observationibus quoque ALSTON probat, ultimus effectus etiam MACAULAY experientia confirmatur; viscera exulcerata, DETHARDING, aqua calcis intus assumta, restituta probat, & MOLINARIUS eadem tam epota, quam injecta, ulcus vesicæ vidit curatum; GRAINGER, eandem intestinis exulceratis opem afferre, est expertus: GABER de-

nique annotat, ſanguinem phlogiſtice ſpiſſum inde attenuari: eandem itaque optime abſtergendi, putredinem arcendi, acrimonias corrigendi, humores reſolvendi ergo adhiberi, evidens eſt: Ejus aliquot libræ de die exhibentur; nec male ipſi lac, aut alia medicamenta, morbo appropriata adjiciuntur.

Extus ad abſtergenda ulcera, diſcutienda œdemata, arcendum ſphacelum in uſum trahitur.

* *Aqua Ophthalmica ſapphirina* SCHROED. * *Collyrium exſiccans* Pariſ. ad ophthalmias diſcutiendi ergo adhibetur: *Aqua Phagedænica* vid. *Mercurius*: * *Species Diacretæ* MYNSICHT. Abſurda omnino compoſitio, quam ad ſodam maxime adhibere ſolent, datur ad drachmam dimidiam: * *Species Diacretæ* CAMERARII prioribus adhuc lapides cancrorum adjiciunt.

* GYPSUM, γύψον, *Gypſe*, *Gyps*. Eſt ſubſtantia terrea, quæ igne in pulverem, cum aqua autem in maſſam ſolidam, ſine efferveſcentia abit, ex calce & acido vitriolico compoſita eſt, & juſta ratione calcinata phoſphoreſcit.

Occurrit I. ſub forma terræ *Terra gypſea pulverulenta* CRONST. II. ſub forma lapidis α) cujus partes unum continuum efformant 1) quod polituram admittit Αλαβαςρίτης, *Alabaſtrum*, *Alabaſter*, hoc ipſum coloribus & pelluciditate multum variat; 2) quod poliri nequit *Gypſum argilloſum* L. β) particulis micaceis exſtructum *Gypſum uſuale* L. γ) particulis fibroſis conſtans *Gypſum ſtriatum* CRONST. *Stirium* L. *Alabaſtrites* WALLER. δ) lamellas plus minus ſplendentes referens *Selenites* MATTHIOL. *Lapis ſpecularis* PLIN. *Glacies Mariæ* AGRICOL. *Spatum ſpeculare* L.

Omnes omnino Gypſi ſpecies, cum neque a menſtruis chylopoieticis poſſint diſſolvi, neque calore primarum viarum reſolvi, nullas in corpus noſtrum poſſunt vires exſequi; fruſtra etiam a lapidibus, qui

çum acidis non effervefcunt, virtus abforbens expectatur.

* *Unguentum Alabaftrinum* FAVENTIN. ad mitigandos dolores capitis, non video quo jure, commendatur.

* OSTEOCOLLA. KENTMANN. *Beinbruch.* Hoc nomine veniunt concrementa calcarea, quæ figuram oblongam habent & fuperficiem albam, afperam. Sunt ea five ftalactites, vulgari ratione orti, & tales, ut plurimum proftant in officinis, five ftipites arborum in terra fterili relicti, labente tempore carie exefi & toti terra calcarea repleti, hi proprie nomen Ofteocollæ fibi vindicant, & multo fabulo turgere folent, obfervante Cl. GLEDITSCH, eodem tamen etiam comprehenduntur partium cylindracearum vegetabilium incruftationes calcareæ, vegetabili deftructo fuperftites, annotante Cl. GUETTARD. Ofteocollæ fecundum, quod recenfui, genus paffim in regionibus, ubi vaftiores campi fabulofi obtinent, fub folo fabulofo occurrit, quod folum ftipites obruit & aquæ tranfitum conceffit, ut eos carie excedere, & fceleta terra calcarea potuerit replere.

Patet ex hac Ofteocollæ hiftoria, eam effe calcem, cui fabulum, interdum quoque alia heterogenea accreverunt, id quod etiam Illuftris MARGGRAF analyfis uberius confirmat.

Primus MATTHIOLUS Ofteocollæ vires ad offa diffracta confolidanda celebrat, prudens ERASTUS vulgi rumoribus fubfcribere dubitavit, ex rationali Medicina, medicamenta offa ferruminantia jam diu profcripta funt, nullæ aliæ itaque, ob quas Ofteocolla laudari poffet, præter abforbentes fuperfunt vires, & cum puriores fubftantias habeamus, quæ id abunde præftant, hinc heterogeneis vix non femper fcatente medicamento jure abftinemus.

CAP. IX.

EVACUANTIA.

§. 51.

EVACUANTIA, καθαρτικὰ appellamus illa medicamenta, quorum ope ſive humor inquilinus quantitate excedente peccans, ſive heterogeneus, morbi cauſa, e corpore eliminatur, prior, ut plurimum per Chirurgiam, quæ hujus loci non eſt, ſolet evocari, alter pro varia, qua pollet, indole, aut varia, cui inhæret, parte, varia ratione ejicitur; qui evocatur per aperturas, quas ars facit, denuo huc non pertinet; evacuantia, quæ per organa excretoria corpori nativa agunt, optime pro ratione ipſorum emunctoriorum diſtinguuntur, horum cum cutis ſit maximum, & præ reliquis plura humorum heterogeneorum genera e corpore eliminet, hinc illud primum rimabor, reliqua eo ordine, quo ſe in corpore excipiunt, dein tractaturus.

§. 52.

I. SUDORIFERA.

Medicamenta, quæ excretionem cutaneam promovent, Veteribus ἱδρωτικὰ & διαφορετικὰ dicebantur. Recentiores illa, quæ tranſpirationem inſenſibilem ita modice augent, ut non in ſudorem erumpat, *Diaphoretica* vel *Diapnoica* ſolent appellare, *Sudorifera* autem ea, quæ ſudorem exprimunt; hæc ipſa, ex quo opinio invaluit, febres malignas a veneno originem ſumere, quod per ſudorem e corpore expellendum ſit, *Alexipharmaca* quoque & *Bezoardica* ſolent dici. Agunt autem, quæ hujus loci ſunt medicamenta,

1) motum humorum incitando, & huc præter gymnasticam, & calorem extus applicatum omnia medicamenta calefacientia pertinent, 2) habitum cutis debilitando, quo præter balnea, omnia Emollientia (Cap. III.) cuti applicata, nec non Sopientia (Cap. V.) validiora referenda sunt, 3) rationem aquæ in massa humorum augendo, & hoc Attenuantia (Cap. VI.) præstant. Indicantur Διαφορετικὰ, 1) ab omni morbo, qui a transpiratione suppressa originem duxit 2) a qualicunque heterogeneo per massam humorum diffuso, 3) a congestione humorum ad viscera, 4) ab humoribus, qui in vasis cutaneis stagnant, 5) a crisi. Sustentatur actio horum medicamentorum, regimine non frigido & largo potu aquæ. Diaphoretica nunquam corpori nocent. Sudor largior vel diæta vel medicamentis expressus semper nocet, mala, quæ inde surgunt, Illustris GAUB graphice delineavit, præ reliquis læduntur, quibus temperies sicca & calida est, aut qui qualicunque humorum spissitudine laborant, debiles, & illi quos febris tenet.

§. 53.

II. APOPHLEGMATIZANTIA.

Αποφλεγματισμὸς Veterum, Medici medii ævi *Apophlegmatizantia* dixerunt, medicamenta nimirum, quæ mucum in folliculis membranæ Schneiderianæ, aut viis aëreis hærentem eliciunt, &, ut vel per os, vel per nares eliminetur, efficiunt: pro varia ratione, qua adhibentur, & varia parte, unde mucum eliciunt, varias denominationes accipiunt, Ἔρῥινα dicuntur illa, quæ naribus excipiuntur, eadem Auctores superiorum Seculorum *Nasalia*, *Ptarmica* appellarunt; hæc ipsa ore committenda *Masticatoria*, *Sialogoga*, *Salivantia* audiunt, pituitam in viis respiratoriis hærentem

evocantia Βεχικὰ, *Expectorantia* vocantur. Agunt Apophlegmatizantia 1) mucum attenuando, huc itaque Attenuantia (Cap. VI.) pertinent 2) membranas relaxando & ita tam copiosiorem muci secretionem, quam faciliorem ejus ex folliculis secessum promovendo, præstant hoc Emollientia (Cap. III.) 3) hos ipsos folliculos irritando, id quod præstant Irritantia (Cap. IV.) 4) eosdem concutiendo sive per sternutationem, sive per solida ore agitata, 5) Hydrargyrum, quod justo majori dosi assumtum, humores in liquamen per vasa salivalia elabens fundit, hujus loci non est, nec huc pertinet, aquæ in os nauseantium, & eorum, qui in apposita fercula magno appetitu feruntur, affluxus. Indicantur Apophlegmatizantia a muco, aut heterogeneo in membrana Schneideriana aut viis aëris incommoda causantibus, 2) quando congestiones serosæ ad caput fiunt, 3) si rheumatismus in dentibus aut auribus obtinet 4) prophylaxeos scopo in morbis epidemicis aut contagiosis. Abusus sialogogorum producit mala ab Ill. GAUB recensita, Ptarmica irritantia ob magnas turbas, quas sternutatio in omnibus visceribus excitat, concussiones, quibus cunctos ventres agitat, & inde metuenda mala, apud Illustr. HALLER collecta, rarissime in usum trahuntur, nisi heterogeneum quid in sinibus hæret, aut validus cordi suffocato stimulus dandus est.

§. 54.

III. VOMITORIA.

Medicamenta, quæ canalem intestinalem evacuant, Veteres strictiore sensu καθαρτικὰ appellarunt, nec non φάρμακα, & illa additis vocibus ἄνω vel κάτω distinguebant, illa quæ efficiunt, ut contenta ventriculi per os rejiciantur *Vomitaria*, & Recentiores

Emetica dixerunt. Surgere vomitum, dum ventriculus multum diſtenditur, æque ac dum validiorem a qualicumque ſtimulo irritationem patitur, Phyſiologi evincunt; iidem demonſtrant, ſub vomitu non modo ventriculum per ſuas fibras contrahi, ſed eundem quoque valide a diaphragmate & muſculis abdominalibus comprimi, his itaque motibus reſpirationem turbari, refluxum humorum ex encephalo morari, vaſa vertebralia æque ac arterias carotides & venas jugulares multo ſanguine turgere, circulationem intendi, ſyſtema nervoſum agitari: hæc præmonenda eſſe duxi, ut tam indicantia, quam contra indicantia Vomitoriorum, clarius paterent.

§. 55.

Indicantur itaque Vomitoria, tam ab heterogeneis, quæ in ventriculo, aut inteſtino duodeno obtinent, quam ab humoribus tenacibus in triplici ventre cum difficultate motis, & varium morbi genus efformantibus, hinc magnis Practicis ad ægritudines a vitiata bilis elaboratione oriundas, laudantur, nec non ad pituitoſos pectoris morbos; effuſum in caput ſanguinem inde reſorptum BOUDU expertus eſt, cæcitatem a preſſo nervo optico, & aliam a materie tineæ repulſa curatam, GEISLER vidit. Quia vomitus ſine valida omnium corporis partium concuſſione non poteſt fieri, hinc plethoricis, morbis inflammatoriis laborantibus aut qui ad illos proni ſunt, hæmorrhagiis ſubjectis, cum ſubſtantia primarum viarum ulcus habet, aut ulcera viſcera depaſcuntur, debilibus, hypochondriacis aut hyſtericis, in lipothymiam pronis, male configurato thorace aut cranio inſtructis, Vomitoria nunquam, aut ſaltem nonniſi cum maxima circumſpectione ſunt exhibenda, nec ob auctam inde diaphragmatis & muſculorum abdominalium in viſcera abdominis preſſionem, gravidis, procidentiis aut herniis,

niis laborantibus, aut eis, qui calculum in ſyſtemate biliario aut uropœo habent, ea dare licet; eos quoque, qui nonniſi validioribus nixibus vomunt, & quos ideo dyſemetos appellare ſolent, ipſa Natura ab uſu emeticorum excludere videtur; eadem denique etiam exulare debent, cum alvus pertinacius clauſa, & hinc motus periſtalticus vitiatus eſt.

§. 56.

Ad duas claſſes optime Emetica referuntur 1) ea, quæ ventriculum, eundem diſtendendo, ſubvertunt, 2) ea, quæ ventriculum evidenter irritando, ut præter modum naturalem ejus fibræ ſe contrahant, efficiunt. Prima claſſis aquam, lac, olea unguinoſa comprehendit, & in uſum trahitur, quando venena acria ventriculum rodunt, ut iſta, & obtundantur, & ſine augmento ſtimuli eliminentur: ventriculum irritando, quæ vomere faciunt medicamenta, ſive mechanice agunt, eo agitatio faucium, ope inſtrumenti ſolidi, pertinet, & excutia ventriculi, quæ exolevit, illam homines, cum nauſea valde urget, digitis faucibus immiſſis, interdum tentare ſolent, id quod Medici vix ſuadent, ſive ſtimuli phyſici ſunt, & hi denuo ſive evidenti, qua pollent, acrimonia agunt, ſive vi ſpecifica.

Vomitoria, quæ irritando agunt, ſi exhibentur doſi adeo parca, ut vomitum non excitent, ſed ad vias ſecundas tranſeant, validos effectus reſolventes edunt, & in vario graviſſimorum morborum genere cum magno ſucceſſu dantur.

I. Acria (§. 41.)

II. Specifica.

* Asarum, Ἄσαρον, *Cabaret*, *Haſelwurzel.* Radices & Folia recipiuntur.

Radices ex uno capite, quod parvum eſt, aliquot fibrillas emittunt, extus ſubfuſcæ ſunt, intus albæ, pro-

prio minus grato odore, qui ad Valerianam accedit, & ſapore acri gaudent.

Folia reniformia ſunt, ſuperne profunde viridia, inferne tenui lanugine pubeſcunt, longis petiolis ſuſtentantur, odore nullo, nec evidente ſapore prædita.

Asarum. Corollam trifidam, duodecim ſtamina, ſtylum unum, capſulam ſexlocularem habet: *Europæum* BLACWELL 383. foliis reniformibus obtuſis diſtinguitur.

Creſcit per omnem Europam.

Aqua a radicibus deſtillata odorata eſt, odorum quoque Extractum aquoſum. SCHEFFLER.

Vi purgante illi, qua Helleborus albus gaudet, pari præditum eſſe, DIOSCORIDES monet, hujus virtutis non meminit GALENUS, FALLOPIUS lentiſſimæ operationis eſſe dicit, MESUE in infuſo ad unciam dimidiam, in ſubſtantia ad drachmas duas dedit, Recentiores vix ultra drachmam aſcendunt: MATTHIOLUS teſtatur, Germanos decocto Aſari febres curare, id quod RULANDUS & LENTILIUS obſervationibus quoque confirmant, ALEXIUS ſpecifice ad quartanum commendat, & ei plures aſſentiunt, ego vero, juſta obſervatione hanc virtutem ſpecificam ſtabiliente deſtitutus, illud præ aliis Emeticis in hoc morbo aliquid proprii habere, vix credo, minoribus doſibus datam radicem, aut longiore coctione debilitatam, egregie reſolvere, obſervatum eſt; RULANDUS & SCHEFFLER hydropicos inde viderunt curatos; patet hinc, cur virtutes ejus diaphoreticas, diureticas, emenagogas celebrarint Auctores. Folia ad octo uſque ex aqua cocta & expreſſa poſt DODONÆUM ROLFINCK commendat: eadem primus PITT Pharmacopœus Worceſtrienſis ſcopo errhino in uſum traxit, teſte COLBATCH, eorum grana quatuor aut quinque haurienda ſi dantur cubitum ituris, altero mane mul-

tum muci ex naribus effluxurum promittit, id ipſum ſe ſæpe expertum eſſe GEOFFROI teſtatur, idem etiam hac ratione paralyſin oris & linguæ ſe vidiſſe ſanatam perhibet, eodem medicamento DESMARS ulcus capitis per nares evacuatum obſervavit.

* *Extractum* Wurtemb. * *Tinctura* Pariſ.

* BRYONIA, *βρυώνια*, *Vitis alba*, *Couleuvrée*, *Zaunrübe.* Ejus radices proſtant, quæ ad bracchii imo femoris craſſitiem accedunt, recentes proprio odore minus grato gaudent, qui autem exſiccatione perit, ſapore intenſius amaro cum quadam acrimonia, extus flavicant, ſtriis longitudinalibus & circularibus aſperæ, intus albæ, caro exſiccata evidenter ſtriis eminentibus ex medulla tanquam centro ad peripheriam ductis & variis circulis ſectis compoſita eſt, laxior, fungoſa.

BRYONIA. Habitu relativo mox monophyto, mox diphyto, corolla quinquepartita, ſimili calice ſuſtentata, ſive iſanthera, ſive monogyna, bacca uniloculari gaudet: *Alba* L. BLACWELL 37 & 533. foliis palmatis, rigidis, undique pilis ſcabris diſtinguitur.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Extracti aquoſi $\frac{5}{8}$, reſinoſi ultra $\frac{1}{6}$ NEUMANN inde obtinuit; CARTHEUSER illius etiam $\frac{5}{8}$, hujus $\frac{1}{16}$.

Veteres, turiones Bryoniæ in uſum cibarium receptos fuiſſe, perhibent, ſed non veri ſpecie caret DODONÆI conjectura, PLINIUM, GALENUM, DIOSCORIDEM &c., Vitim albam cum Viti ſylveſtri, quo nomine *Tamus* L. apud eos venit, confudiſſe. HIPPOCRATES, Bryoniam ad injectiones & ſuffitus uterinos adhibuit, GALENUS intus reſolvendi ergo contra obſtructiones viſcerum abdominalium, extus abſtergendi,fine in morbis cutaneis commendat; HERCULES SAXONIÆ radice, ad drachmam unam in ſubſtantia

data, deploratiſſimum hydropicum vidit curatum, ARNOLDUS DE VILLA NOVA obſervationem habet de quodam epileptico, quam Bryonia ſanavit, id quod etiam REUSNER circa aliquot pueros annotavit. Medicamento vehementi & nauſeoſo rarius hodie utimur, interdum reſolvendi & abſtergendi ſcopo, extus exhibetur.

* *Fæcula* ANGEL. SALÆ ipſa Bryonia integra reputatur mitior eſſe: * *Extractum* Auguſt. *Syrupus* Brandeburg. ad aliquot drachmas datus valide videtur reſolvere.

* ELATERIUM, ἐλατήριον, *Eſelskürbſenſaft*. Eſt ſuccus, cujus nonniſi fæculam Veteres receperunt, & hinc vireſcentem habebant, is cum hodie, ad dictum MESUE, vulgari ratione inſpiſſatus proſtet, nigricat, & ſapore amaro gaudet, in quo ego ſaltem inſigniorem acrimoniam non potui detegere.

Momordica Elaterium L. BLACWELL 108. defectu cirrhorum agnoſcitur.

Creſcit in Europa Meridionali, in noſtris hortis, ſeminibus ſponte ſparſis ſeſe continuat.

HIPPOCRATES Elaterii tanquam medicamenti ſurſum & deorſum purgantis meminit, hæc ejus vis Veteribus adeo nota fuit, ut etiam omnia medicamenta, primas vias evacuantia, ἐλατήρια appellaverint, ad evacuandum uterum quoque ab HIPPOCRATE æque ac GALENO laudatur, hic illud quoque extus reſolvendi ergo, nec non ptarmico ſcopo, commendat; ejus inſignem in hydrope curando efficaciam LISTER, REUSNER, EVERHARD, S. PAULI obſervationibus probare contendunt, ſed hunc effectum cum omnibus validioribus evacuantibus videtur communem habere, & cum hodie evictum ſit, hydropis curam minus bene draſticis tentari, hinc ad hunc morbum quoque, nonniſi in refracta valde doſi, reſolvendi potius, quam evacuandi ſcopo adhibetur. Veteres larga quantitate illud exhibuerunt, EVERHARD,

ad drachmam dimidiam uſque ſine noxa exhibitum fuiſſe, perhibet, vix ultra tria grana hodie ejus doſis extenditur.

* *Mel Cucumerinum* Pariſ.

* FRANGULA Recent. *Bourgêne*, *Faulbaum*, *Zapfenholz*. Recipiuntur ejus cortices mediani ſive libri, qui flavicantes ſunt, ſapore non acri, ſed leviter auſtero inſtructi, cui veſtigium amari accedit.

Rhamnus Frangula L. BLACWELL 152. Habitu inermi & foliis integerrimis diſtinguitur.

Habitat in omni Europa, præter maxime Meridionalem.

MATTHIOLUS corticem alvum ducere dicit, DODONÆUS vomitus & ſeceſſus, ſed nonniſi a recenti cieri aſſeverat. Doſin ad drachmas duas ſolent determinare. De medicamento, circa quod nulla juſta obſervatio mihi ſaltem nota eſt, nihil audeo decidere. Extus unguentis ad ſcabiem interdum adjicitur.

* GRATIOLA Rec. *Gratia Dei* Barb. *Gottes Gnaden Kräutel*. Folia exhibet oblonga, ſenſim anguſtata, uncialia, venoſa, integerrima, amara.

GRATIOLA. Corolla monopetala gaudet, ſtaminibus quatuor, quorum duo ſterilia ſunt, calice in plures lacinias ſecto, capſula biloculari: *Officinalis* L. BLACWELL 411. Floribus pedunculatis & foliis lanceolatis diſtinguitur.

Paſſim in Europa temperata occurrit.

Extracti aquoſi $\frac{5}{32}$, ſpirituoſi $\frac{1}{4}$ largitur. BOULDUC.

Communis fere eſt Auctorum conſenſus circa validam, qua hæc planta gaudet, vim: GESNER in ſe ipſo expertus eſt, eam ad ſcrupulum unum in ſubſtantia aſſumtam, non ſine moleſtia vomitu & alvo purgare, ad vermes & aſciten ejus efficaciam ſe expertum eſſe, teſtatur BOULDUC, aſcitem ea curatam HELWICH adducit, hypercatharſin inde ſuſcitatam BÜRCKEL annotavit, antiquatam, inertem eſſe Ill.

LINNÆUS tradit; radicem ad ſcrupulos duos exhibitam in modum Ipeçacuanhæ agere KRAMER aſſeverat.

* *Extractum* Pariſ.

GUMMI GUTTÆ Recent. Eſt gummireſina, quæ in magnis fruſtis ad nos adducitur, nitida, extus ex croceo flaveſcens, odore nullo, ſapore leviter reſinoſo gaudet, dum mordetur dentibus aliquam tenacitatem ſiſtit.

CAMBOGIA L. BLACWELL 392. Corollam tetrapetalam habet, ſimili calice ſuſtentatam, polyantheram, monogynam, pomum octoloculare.

Creſcit in China, Camboia & Ceylon.

Tam ſpiritus vini, quam aqua, maximam ejus partem diſſolvunt, ſed aqua non parum ejus, quod diſſolverat, denuo dimittit, alcali acuata hac menſtrua, omne recipiunt & colore ſanguineo inde tinguntur. LEWIS: Extracti ſpirituoſi $\frac{7}{8}$, aquoſi $\frac{1}{16}$ obtinuit NEUMANN. Præter acidum etiam urinoſum ſpiritum ſub ejus deſtillatione obſervavit CARTHEUSER.

Hoc medicamentum CLUSIO anno 1603 miſſum, & Indos illo ad evacuandos aquoſos humores uti, relatum fuit, LOTTICHIUS, qui anno 1626 proprium de eo tractatum edidit, plures ſui ævi Medicos adducit, qui eodem cum ſucceſſu ad hydropem, arthritidem, aſthma &c. fuerunt uſi. HOECHSTETTER, ejus virulentiam ſpiritu vitrioli corrigi, contendit, Wurtembergenſes acetum adhibent, alia alcalia laudant, prudens adminiſtratio vel hic optimum corrigens eſt. CLUSIUS apud Indos quindecim ad viginti grana dari aſſerit, HOECHSTETTER vel pueris ad grana tria dedit, hodie adultis non ultra decem grana propinamus.

* HELLEBORUS ALBUS, ἑλλέβορος λευκός, *Veratrum*, *weiſse Nieswurzel.* Adhibentur ejus Radices, quæ cylindroideæ ſunt, tuberculis obſeſſæ, fibrillarum, quas dimiſerant, reliquiis, oblongæ, ſapore non multum acri, ſalino, cum veſtigio amari inſtructæ, extus gryſeæ, intus albiſſimæ.

VERATRUM. Corollam hexapetalam irregularem habet, isantheram, trigynam, capsulam triplicem: *Album* L. BLACWELL 74. Racemo paniculato & floribus erectis agnoscitur.

Crescit in Europa temperata, in Silesiam usque ascendit.

Extracti aquosi $\frac{7}{12}$, spirituosi $\frac{7}{16}$ NEUMANN obtinuit; Extracti aquosi debilissima acrimonia acredine instructi $\frac{1}{2}$ fere, spirituosi $\frac{3}{8}$ fere CARTHEUSER.

Quoties Ἐλλέβορον HIPPOCRATES simpliciter præscribit, semper album intelligendum esse, contendit GALENUS, eundem *Melampodium* Veterum esse, SCHULZ evincit. FUCHSII auctoritate, nostram plantam, pro Helleboro albo assumi, cum ex Veteribus non erui possit, qualem hoc nomine intellexerint, TREW monet. Has radices brutis venenum esse, WEPFER & HERISSANT experimenta probant, violentissimum vomitum inde motum FALLOPIUS vidit, hypercatharses, affectus encephali, non raro mortem FORESTUS, DOBOLENSKY, GRASSUS, MURALTO, LEDELIUS, LENTILIUS, WINTER, REIMANN, BORRICHIUS, LORRY &c. plures adhuc, qui deleterios harum radicum effectus viderunt, Auctores, collegit Illustris HALLER: nullus itaque dubito cum eximio hoc Viro dicere: "in tanta copia tutiorum medicamentorum nollem veneno uti," si quis tamen illud adhibendi sat audaciæ haberet, nunquam scrupuli dimidii dosin excedat; solet etiam ad pulveres sternutatorios a quibusdam recipi, sed illis nonnisi minima ejus ratio admiscenda est, ne nimia sternutatio, &, quæ istam excipere solent, mala surgant; unguentis contra pediculos non male adjicitur.

IPECACUANHA. Est Radix aliquot pollices longa, linea vix crassior, varie flexa, substantia extus nigricante grysea, intus albissima instructa, in rugas circulares prominentes efformata, quæ nervum fili-

formem leviſſimum luteum ambiunt, ad ſaporem ſalinum accedit, ego nec lentorem in ſapore, nec amaritiem poſſum diſtinguere,

Viola Ipecacua L. foliis ovato oblongis, hirſutis diſtinguitur.

Creſcit in America Meridionali.

Num Ipecacuanha gryſea POMET, quæ craſſitie duarum ſeu trium linearum, & colore dilute fuſco gaudet, ab ea, quam deſcripſi, quæ eſt *Fuſca* POMET, & quam cum LEMERY & LEIBNITIO optimam dicit eſſe, ſola patria differt? hæc enim ex Braſilia, illa ex regno Peruviano ad nos adducitur, nil decidere auſus, id ſaltem monendum puto, *Ipecacuanham albam*, cujus apud Auctores mentio fit, radicem ſarmentoſam eſſe, a genuina diverſiſſimam.

$\frac{5}{32}$ Extracti ſpirituoſi, $\frac{7}{16}$ Extracti aquoſi GEOFFROI inde ſeparavit; LEWIS Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$, ſpirituoſi $\frac{3}{16}$; NEUMANN Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{16}$, Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$ fere; CARTHEUSER vero Extracti aquoſi $\frac{3}{8}$, Extracti ſpirituoſi $\frac{1}{7}$.

Primus PISO hujus Radicis mentionem fecit, GRAS Medicus anno 1672 ejus aliquid in Europam adduxit, & alicui pharmacopolio Pariſino intulit, anno 1684 paſſim in tabernis Europæis obtinuit, teſte ſcheda, quam ſeplaſiarii divulgarunt, a WEDEL conſervata. Circa annum 1690 quidam mercator magnam harum Radicum quantitatem cum Pariſios advexiſſet, majorem quæſtum ut faceret, ſocium ſibi HELVETIUM junxit, qui LUDOVICO XIV perſuaſit, ut juberet copioſe cum iiſdem in noſocomiis fieri experimentum, *inde cum fuerit relatum, eadem ſucceſſiſſe indiſcriminatim, in omnibus omnino ægrotis diarrhœa, fluxu ſanguinis & dyſenteria laborantibus, cum præterea Comes Archiatrorum* DAQUIN *multa experimenta & ſumſerit ipſe & per alios ſumi curaverit, quæ omnia eundem prorſus ſucceſſum habuerunt*,

ſunt ipſa Edicti Regii verba, quod nobis LEIBNITIUS conſervavit, una cum hiſtoria, cujus ſynopſin ſiſto: Rex, inquam, cui civium ſalus ſemper commendatiſſima erat, HELVETIUM larga pecuniæ ſumma donavit, & ut publice ægrotantibus hoc medicamentum venderet, juſſit, mercator ægre ferens HELVETII remunerationem, Ipecacuanham aliis quoque Medicis æque ac Pharmacopolis conceſſit, factum eſt inde, ut vulgatum evaderet medicamentum, quod pro more Seculi ſibi ſoli voluit reſervare HELVETIUS, teſte GROSJEAN apud KOENIG; illo tempore doſis medicamenti Ludovico aureo vendebatur. TOURNEFORT apud POMET teſtatur, nullum proſtare medicamentum tam certo & tam cito quam Ipecacuanha curans, & primus gryſeam tanquam mitiorem præferendam eſſe monet: WEDEL plures obſervationes adducit de egregio ejus in dyſenteria uſu, & multas addit, ubi vi ſua emetica etiam in aliis morbis egregie profuit, GOHL, STOSCHIUS & BERGMANN eandem multis dyſentericis cum ſucceſſu ſe dediſſe perhibent, SCHEUCHZER in dyſenteria anni 1728 virtutem ejus expertus eſt laudatiſſimam, nonnullos ſola hac radice curavit BUCHNER, KRAMER in multis millibus militum ejus efficaciam eſt expertus, mirabiles in dyſenteria Neomagienſi effectus edidit, DEGNER teſte, incantamenti inſtar ſæpe intra unius diei ſpatium dyſenteriam curare, aſſeverat GEOFFROI. Evincunt hæ obſervationes, quibus vel plures adhuc potuiſſent adjici, Ipecacuanham eximium ad curandam dyſenteriam medicamentum eſſe, num autem ſpecifica quadam vi agat, ut vulgo ſolent credere, num illi modo opem ferat, quæ a ſordibus ſuſtentatur, & num illam unice curet, ſordes, ejus cauſam, e corpore eliminando, nondum confectum eſt, id autem conſtat omnino, alia emetica in alvi fluxibus tempeſtive exhibita magnæ virtutis eſſe.

obſervationibus probante KRAMER, & in dyſenteriis, a ſordibus non excitatis, Ipecacuanham ſine ſucceſſu adhiberi, imo etiam in reliquis, eam ſolam ad curam crebro non ſufficere, experientia creberrime evicit. Caveant ſaltem Medici, ne ſe magnifico ſpecifici titulo patiantur ſeduci, ut medicamentum vomitum excitans exhibeant, quando inflammatio inſtat, ſive jam præſto eſt, quicquid etiam de leni ejus indole venditent, iſta tamen nunquam poterit impedire, quin fiant ea, quæ ratio mechanica vomitus non poteſt non cauſari GEOFFROI, grana ſex perbelle vomitum excitare, monet, & grana decem non minus valide, quam quos ſcrupulos operare, PYE copioſiſſimos caſus adducit, ubi duo grana in omni ætate aliquot vomitus excitarunt, ego creberrime etiam ſum expertus, quod grana decem vel quindecim æque valide ventriculum ſubverterint, quam grana triginta. Illuſtris PRINGLE ratio optime mihi, vomitoria nunquam niſi partitis doſibus exhibenda eſſe, reputanti, placet, qui ſingulis horis Ipecacuanhæ grana quinque præbet, uſque dum vomitus ſurgat, & hunc ut plurimum poſt tertiam doſin ſecutum fuiſſe, monet. Cum magno ſucceſſu exiguæ ejus doſes contra Hæmorrhagiam Uteri dantur.

§. 57.

IV. PURGANTIA Barb. καθαρτικὰ ſenſu ſtrictiſſimo ſunt medicamenta, quæ excretionem alvinam crebriorem reddunt. Eorum ope eliminantur non modo ſordes, quæ in primis viis hærent, ſed etiam humores canali cibario inquilini, imo cum eidem tres magni Aortæ inferioris rami proſpiciant; hinc hujus canalis excretione aucta, etiam ſordes ipſi maſſæ humorum inhærentes, ſive in eadem generatæ fuerint, ſive per vaſa reſorbentia eo delatæ, e corpore eliminantur. Quam ſchola, præeuntibus HIPPOCRATE & GALENO, de propriis ſubſtantiis, proprios

humores attrahentibus & per alvum ducentibus, colebat hypotheſin & ortam inde diſtinctionem Purgantium in *Hydragoga*, *Phlegmagoga*, *Melanogoga*, quibus media ætas *Panchymagoga* adjecit, ſanior Phyſiologia jam diu expunxit; ſed majoris momenti eſt diſtinctio in *Cathartica Mitia*, *&* *Fortiora*, illa GALENI ætate ἐκκοπρωτικὰ dicebantur, medio ævo *Minorativa*, *Lenitiva*, *Benedicta* appellata. Purgantia optime diſtingui videntur pro varia, qua in primas vias agunt, ratione: quædam vi, qua gaudent, ſaponacea, inquilina æque ac peregrina, in primis viis hærentia, diſſolvunt, attenuant & leni ſtimulo canalem cibarium ſollicitant, hæc licebit *Eccoprotica* appellare; alia contenta primarum viarum attenuant, & eas evidentius, quam priora ſtimulant, hæc cum Recentioribus *Digeſtiva* nominamus; ſunt præterea alia, quæ alvum ducere experientia evincit, qua ratione agant nondum clare liquet, *Specifica* omnibus hactenus dictis fortius irritant alia, & id, ratione reſinæ, quam vehunt, præſtant, hæc *Reſinoſorum* nomine veniunt.

§. 58.

Indicantur Purgantia, ab heterogeneis in primis viis hærentibus, iſta ſi acria ſunt, præter Eccoprotica, non conſultum eſt alia purgantia exhibere, ſi viſcidam indolem habent, Digeſtiva ſunt exhibenda; ſed purgantia quoque in uſum trahenda, cum heterogenea in maſſa humorum obtinent, imo cum in remotioribus quoque a primis viis viſceribus, humores præter naturam collecti ſunt (§. 57.), pro hoc ſcopo, ſi per reliquas ægroti circumſtantias licet, validiora ut plurimum ſolent in uſum trahi; interdum etiam uſus catharticorum per aliquot dies continuandus, ut vitioſum paulatim educatur, & non

una modo vice exhibitum purgans, ſive non ſatis evacuet, ſive nimis debilitet, hanc evacuandi rationem, quæ fit per continuatum catharticorum uſum, præeunte GALENO, per Επίκρασιν fieri, dicere ſolent; ſed nec male purgantia adhibentur, quando impetum humorum a ſuperioribus ad inferiora revellere conſultum ducimus, & tunc illa frequentiſſime ſub forma Enematum ano injicimus, ſed nec intus data, ſpem fruſtratura facile liquet.

§. 59.

Cum Purgantia ſine diſcrimine quicquid in inteſtinis hæret, aut ad ea ex omni corpore confluit, ejiciant, hinc locum non habent, cum vires multum proſtratæ ſunt, aut fluidorum ratio in maſſa humorum deficit; nec ea quæ evidentius irritant exhibere licet, cum topicum quoddam in primis viis obtinet vitium, aut ex morbi, qui adeſt, indole conſtat, irritabilitatem fibrarum in univerſum auctam eſſe, nunquam ideo in febrium paroxyſmis eadem licet exhibere, hinc Græci & Romani, qui noſtra Eccoprotica ignorarunt, non auſi fuerunt purgantia in febribus acutis exhibere; Reſinoſa, cum ſtimulus, quem excitant, propius ad illum, quo vomitoria inteſtina ſollicitant, accedat, hinc creberrime vomitum excitant, nec ea licet exhibere, cum vomitoria exulare jubentur (§. 55.), cum etiam circulationem ſub eorum uſu intendi, compertum ſit, hinc ab eis in febribus continuis omnino eſt abſtinendum.

a. ECCOPROTICA.

CASSIA FISTULA Barb. Eſt Siliqua cylindroidea rectiſſima interdum, interdum incurva, quæ pedis circiter longitudinem æquat, unciam craſſa, ex ſpadiceo

nigra, lignoſa, fragilis, intus multis ſeptis tranſverſalibus diſtincta, quæ in ſuperficie externa tanquam totidem circelli eminent, inter ſepta hæret medulla nigra, ad mellis conſiſtentiam accedens, ſapore dulci inſtructa, & cui ſemina ſubrotunda, dura, fulva, nitida innidulantur. Adducunt etiam non raro ſiliquas rugoſas, craſſiore putamine veſtitas, medullam acriorem includentes, has Occidentales eſſe, GEOFFROI tradit, ſed MONARDES & RUMPH teſtantur, Americanas, ex Inſulis ſancti Dominici & S. Johannis de portu divite, Orientalibus præſtare; Belgas nullam Caſſiam ex India in Europam vehere, & omnem, quæ ab aliquot retro annis Maſſiliam venit, ex Inſula Martinica afferri, relatum accepi. In univerſum ſiliquas multum rugoſas, acri aut qualicunque alieno ſapore inſtructa medulla fœtas, nec non eas, quarum ſemina, dum concutiuntur, ob deficientem medullam, reſonant, rejiciendas eſſe præcipiunt.

CASSIA. Corollam pentapetalam irregularem habet, calice quinquefolio ſuſtentatam, diploſantheram, monogynam, fructum oblongum, diſſepimentis diſtinctum.

Fiſtula BLACWELL 381. Foliis quinque vel ſeptem jugatis, ovato-acuminatis & petiolis nudis diſtinguitur.

Creſcit in Æthiopia, Ægypto, India, China & inſulis Philippinis, ab Hiſpanis in Americam tranſplantatam fuiſſe, teſtatur MARTYR apud SLOANE.

Pulpa tam ab aqua, quam a ſpiritu Vini diſſolvitur. NEUMANN.

Primi Arabes noſtrum medicamentum in uſum traxerunt, ACTUARIUS primus illud Caſſiam dixit, pulpa ex ſiliquis exemta & a ſeminibus liberata, tanquam mitiſſimum medicamentum, exhibetur, nec male in minori doſi illis datur, quibus alvus tarda eſt, eandem etiam ſpecifice in renes agere, ſunt qui

contendunt; urinam inde tingi experientia non confirmat. Dosis pulpæ est ad uncias duas vel tres, ea cum majori aquæ quantitate diluenda est, ne in primis viis fermentet & flatus excitet, illis, quibus modo animus est, alvum apertum servandi, ad unciam unam vel drachmas sex exhibetur.

* *Electuarium Diacassiæ cum Manna* Nostrat. Medicamentum eccoproticum, quod ad uncias duas & ultra potest exhiberi: *Pulpa Cassiæ* SCHROEDER ope sacchari conditur, ut ætatem ferat, Parisini illam *Cassiam coctam* appellant, & ipsi varia adjiciunt.

MANNA ab Arabibus *Man* dicta, est Succus inspissatus albus, cujus frusta variæ figuræ & magnitudinis nobis afferuntur, evidenti dulcedine instructus, odoris expers, totus in aqua & spiritu Vini solubilis.

Varia ratione Mannam solent distinguere, mitto distinctiones secundum arborum, unde colligitur, genera; nec non illam, una in spontaneam & coactam, quam *Forzata* vel *Forzatella* appellant, solent dividere; porro eam, qua Mannam in foliis collectam, ab illa, quæ a truncis abraditur, distinguunt, illam *di Fronde*, hanc *di Corpo* denominant; illam denique, qua pro varia quam habent figura, in *grumosam*, en *Marons*, *bombycinam* & *granulatam* solent distinguere, hæ omnes enim distinctiones hodie in commercio ignorantur. Solent autem hodie quatuor genera Mannæ in officinis asservare: *Canellatam*, *Mannam longam* Paris. quæ frustis purissimis aliquot pollices longis, unum circiter latis, una facie concavis & ita in figuram canalis actis, unde denominationis ratio surrexit, efformatur; *Vulgarem*, *Mannam granulosam* Paris. quam frusta variæ magnitudinis, figuræ, crassitiei constituunt, dimidium circiter pollicem crassa, plus minus sordibus inquinata, ea, quo minus humida, magis alba & pluribus granis cylindraceis

efformata eſt, eo reputatur melior, hanc ipſam pro varia patria denuo diſtinguunt, optima habetur ad Giraci Calabriæ ulterioris urbem lecta, hanc illa de Capachi, Siciliæ urbe, proveniens excipit, ad hanc proxime accedit Calabrina & ea, quæ in Neapolitana provincia Apulia colligitur, nec non a tractu Maremna in Ducatu Florentino deſumta, minus alba eſt a Ciaqui denominata, quæ a Sineſi nomen habet, ſordida eſt & in majores maſſas concreta, ea autem, quam Romandiola Romagnæ largitur, facile aceſcit: ex Manna vulgari grana magis alba & majora ſeligere, & ſub nomine *Mannæ Electæ* aſſervare ſolent: *Mannam Craſſam*, *Mannam ſpiſſam & ſordidam* Pariſ. denique talem appellant, quæ magis ab albo colore recedit, evidentius ſordida eſt, multum humet, ita, ut quoque interdum paſtæ conſiſtentiam habeat, ſurgit ſive ex antecedentibus ſenio vel aliis rationibus corruptis, ſive evidenter ex ſaccharo vel melle, quibus aliquid Mannæ, non raro etiam Scammonei adjiciunt, arte parata eſt, hinc omnino ex officinis proſcribenda.

Exſudat Manna ex variis *Fraxini* L. ſpeciebus, ſumma æſtate, & inde deraditur, aëre pluvioſo, vel paucam vel nullam arbores fundunt, hinc meſſes pluvioſo cœlo preſſæ parcæ ſolent eſſe, ut Mannam Canellarum obtineant, ex arboris cortice ſolent fruſta exſcindere, eorum locum ſuccus exſudans occupat, & in vulneris figuram efformatur.

Aliæ quoque arbores ſuccum dulcem, in grana alba concreſcentem, ſolent largiri, is quoque ſub nomine Mannæ venit. *Hedyſarum Alhagi*, Perſiæ civis, *Mannam Perſicam* largitur, valde ſordidam, &, teſte TOURNEFORT, Fraxinea omnino inferiorem, *Pinus Larix* L. & aliæ arbores coniferæ ex foliis *Mannam Lariceam*, *Briguntinam*, *de Briançon* exſudant: *Manna liquida*, quam in Arabia & Syria obtinere

Auctores Seculi XVI retulerunt, hodie ignoratur omnino.

Medicamentum non ingratum, quod primi Arabes arti nostræ intulerunt, cum ſine irritatione agat, in omni morborum genere, in topicis quoque primarum viarum vitiis, cum catharſis indicatur, ſine ullo periculo poteſt dari, ejus ope in febribus acutiſſimis, in ipſa quoque dyſenteria, corpus ſordibus poſſumus liberare, idem medicamentum, minori, quam qua alvum movet, doſi exhibitum, ad maſſam humorum penetrat, vi ſua ſaponacea ſpiſſos humores attenuat & acres demulcet, hinc in morbis pectoris cum ſucceſſu ſolet præſcribi.

Datur ad uncias tres uſque pro doſi, ſed cum ex ſuo genio facile fermentet, hinc multa aqua dilui debet, nec male ipſi aliquod medicamentum carminativum adjicitur, ut flatus præcaveantur. Id denique adhuc addo, Mannam cum aqua coctam, dum refrigeratur, conſiſtentiam ſolidam induere.

Electuarium ſeu Pulticula de Manna Noſtrat. Infantibus pro educendo meconio exhibetur, Wurtembergenſes eidem, non malo conſilio radices ireos adjiciunt: *Manna liquida* SCHROEDER, non placet Mannam in fermentationem proniſſimam, diutius ſolutam aſſervari: *Syrupus de Manna* ECKHOLZ a Wurtemberg. varia ratione mutatus, ob Folia Sennæ, quæ recipit, Manna validius, & non ſine irritatione purgat, datur infantibus, in primo ætatis anno verſantibus, ad unciam unam.

PASSULÆ vid. *Fruct. horr.*

PRUNA vid. *Fruct. horr.*

ROSARUM PALLIDARUM FLORES v. *Roborantia.*

SACCHARUM THOMÆ vid. *Reſolventia.*

TAMARINDI Rec. Hoc nomine ad nos adducitur Pulpa nigra, ſapore acido inſtructa, cui varia filamenta & ſemina ex rotundo angulata, ſpadicea, nitida commixta ſunt.

Reji-

Rejicitur exſucca, quæ ſitum contraxit, carne prunorum adulterata.

Deſumitur pulpa ex fructibus.

TAMARINDI L. BLACWELL 201. Corolla tripetala, calice tetraphyllo ſuſtentata, iſanthera, monogyna, legumine oblongo, compreſſo, cum acumine obtuſo, ad ſemina toroſo, duplici cortice veſtito, exteriore ſicco, interiore membranaceo, inter utrumque pulpa molli inſtructo, gaudentis.

Indiæ, Ægypti, Arabiæ nec non Americæ, quo tranſplantata fuit, civis; pulpa ex America allata minus ſordida & minus acida eſt.

Etiam hoc medicamentum Arabibus debemus; ob indolem, qua gaudet, ſaponaceam eccoproticis rectiſſime adſcribitur, & ad tres uſque uncias exhibetur; ob evidentius, quo ſcatet, acidum, in morbis acutis maxime & bilioſis cum magno fructu datur, ſive aliis eccoproticis junctum, ſive largiori lactis quantitati adjectum, quod inde in Serum, his morbis maxime appropriatum, vertitur; Tamarindi mannæ adjecti ejus flatulentiam egregie moderantur, & efficiunt ut minus facile vomitum excitet.

* *Electuarium Tamarindorum* HORSTII, inconcinna compoſitio: *Pulpa Tamarindorum* SCHROEDER, non placet medicamentum coctione & ſaccharo debilitatum.

β. *DIGESTIVA.*

Huc pertinent Aquæ amaræ & Salia, quæ ex iis parantur (§. 21.) indicata.

γ. *SPECIFICA.*

ALOE, ἀλόη. Eſt Succus inſpiſſatus niger, proprio & nauſeoſo odore inſtructus, ſapore gaudens amaro, cum aliqua acrimonia: pro varia, qua gaudet, puritate varie denominatur, purior & propius ad rubedinem accedens, a *Succotra* ſive *Socotara*, inſula ad

Arabiam felicem ſita, nomen accepit; magis flaveſcens *Aloes Hepatica* dicitur; carbonacea nigredine inſtructa, arida, minus odorata *Caballina* vulgo appellatur: hanc Aloes diſtinctionem Arabes invexerunt, cum apud Veteres duplex modo ejus genus, unum quod hepatis colorem habet, & alterum quod fæcem refert, occurrat.

Aloe. Corollam ſexfidam habet, iſantheram, monogynam, capſulam triangularem & trilocularem: *Perfoliata Vera* L. Blacwell 229. foliis ſpinoſis, maculatis, planis, & habitu cauleſcente diſtinguitur.

Creſcit in Europa Meridionali, Aſia & Africa.

Succus ex foliis expreſſus inſpiſſatur, pro varia ejus depuratione, varia etiam ratione qua inſpiſſatur, variam puritatem induit, & ita eundem ſuccum plurimum differentes Aloes ſpecies poſſe exhibere, evidens eſt.

Vix non tota in aqua ebulliente diſſolvitur, ſed menſtruo refrigerato, multum reſinæ inde ſecedit. Succotrina $\frac{1}{4}$ reſinæ, $\frac{3}{4}$ Extracti aquoſi largitur; Hepatica $\frac{1}{3}$ reſinæ, Extracti aquoſi $\frac{2}{3}$; Caballiua reſinæ $\frac{1}{6}$, Extracti aquoſi $\frac{3}{4}$. Lewis. Neumann ex Aloe $\frac{15}{16}$ Extracti reſinoſi, $\frac{7}{8}$ circiter Extracti aquoſi obtinuit. Extracti aquoſi fere $\frac{5}{8}$ Cartheuser.

Leniter ab Aloe ventrem duci, Galenus docet, & ventriculum roborari addit, eandem vulnera & ulcera abſtergere & ad cicatricem perducere; ſed monet ſimul, eandem in temperie ſicca & calida noxiam eſſe. Edit in univerſum validas vires reſolventes, & in obſtructionibus viſcerum abdominalium cum ſucceſſu uſurpatur, ſed valide præterea in vaſa ſanguinea agit, ita ut Borrichius mictum cruentum inde ſurrexiſſe viderit, maxime in hæmorrhoidalia, quæ, Mesue jam monente, & Fallopio plurimis exemplis confirmante, inde irritari, experientia evicit, qua teſte etiam novimus, a principio reſinoſo maxime hunc effectum cauſari, hinc ſemper Extractum aquoſum, ab omni reſina liberum, loco integræ Aloes ad uſus internos

adhibendum eſt; medicamentum reſolvens & amarum cum ſucceſſu quoque vermibus opponi, ÆGINETÆ facile largimur; ejus vis antiſeptica etiam a vetuſtiſſimis retro temporibus nota eſt.

Scopo purgandi ad duas drachmas, ſcopo reſolvendi autem ad ſcrupulum unum præſcribitur.

Extus cum ſucceſſu ad arcendum ſphacelum adhibetur, & obſervante FORESTO, ad lippitudinem.

* *Aloes Inſuccata* Wurtemb. * *Aloes lota* Wurtemberg. * *Aloes Roſata* FALLOP. * *Aloes Violata* Wurtemb. Hæc quatuor ſunt extracta aquoſa Aloes, ubi per adjectos ſuccos vegetabiles Aloes caliditatem corrigere tentarunt medii Ævi Auctores: * *Aqua generalis* Pariſ. ratione farraginis ingredientium, optime Theriaca liquida dicenda: * *Aqua Ophthalmica* Noſtrat. ad lippitudinem conducit: *Balſamum Commendatoris* de PERNE polychreſtum ad vulnera leviora medicamentum: * *Balſamum* FIORAVENTI vulnerario quoque ſcopo adhibetur: * *Balſamum Viride Metenſ.* vid. *Cuprum*: * *Electuarium de Hierapicra* a GALENO tanquam ab aliis uſitatum deſcribitur, ipſe vult, ut ad nonaginta partes Aloes quinque Croci & ſex reliquorum aromatum recipiantur, a Veteribus crebro ad obſtructa viſcera abdominalia uſurpabatur, hodie ad clyſmata interdum adhibetur: * *Collyrium Roborans* Pariſ. viribus ad aquam ophthalmicam accedit: * *Elixir Proprietatis* PARACELSUS deſcribit, & pro more ſuo extollit, ſed reticet menſtruum; CROLLIUS illud ſpiritum Vini & Acidum Vitrioli eſſe contendit, eum plures ſequuntur, Pariſini ſolum ſpiritum Vini recipiunt, & cum adjiciunt ſpiritum ſulphuris, medicamentum * *Elixir Proprietatis cum Acido* appellant: Spiritus vini inde juxta HELMONT deſtillatus, * *Elixir proprietatis album* dicitur & ſi ante deſtillationem varia aromata addita fuerunt, & ſpiritus deſtillatus edulcoratur, ſurgit claretum, quod * *Elixir*

de Garus Parisini appellant: BOERHAAVE loco acidi Vitriolici, sive acetum recipit, sive tartarum tartarisatum, surgunt ita * *Elixir Proprietatis cum Acido* BOERHAAVE & *sine Acido* EJUSDEM, si oleum Tartari per deliquium adhibetur, ad præcepta MAETS, *Elixir Proprietatis dulce* exoritur; omnia hæc Elixiria resolvendi & roborandi ergo ad vitia digestionis corrigenda commendantur, BOERHAVIO quoque laudata, cum autem multum calefaciant & maxime sanguinem hæmorrhoidalem commoveant, hinc inter nos saltem parcius cum eis erit mercandum: si ingredientia Elixir Proprietatis cum aqua, sale alcali fœta, extrahuntur, *Elixir Aperitivum* CLAUDER surgit, antecedentibus omnino præferendum, Hamburgenses principiis Elixir Proprietatis Rhabarbarum & Salem Tartari adjiciunt, Vinum generosum pro menstruo adhibent, & ita * *Elixir Proprietatis Rhabarbarinum* parant, in quo Wurtembergenses Alcali spiritum salis substituunt: *Elixir Proprietatis* HELVETII, tincturam Tartari pro menstruo, & aliquid olei Cinamomi recipit: * *Emplastrum contra Vermes* Wurtemb. validiora drastica habet, caute adhibendum: *Extractum Aloes* VAL. CORD. ut obtineatur ab omni resina plane liberum, nonnisi aqua frigida præparandum est: * *Extractum Catharticum* Londin. multum resinosum, datur ad grana quindecim, ejus in locum inter nos propinare moris est *Extractum Catholicum*, quod $\frac{4}{7}$ Aloes, $\frac{1}{7}$ Extracti Hellebori nigri, $\frac{1}{14}$ Colocynthid. $\frac{1}{9}$ circiter resinæ Jalappæ & totidem resinæ scammonii vehit: * *Extractum Marocostinum* vid. *Costus*: *Extractum Panchymagogum* CROLLII correct. Wurtemb. propius ad Augustanos, Nostrates ad ZWOELFFER accedunt, ex purgantibus resinosis & specificis consarcinatum medicamentum ad scrupulum unum pro dosi præscribitur, ex eodem in spiritu vini dissoluto surgit * *Elixir Polychrestum Hallensium*,

quod ego ſaltem noſtris hominibus commendare nollem: * *Flores Sulphuris compoſiti* inconcinni: * *Opiata Meſenterica* Pariſ. inconcinna: * *Pilulæ Aloëticæ emollientes* Pariſ. non placent: * *Pilulæ Aloëphanginæ* earum dimidium Aloë, reliquum omne genus aromatum, Myrrha, Maſtyx, Crocus &c. efformant: * *Pilulæ Angelicæ* ſeu *Francofurtanæ*, ad imitationem earum, quarum ope FABRICIUM AB AQUAPENDENTE vegeta ſanitate uſque ad octuageſimum ſecundum ætatis annum perveniſſe dicitur, & quarum parandi ratio in familia Zſchorſchanorum latuit, ab HARTMANN BAYER Medico Francofurtano concinnatæ, ad drachmam dimidiam pro doſi ſolent dari: * *Pilulæ Aperientes* STAHL limaturam Martis recipiunt, in affectibus hypochondriacis non ſpernendæ, aperiendi ergo ad ſcrupulum unum poſſunt exhiberi: *Pilulæ de Ammoniaco* vid. *G. Ammoniacum*: * *Pilulæ Aureæ* NICOL. abſurda compoſitio, quæ Aloës & Diagrydii de ſingulis $\frac{1}{4}$, Trochiſc. Alhandal. $\frac{2}{19}$ vehit, ad drachmam dimidiam uſque poſſunt exhiberi: * *Pilulæ Cachecticæ* Wurtemberg. ad obſtructiones viſcerum abdominalium & menſium reſerandas proficuæ eſſe videntur: *Pilulæ Cephalicæ* KUFFER, & * illæ quas Wurtembergenſes habent, in affectibus capitis ſeroſis, evacuandi fine præſcribuntur, neutræ placent, dantur ad drachmam dimidiam: * *Pilulæ Chalybeatæ* vid. *Ferrum.* * *Pilulæ Cochiæ* RHASIS, ipſiſſimis RHASIS verbis a Noſtratibus receptæ, parum a Pariſinis mutatæ, inconcinnæ omnino, ad drachmam dimidiam purgandi fine dantur: * *Pilulæ Emanuelis* Auguſt. formantur ex ſpeciebus Elixir Proprietatis: * *Pilulæ fœtidæ majores* MESUE abſurda compoſitio circiter $\frac{1}{48}$ radicum Eſulæ, $\frac{1}{11}$ Colocynthidis, $\frac{1}{70}$ Euphorbii, $\frac{1}{19}$ Diagrydii habent: * *Pilulæ de Hiera cum Agarico* JUNGKEN jure eviluerunt: * *Pilulæ Hydropicæ* BONITII $\frac{1}{5}$ circiter G. Guttæ & $\frac{1}{7}$ Diagrydii habent, exhibentur ad

drachmam dimidiam, magis placet præſcriptio Pariſienſium, quæ Gummi Guttæ $\frac{1}{3}$ continet: * *Pilulæ Lucis majoris*, Wurtembergenſium compoſitio, compendioſior eſt illa, quam MESUE dedit, nec tamen ab ipſa aliquid proprii ad curandos oculorum morbos expecto: * *Pilulæ Maſtychinæ* vid. *Maſtyx*: *Pilulæ Polychreſtæ balſamicæ*, pilulis obſtructiones viſcerum abdominalium aperientibus, & maxime menſium & hæmorrhoidum negotio proſpicientibus, magnam famam comparavit BECCHER, plures dein Medici Germani, STAHL, HOFFMANN, RICHTER ejus veſtigiis inſiſtentes, talibus pilulis auctoritatem fecerunt, & ſuo quæſtui conſuluerunt, earum compoſitionem arcanam ſervando; variæ præſcriptiones illis analogæ hodie proſtant, Noſtrates illam, quam BURGHARD publicavit, receperunt, reliquis omnino præferendam, Pariſini & * *Pilulas balſamicas* STAHL, & * *Pilulas balſamicas* BECCHERI habent, Noſtrates * *Pilulas Polychreſtas* evidenter balſamicis inferiores adhuc retinuerunt: dantur Pilulæ polychreſtæ balſamicæ ad grana quindecim pro doſi, & earum uſus per ſeptimanas continuatur: * *Pilulæ* ſeu *Extractum Rudii* proxime ad Extractum Panchymagogum accedunt: * *Pilulæ* RUFI, ab ÆGINETA, qui formulam RUFI deſcribit, differunt Londinenſes & Pariſini, pilulas EMANUELIS hoc nomine tradunt: * *Pilulæ ſine quibus* apud NICOLAUM occurrunt, abſurda compoſitio, ſine qua omnino eſſe poſſumus: * *Pilulæ Solares* WILDEGANS. vid. Opium: * *Pilulæ ſpleneticæ* Wurtemb. non ineptæ ad vitia ſyſtematis venæ portarum videntur eſſe: * *Pilulæ ſtomachicæ* MESUE: *Pilulæ de ſuccino* vid. *Succinum*: * *Suppoſitorium* Brandeburg. *Tinctura Aloës* Viennenſ. a Chirurgis ſcopo mundificandi adhibetur, ex ejus uſu interno facile diarrhœas excitari, Cl. PLENCK annotat: * *Tinctura Proprietatis* MYNSICHT inconcinna compoſitio: *Unguentum de Arthanita* vid. *Cy-*

clamen : * *Unguentum ad Vermes* Wurtemb. antecedente & emplaſtro cognomine mitius.

* CARTHAMUS Barb. κνίκος, *Cnicus* Veterum, *Safran batard*, *Safflor*. Flores & Semina recipiuntur.

Flores aſſervantur calice exempti, tubuloſi, rufi, eminente columna antherarum flava, odoris nullius, aquam, cum qua infunduntur, rubro colore tingunt, & ipſi ſaporem ſalinum conciliant.

Semina oblonga ſunt, uno extremo craſſiore, rufeſcente, altero anguſtiore, quatuor angulis diſtincta, alba, ſplendentia, nucleum album dulcem, in quo ego ſaltem nil acris detegere poſſum, includunt.

CARTHAMUS. Florem compoſitum, tubuloſum habet, calicem ex ſquammis foliaceo appendiculo acutis imbricatum, receptaculum piloſum, ſemina nuda: *Tinctorius* L. Foliis ovatis, margine ſerrato aculeatis diſtinguitur.

Sponte in Ægypto creſcit, hodie paſſim per Europam colitur.

Color, quem aqua ex floribus extrahit, ope acidorum pulcherrime roſeus fit, quo lintea tinguntur, qui autem injurias aëris non fert.

Cnicum Veteres purgandi ergo, teſte GALENO, adhibebant, multa etiam apud Arabes de ſeminum Carthami vi alvum ducendi mentio fit, eorum ſucceſſores ad unciam unam ſub forma emulſionis illa exhibuerunt, hodie prorſus eviluerunt, nec perſpicio, quomodo medulla omnino dulcis alvum multum commovere queat, num planta in Oriente creſcens ſemina acriora ſubminiſtrat, quam illa, quæ in Europa colitur?

* *Electuarium de Carthamo* ARNOLDI DE VILLANOVA: * *Extractum Diacarthami* ANDERNACI, utrumque medicamentum inconcinnum eviluit.

COLOCYNTHIS, κολοκυνθὶς. Proſtat hoc nomine Pulpa rotunda, variæ magnitudinis, quæ non raro

ad pugnum accedit, candida, ſicca, fungoſa, levis, ex multis cellulis efformata, quibus ſemina compreſſa, oblonga, flavicantia, modice amara inhærent, ſapore gaudet amariſſimo, acri, fauces adurente.

Cucumis Colocynthis Blacwell 441. foliis multifidis & pomis globoſis diſtinguitur.

In Archipelago & Syria occurrit.

$\frac{1}{2}$ Extracti aquoſi viſcidi largitur. Lewis. $\frac{1}{16}$ Extracti ſpirituoſi, $\frac{1}{11}$ circiter Extracti aquoſi Boulduc inde obtinuit: Neumann Extracti ſpirituoſi $\frac{7}{32}$ & aquoſi $\frac{15}{32}$; Extracti aquoſi fere $\frac{1}{2}$ ſpirituoſi $\frac{1}{6}$ Cartheuser.

Pulpam Colocynthidis fortiter alvum ducere, & paulo majori doſi exhibitam adeo valide agere, ut graviſſima tormina excitet, & ipſum ſanguinem ex vaſis inteſtinalibus exprimat, Hoyer, Stalpart van der Wiel, Tulpii & Plater obſervationibus patet. Græci & Arabes ad duos ſcrupulos uſque ejus doſin extenderunt, hodie nonniſi ſtimuli loco pilulis ad aliquot grana adjicitur; cum ejus virulentiam a tenacitate, qua gaudet, pendere creditum fuerit, hinc eandem cum mucilagine Tragacanthæ ſubigi juſſit Mesue, & in Trochiſcos, quos *Alhandal* dixit, efformari, ſub hoc nomine hodie adhuc ejus pulvis proſtare ſolet.

Extus ab Hippocrate utero ulcerato injiciebatur, convenienti vehiculo excepta a quibuſdam, ſcopo anthelmintico, umbilico infantum imponitur, aut ad drachmas tres, enematibus, quibus validius ſtimulare volumus, adjicitur.

* *Extractum aquoſum* Zwoelffer: * *Extractum ex aquoſo & ſpirituoſo mixtum* Wurtemberg. * *Oleum compoſitum* Gruling abdomini illinitur, cum vermes obtinent, aut in pertinaciore alvi obſtructione: * *Reſina* Zwoelffer.

* CUSCUTA Barb. ἐπίθυμον, κασύτας, *Cassuta* Barb. *Epithymum*. Hoc nomine aſſervantur Filamenta longa, tenerrima, variis tuberculis obſeſſa, ſapore leniſſime acriuſculo inſtructa.

CUSCUTA. Corolla quinquefida, ſimili calice ſuſtentata, iſanthera, digyna, fructu carnoſo, biloculari gaudet: *Europaea* L. BLACWELL 554. floribus ſeſſilibus diſtinguitur.

Planta paraſitica, variis herbis adnaſcens, unde olim varie denominata fuit, inter nos creberrime variis Euphorbiæ ſpeciebus adhærens occurrit.

Vires purgantes, ipſi a Veteribus adſcriptæ, hodie negliguntur, cum certiora & efficaciora purgantia habemus.

* CYCLAMEN, κυκλάμινος, *Tuber Terræ*, *Pain de pourceau*, *Schweinbrod*. Radices ſiſtit tuberoſas, ſphæroideas, leviter depreſſas, foris nigricantes, intus candidas, fibris nigris inſtructas, inodoras, ſapore in recentibus cum quadam acerbitate acri, in exſiccatis fere nullo gaudentes.

CYCLAMEN. Corollam monopetalam quinquefidam, cujus limbus deorſum flexus eſt, iſantheram, monogynam, & baccam globoſam habet: *Europæum* L. BLACWELL 147. foliis cordatis diſtinguitur.

Creſcit in Europa Orientali & Meridionali.

HIPPOCRATES & GALENUS Cyclamen tam interne, quam externe, ſcopo reſolvendi exhibuerunt, radix a variis Auctoribus catharticis annumeratur, id quod quidem de recenti, vix de exſiccata valet. Doſin in ſubſtantia ad drachmam unam, in infuſo ad unciam dimidiam ſolent extendere, incertum medicamentum non amplius adhibetur.

* *Unguentum de Arthanita* MESUE. Plura medicamenta draſtica recipit, umbilico illitum vermes necat & alvum ducit, medicamentum draſticum apud infantes maxime, quibus tamen præcipue commen-

datur, nonnisi maxima cum circumspectione auderem exhibere.

HELLEBORUS NIGER ἑλλέβορος, *schwarze Nieswurzel.* Radices largitur, quae ex crasso capitulo copiosissimas fibrillas, aliquot pollices longas, emittunt, extus nigras, intus albas, nullo odore, sapore leniter acerbo instructas; nec recenter ex terra effossae, multum odoris habent.

HELLEBORUS. Corolla pentapetala, polyanthera, nectariis multis, capsulis quinque aut sex gaudet: *Nigra* L. BLACWELL 506. scapum pauciflorum & folia pedata habet.

In Pyreneis & Apenninis crescit, apud nos passim in hortis colitur.

Extracti aquosi $\frac{1}{3}$, Extracti resinosi $\frac{1}{5}$ largitur. LEWIS: Extracti aquosi $\frac{3}{8}$, Extracti spirituosi $\frac{1}{8}$ NEUMANN. Utraque adeo firmiter cohaerent, ut semper conjuncta ab utroque menstruo extrahantur.

Veteribus Helleborum in frequenti usu fuisse, neminem latet & eos, quoque eundem tanquam medicamentum multum commovens adhibuisse, sed Majorum monumenta circa Elleborum evolventi probe observandum est, eos crebro non modo album intelligere, sed & diversissimarum plantarum radices sub nomine Hellebori nigri ipsis venire, cui addendum, ejusdem plantae radices, ratione variae patriae, varium virium gradum habere, Helveticas radices hellebori nigri validiores esse, quam Anglicas, GEOFFROI est expertus, easdem in Oriente cultas a nostris diversas & eis validiores esse TOURNEFORT testatur; hinc vix patrum observata de viribus Hellebori ad nostras radices licet applicare. Id autem, experientia teste, novimus, radices, quas descripsi, alvum ducere, & quidem cum quadam vehementia, gaudere praeterea, si minori dosi dantur, eminente vi resolvendi, MEAD, illas vix unquam spem

in reſerandis menſtruis feſelliſſe, teſtatur, hodie ſolæ, aut in ſubſtantia, vix dantur, ſed adjiciuntur ſtimuli loco infuſis laxantibus.

Dantur in infuſo ad drachmas tres.

Extractum VAL. CORD. datur ſcopo purgandi ad drachmam dimidiam: * *Syrupus de pomis helleboratus* vid. *Malum*: * *Tinctura Hellebori compoſita* Wurtemb. eſt *Tinctura Melampodii* BATEI parum mutata, quæ ad drachmam unam pro doſi maniacis commendatur: * *Tinctura Martis Helleborata* WEDEL vid. *Ferrum*.

* HERMODACTYLUS, Ἑρμοδάκτυλος ÆGINET. Hodie hoc nomine proſtat Radix ad figuram triangularem accedens, utrinque contracta, una facie plana, ſulco longitudinali notata, altera convexa, extus flavicans, intus alba, friabilis, odoris & ſaporis expers.

Affertur ex Turcia.

Nil certi de planta, unde deſumitur, audeo proferre, cum *Iris tuberoſa* L. quam MATTHIOLI fide plurimi huc referunt, radices digitatas a noſtra diverſiſſimas habeat, *Colchici Illyrici* autem character, unde a RAUWOLFF deſumi dicitur, nondum determinatus ſit.

Extracti reſinoſi $\frac{1}{11}$ circiter, ultra $\frac{1}{4}$ aquoſi exhibuit NEUMANN.

Cum ipſa vox, qua Veteres ſuas radices denominarunt, eas oblongas fuiſſe denotet, noſtræ autem potius rotundæ ſunt, nulla etiam fida obſervatio proſtet, noſtras radices alvum ducere, imo ALPINUS teſtetur, mulieres plures earum in modum caſtanearum, ut pingues evadant, comedere, ſine ulla alvi perturbatione, hinc male vires, quæ Veteres Hermodactylis adſcripſerunt, a noſtris radicibus expectamus, jure omnino ex indice medicamentorum delendis.

IRIS vid. *Aromata*.

LILIUM CONVALLIUM vid. *Aromata*.

PERSICI FLORES vid. *Fructus horæi.*

PEUCEDANI RADICES vid. *Resolventia.*

POLYPODII RADICES vid. *Resolventia.*

* PSYLLIUM, ψύλλιον. Ejus recipimus Semina, quæ a figura *Flohsaamen, Herbe aux puces*, appellantur, sunt enim oblonga, nigra, convexo-concava, præterea odoris & saporis expertia, sub dentibus lentescunt.

Plantago Psyllium L. BLACWELL 412. Caule ramoso, herbaceo & foliis dentatis distinguitur.

In Europa Meridionali sponte crescit.

Spiritum Vini, cum hoc semine infusum, acrem fieri, LEWIS tradit: Mucilaginis siccæ $\frac{1}{8}$ inde obtinui.

Semen evidenter mucilaginosum, nonnisi mucilaginosas & relaxantes videtur vires editurum, & tales quoque GALENUS inde pollicetur; Arabes demum & quidem ex theoria magis, quam ex observatione idem medicamentis purgantibus adscripserunt, hinc jam FALLOPIUS asseverat: *hoc semine nullum doctum virum ad lubricandam alvum usum esse*, & si quis hodie ejus adhuc obtinet usus, is unice circa mucilaginem demulcentem, relaxantem, refrigerantem versatur.

* *Electuarium de Psyllio* MESUE. Inconcinna compositio.

RHABARBARUM, ῥῆον, ῥᾶ. Est Radix, quæ sub majorum frustorum forma ad nos adducitur, extus flava, intus in modum Nucis Myristicæ variegata, odore proprio & sapore amaro, cui aliquid austeri accedit, instructa.

Frusta, quorum flavedo vestigium rubri admittit, & quorum rubedo, qua intus variegantur, ad colorem roseum accedit, & quæ ponderosa sunt, reliquis præferuntur.

Rhabarbari & Rhapontici primus ÆGINETA meminit; post renatas in Europa litteras valde solliciti fuerunt Auctores in detegendo Rheo Veterum, sed

omnes quas adduxerunt radices, evidenter a Rheo DIOSCORIDIS diverſæ ſunt, quippe quod nigrum, fungoſum & inodorum fuit. Radices, ſub nomine Rhabarbari ex Oriente allatas, deſumi a planta, quam CRASSUS RAGUSINUS ſub initia Seculi XVII ex Thracia accepit, fuerunt, qui contendebant; eſt autem ea

RHEUM, Corolla ſexfida irregulari inſtructum, enneanthera, trigyna, ſemine nudo triquetro, marginato: *Rhaponticum* L. foliis integris & ſubtus ſulcatis gaudens.

Thraciæ civis, noſtras hyemes optime ferens.

Cum autem has radices a vero Rhabarbaro, figura oblonga, luteſcente magis colore, nec non odore & ſapore viderint differre, hinc eas *Rhaponticum* appellarunt; ipſis vulgo ſubſtituere ſolent radices.

Rumicis Obtuſifolii L. foliis cordato-oblongis, crenatis & valvulis dentatis, graniferis inſtructi, in Europa minus frigida & in Boruſſia adhuc occurrentis:

Hujus plantæ in Sibiria creſcentis radices *Rhaponticum Moſcoviticum* largiri, GMELIN teſtatur, ſunt illæ Rhapontico vulgari craſſiores, magis rotundæ, intus pulchrius variegatæ, extus minus luteæ.

Cum ſemel receptum fuit, radices extus flavicantes, intus rufeſcentes, amaro & quodam auſtero ſapore inſtructas, pro ſuccedanis veri Rhabarbari habere, hinc monachi Carthuſiani & Franciſcani, TRAGI temporibus, radices *Rumicis Aquatici* L. BLACWELL 490. valvulis integerrimis nudis & foliis cordatis anguſtis diſtinguendi, vulgatiſſimæ per Europam plantæ, pro *Rhabarbaro* adhibuerunt, hoc ut a reliquis diſtingueretur, a *Monachis* denominarunt: alii eodem nomine, teſte LOBELIO, radices *Rumicis Patientiæ* L. BLACWELL 262 & 489. valvulis integerrimis, unica granifera, foliis cordatis inſtructi, Italiæ indigeni, noſtræ hyemis patientis, deſignabant, ſed

eodem nomine etiam alii radices *Rumicis Alpini* L. valvulis integerrimis nudis & foliis cordatis obtusis distincti, Galliæ & Helvetiæ indigeni, nec non *Centaureæ Rhaponticæ* L. calicibus siccis inermibus, foliis ovato-oblongis, petiolatis, tomentosis gaudentis, Alpium Helvetiæ & Italiæ civis indigitarunt.

Varium hinc *Rhapontici* & *Rhabarbari Monachorum* nomine prostat plantarum genus, quarum radices colore extus sive nigricante, sive lutescente, figura oblonga, odore nullo, sapore evidenter alieno a Rhabarbaro vero differunt.

Cl. HOPE fide constat, verum Rhabarbarum desumi a *Rheo palmato* L. quod foliis palmatis distinguitur, & abhinc aliquot annos in Anglia & Palatinatu colitur. Ulteriora experimenta docebunt, num plantæ in Europa cultæ radices omni dote cum illis, quas Asia alit, conveniant. GMELIN testis oculatus refert, Rhabarbarum verum nullum ad Wolgam fluvium aut ad murum, ut vulgo afferi solebat, crescere; sed omne in China & ipsi vicina regione Tangutica, inter 26 & 39 gradum latitudinis borealis obtinere, inde per Calmuccos & Calmuccicos Bucharos, qui itinera, mercaturæ ergo, secundum Wolgam fluvium instituunt, in Siberiam & Russiam duci, magnæ Buchariæ incolas illud per omnem Persiam venale circumferre, unde ad portus Maris Mediterranei venit, Bucharos Sinenses autem idem per omnem Chinam, Cantonum usque ducere, patet hinc Chinense, Persicum & Russicum Rhabarbarum semper idem esse.

Ex Rhabarbaro Extracti aquosi $\frac{1}{2}$ fere GMELIN obtinuit: Extracti spirituosi $\frac{3}{8}$, aquosi $\frac{3}{7}$ NEUMANN, qui quoque optime annotat, a partibus volatilibus omnem virtutem catharticam pendere; ultra $\frac{1}{2}$ Extracti aquosi adducit CARTHEUSER: Ego inde $\frac{1}{2}$ Extracti aquosi & totidem resinosi separavi, quod autem

tot adhuc mucilaginis habuit, ut aqua illud ex ſpiritu Vini non dejecerit. Id præterea adhuc annotandum eſſe duco, Rhabarbarum, quo melioris notæ eſt, eo minus coloratam tincturam cum aqua largiri, & eo minorem Extracti aquoſi quantitatem.

Cum noſtrum Rhabarbarum a Rheo Veterum omnino differat, hinc quæ Veteres de hoc annotarunt, illi minus bene adſcribuntur; Primi Arabes noſtrum Rhabarbarum ad uſus medicatos adhibuerunt, & rectiſſime illud omni ætati, in omni morbo, tanquam mite purgans exhiberi poſſe, aſſeruerunt; MESUE quoque jam obſervavit, hanc ejus vim catharticam a principio volatili pendere, & eam coctione reſolvi; ſed Rhabarbarum non modo alvum ducit, ſed ſpiſſos quoque humores chylopoieticos, bilem maxime, attenuat & primas vias roborat, hinc tam ad obſtructiones abdominales reſerandas, quam ad vires digeſtionis roborandas, & ad ſiſtendos nimios alvi fluxus cum ſucceſſu adhibetur, cum autem ab eo, flavedine quoque urina tingi ſoleat, non raro etiam, obſervantibus MENZEL & TILLING, ſudor & odoratus & coloratus ſub ejus uſu ſurgat, hinc, quod & ad ſecundas vias penetret, evidens fit, & ad affectus renum, præeunte PARACELSO, a multis commendatur.

Doſis eſt ad drachmam unam in ſubſtantia, ad drachmas duas in infuſo.

* *Extractum* a MESUE ſub titulo Trochiſcorum deſcriptum, vix alias quam roborantes vires habet: * *Rhabarbarum toſtum* apud Arabes jam obtinuit, præparationem, qua Rhabarbarum vi purgante privatur & majori acrimonia inſtruitur, prudentiores hodie negligunt: *Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro* vid. *Cichoreum*: * *Syrupus de Rhabarbaro* DEODAT. priori poſtponendus: * *Tabellæ de Rhabarbaro* Pariſ. *Tinctura ſive Anima Rhabarbari* MESUE ad libram aquæ Wurtembergenſes unciam unam, Noſtrates

dimidiam recipiunt, ſalem Tartari ſine neceſſitate ſolent adjicere, medicamentum egregium, quod ſcopo roborandi, vias biliarias aperiendi, alvum leviter ducendi, per cochlearia exhibetur: * *Tinctura Rhabarbari compoſita* Edinburg. inde fruſtra Rhabarbari vires expectantur.

SAMBUCUS vid. *Reſolventia.*

* SPINA CERVINA Barb. *Nerprun*, *Kreutzbeer.* Exhibet baccas rotundas, quae majorum piſorum magnitudinem habent, nigrae ſunt, aliquot ſeminibus inſtructae & ſuccum fovent cum quadam adſtrictione acriuſculum, nauſeoſum, colore lurido, nigro, cum veſtigio viroris tinctum.

Rhamnus Catharticus L. BLACWELL 135. ſpinis terminalibus & floribus dioicis gaudet.

Occurrit in omni Europa, praeter maxime Septentrionalem.

Baccae exſiccatae ad uſus baphicos adhibentur, vix ad medicatos; ſuccus inde expreſſus, alumine acuatus & inſpiſſatus, modo ab Illuſtri DU HAMEL tradito, in pigmentum vertitur, quod *Saftgrün*, *Verd de Veſſie* appellant.

Syrupus domeſticus Auguſt. ad unciam unam datus alvum movet, hydropicis maxime, praeeunte SYDENHAM, commendatus: * *Rob* Pariſ.

VIOLARUM FLORES vid. *Fragrantia.*

δ. *RESINOSA.*

ACACIARUM FLORES vid. *Adſtringentia.*

* AGARICUS, ἀγαρικὸν, *Lerchenſchwamm.* Eſt ſubſtantia fungoſa, non raro in varia tubera diviſa, mox majore, mox minore volumine inſtructa, levis, nivea, digitorum affrictu friabilis & ipſis adhaerens, ſapore gaudet acri, amaro, nauſeoſo.

Reji-

Rejicimus massas ponderosiores & quæ non exquisita albedine gaudent, a Veteribus *Mares* apellatas.

Boletus fungus horizontalis, poris pertusus, *Pini Laricis* L. BLACWELL 477. habitu acauli, colore vario, poris difformibus gaudet.

Optimus ex Aleppo adducitur; ab eodem, officinis pharmaceuticis inferendo, cuticulam externam, diversi colorem auferre solent.

Exiguæ aquæ sunt in Agaricum vires, spiritus vini omnem ejus virtutem inde extrahit: Extracti spirituosi $\frac{3}{8}$ GEOFFROI accepit; $\frac{2}{3}$ Resinæ, Extracti aquosi ultra $\frac{5}{9}$ GMELIN; Extracti spirituosi $\frac{3}{9}$, $\frac{1}{11}$ circiter aquosi NEUMANN; Extracti spirituosi $\frac{1}{2}$ fere CARTHEUSER.

Purgantes vires Agarico esse GALENUS monet, & eum ad drachmam unam, tanquam eximium ad viscerum obstructiones reserandas medicamentum, commendat; vim purgantem tardam & debilem esse jam DIOSCORIDES annotavit, hodie solus nunquam datur, interdum stimuli loco aliis purgantibus adjicitur, cum alia cathartica habeamus certioris effectus, hinc eodem non male careremus.

Datur in substantia ad sesqui drachmam, in Infuso ad unciam dimidiam.

* *Extractum aquosum* VAL. CORD. * *Extractum resinosum*, præeuntibus Augustanis, Wurtembergenses recipiunt, & illud vi purgante admodum debili gaudere dicunt: * *Trochisci de Agarico* a MESUE, GALENO adscribuntur, sed jam MANARDUS locum reperire non potuit, cum nil proprii præ Agarico habeant, eviluerunt.

JALAPPA Recent. Hoc nomine ad nos adducuntur taleolæ, ut plurimum rotundæ, quæ thalerum circiter æquant, interdum etiam oblongæ, gryseæ, cortice nigricante, rugoso, substantiam gryseam, nigris striis variegatam cingentes, odore proprio nauseoso,

ſimilique ſapore, cui evidens acrimonia jungitur, inſtructæ.

Quo graviores ſunt, & quo plures ſtrias nigras habent, eo meliores.

Mirabilis. Corollam infundibuliformem, quinquefidam, plicatam, calice quinquefolio ſuſtentatam, iſantheram, monogynam habet, & nucem calici inhærentem: *Jalapa* Blacwell 404. floribus congeſtis, erectis diſtinguitur.

Creſcit in Aſia & America.

Primus Clossæus hanc ipſam eſſe genuinam Radicis Jalappæ plantam annotavit, id quod etiam eadem per aliquot annos inter nos culta evicit. Miller propriam Convolvuli ſpeciem adducit.

Gmelin $\frac{1}{5}$ reſinæ, $\frac{1}{6}$ fere Extracti aquoſi inde obtinuit; Neumann reſinæ ultra $\frac{5}{16}$, Extracti aquoſi vix $\frac{5}{16}$; Cartheuser reſinæ $\frac{1}{12}$, Extracti aquoſi $\frac{1}{2}$ circiter; Cl. Schaller reſinæ ultra $\frac{1}{4}$, Extracti aquoſi $\frac{1}{5}$, Ego reſinæ $\frac{3}{16}$: cum taleolæ evidenter diverſæ qualitatis ſint, hinc analyſes adeo inter ſe differre, non miror.

Sub initium Seculi ſuperioris hoc medicamentum ex Xalapa urbe Regni Mexicani, ſedecim leucis a Vera Cruce diſtante, in Europam fuit allatum & tanquam eximium medicamentum purgans, frequentiſſime a Medicis in uſum tractum, a Facultate Lipſienſi quoque apud Ammann tanquam medicina tuta commendatum. Evidenter effectum evacuantem ratione reſinæ, quam fovet, edit, quæ cum evidenti acrimonia gaudet, ut Wepfer in canibus vidit, & Boerhaave ex faucibus ab ea exulceratis concludit, hinc recte medicamentis fortioribus adſcribitur, cum autem taleolæ reſinam in diverſa ratione vehant, hinc circa juſtam ejus doſin determinandam in diverſas partes abeunt Auctores, & quæ a multis laudatur, ab aliis hypercatharſin excitaſſe eſt obſervata,

cautiores eam in ſubſtantia non ultra duos ſcrupulos exhibent, prudentiores plane non in uſum trahunt, ſed ejus loco præſcribunt, ob quam ſolam efficax eſt,

Reſinam: hæc mox, poſtquam ipſa radix in uſum trahi cœpit, parata fuiſſe videtur, cum Lipſienſes anno 1634 de eadem, tanquam medicamento noto, loquantur. Evidenter irritando agit, hinc facile nauſeam, vomitus, tormina excitat, nec convenit, ubi fibræ inteſtinorum ſtrictæ ſunt, graves quoque ſemper noxas cauſatur, niſi alicui ſaponi juncta, & ita aptata fuerit, ut a liquoribus inteſtinalibus recipi, & juſto tempore ex canali inteſtinali eliminari poſſit, parva enim etiam ejus portio, inter valvulas recepta, irritationem ſemper continuat, & ita non poteſt non hypercatharſin cauſari, non paucæ obſervationes proſtant de damnis ex ejus uſu excitatis, quarum plures BUCHNER & COI collegerunt. Infantibus, pueris & omnibus, quorum primæ viæ ſive mucum ſpiſſiorem, ſive torporem habent, cum ſucceſſu datur, nec imprudenti conſilio purgantibus mitioribus, ſi id ægroti rationes ſuadent, parca doſi, ſtimuli loco adjicitur. Infantibus a primo ad octavum ætatis annum tot grana dantur, quot annos habent, ab anno nono ad decimum quintum grana octo ad decem uſque exhibentur, apud adultos doſis nunquam ultra octodecim grana extendi debet. Id denique adhuc notandum eſſe duco, Pharmacopolas adſtringendos eſſe, ut ipſi hanc reſinam parent, cum ea, quæ apud ſeplaſiarios proſtat, creberrime ſive non rite ab extracto aquoſo liberata, ſive Colophonio ſophiſticata occurrat.

* *Extractum aquoſum & reſinoſum* commixta ZWOELFFER: **Morſuli purgantes* Wurtemb. $\frac{1}{7}$ circiter reſinæ vehunt: *Species Diajalappæ* MYNSICHT. **Specificum Jalappinum* Hafnienſ. nec hoc placet. *Diarydonium Jalappinum* VAL. CORD. *Diarydonium lucidum Jalappinum Argent.*

* MECHOACANNA Rec. Sub hoc nomine proſtant taleolæ figura & craſſitie ad illas, qua Jalappa adducitur, accedentes, illis etiam majores, ambit eas gryſeus cortex, ipſa autem ſubſtantia alba eſt, ſolida potius, quam fungoſa, non raro circulis diſtincta ad quos uſque interdum gryſeus corticis color penetrat, odore nullo, ſapore leviſſime dulci gaudent.

MONARDES primus ejus mentionem facit, & eam medio Seculi XVI primum in Europam adductam fuiſſe, & a provincia Regni Mexicani denominatam, tradit.

CONVOLVULUS. Corolla gaudet monopetala, campanulata, plicata, quinque dentata, calice quinquefido ſuſtentata, iſanthera, monogyna, capſula ſubrotunda: *Mechoacanna* L. BLACWELL 571.

Creſcit in America Meridionali.

Reſina, quam vehit, vix ad ſextam rationem ejus, quæ in Jalappa obtinet, accedere, teſtatur LEWIS. Extracti aquoſi acris $\frac{3}{8}$, reſinoſi $\frac{1}{48}$ vehit. CARTHEUSER. Medicamento, quod tarde & ſine ullo fere effectu agit, hodie vix ulterius utuntur Medici.

Doſis ſecure ultra tres drachmas poteſt extendi.

* *Extractum* aquoſum cum ſpirituoſo mixtum Wurtemberg.

PERSICORUM FLORES vid. *Fructus Horæi.*

* SCAMMONEUM, *σκαμμονία.* Eſt ſuccus concretus, qui in majoribus maſſis ad nos adducitur, ex gryſeo nigricans in pulverem gryſeum reducendus, odoris valde nauſeoſi & ſaporis evidenter acris.

Duo ejus genera vulgo proſtant, quæ pretio multum differunt: *Aleppenſe* nimirum & *Smyrnæum*, illud quod levius & magis gryſeum eſt, ab hoc ponderoſiore & multis ſtriis nigris, latis, ſplendentibus diſtincto differt: proſtat etiam interdum *Antiochenum* totum nigricans, multis foraminibus quaſi exeſum, evidenter empyreuma redolens. Aleppenſe paratur ad Ma-

raſch, itinere quatuor dierum ab Aleppo diſtans, teſte HASSELQUIST, SHERARD autem fidem facit, id, quod a Smyrna denominatur, ex Galatia & Cappadocia eo afferri.

Convolvulus Scammonea L. foliis ſagittatis, pedunculis teretibus bi- vel trifloris diſtinguitur.

Creſcit in Aſia Occidentali.

Autopta RUSSEL, quod hodie adhuc eadem, quam DIOSCORIDES narrat, ratione colligatur, refert: Junio nimirum menſe, caput radicis plaga obliqua vulneratur, ſuccus ex vulnere defluens lacteus, conchis, ſive propriis vaſis excipitur & ſole exſiccatur; ſuccus per duodecim horas ſtillat, & quælibet radix ejus vix aliquot drachmas largitur, eidem vix collecto, ruſtici farinam, cineres, ſabulum adjiciunt, idem Auctor autopta teſtatur, falſam eſſe, quam non pauci, DIOSCORIDE duce, alunt ſententiam, Euphorbium quoque addi.

Reſinæ $\frac{5}{8}$, Extracti aquoſi $\frac{1}{32}$ fere GMELIN inde obtinuit; ex Smyrnæo NEUMANN Extracti aquoſi $\frac{1}{2}$, ſpirituoſi $\frac{1}{3}$ ſeparavit.

Cum DIOSCORIDES, ſcammoneum nitidum & colore glutini ſimile eſſe, dicat & illud ad drachmam unam pro doſi præſcribat, MESUE in modum gemmæ clarum & boni odoris eſſe tradat, hinc valde metuo, noſtrum ab eo, quo Veteres utebantur, diverſum eſſe; Arabes primi ſcammoneum valide agere & facile turbas excitare annotarunt, hinc varia ratione ejus virulentiam corrigere tentarunt, eidem hodie prudenter minus nauſeoſam & mitiorem reſinam Jalappæ ſubſtituimus.

* *Diagrydium*, voce qua CÆLIUS AURELIANUS ipſum ſcammoneum denotat, labente ætate idem correctum, ut putarunt, indigitare in more habebant, *Cydoniatum* GALENI, *Glyzyrrhizatum* S. CLOSSÆI, *Roſatum* CROLLII, *Sulphuratum* COMITIS DE WAR-

WICH in Indicibus medicamentorum occurrunt, cum omnes hæ correctiones nullius usus sint, hinc non male ut plurimum Pharmacopolæ Scammoneum pulverisatum hoc nomine asservant: *Pulvis Cornachini* est medicamentum COMITIS DE WARWICH, etiam *Pulvis de tribus* nec non *Cerberus triceps* solet appellari, a CORNACHINO proprio tractatu Florentiæ 1619 impresso descriptus, Nostrates non male Diagrydio resinam Jalappæ substituerunt, frequentissimi olim usus erat, datur ad drachmam dimidiam: * *Resina Scammonei* ANGEL. SALÆ, ipso Scammoneo magis acris esse dicitur, hinc prudentes ab ejus usu desistunt.

SENNA Recipiuntur Folia & Fructus, quos Folliculos dicunt.

Folia sunt ex ovatis oblonga, nervo longitudinali distincta, fine acuto terminata, læte viridia, cum vestigio flavedinis, proprio odore nares feriunt, sapore amaro, nauseoso, cui aliquid acris junctum est, gaudent, talia a Medicis *Alexandrina*, a Mercatoribus *de la Palte* dicuntur, a vectigalis genere, quod omnes merces Cairo illatæ, Præfecto urbis pendere tenentur, *Apalto* dicto.

Rejicienda sunt *Tripolitana*, Alexandrinis majora, tota viridia, & obtusa, nec non *Italica*, obtusa & magnis venis distincta, *Mochana* quoque angustiora, longiora, acutiora, hæc tria genera Alexandrinis etiam minus odorata sunt.

Folliculi sunt Legumina ovata, compressa, viridia, plura semina oblonga includunt, odore nullo, sapore salino, levissime folia referente, amaritie nulla gaudent, hujus generis folliculi quoque *de la Palte* dicuntur, illis, quos a *Tripoli* denominant, omnino præferendi, qui minores, minus virides & multo nigro & ruso colore inquinati sunt.

Caſſia Senna L. tribus vel quatuor paribus pinnarum ſubovatarum diſtinguitur.

Creſcit in India & Ægypto ſuperiore.

Extracti ſpirituoſi $\frac{3}{10}$, aquoſi ultra $\frac{1}{2}$ NEUMANN, CARTHEUSER Extracti aquoſi $\frac{1}{4}$, reſinoſi $\frac{1}{8}$ fere ex foliis obtinuerunt.

Primus SERAPIO hujus medicamenti meminit, Arabes & non pauci Reſtauratorum Artis noſtræ Folliculos Foliis præferendos eſſe ſuaſerunt, FRANCISCUS ALEXANDER crebrius obſervavit, Folliculos Foliis magis alvum ſubduxiſſe; MANARDUS Folia Folliculis præfert, & hunc plurimi ſunt ſecuti, optime ALEXANDER & COSTÆUS rem videntur decidiſſe, Folliculos nimirum rite collectos Foliis omnino præſtare, iſtis autem utique inferiores eſſe, ſi vetuſtate fuerint exſiccati & colore vivido privati; laudanda itaque Gallorum induſtria, qui Folliculorum uſum denuo revocarunt, a foliorum nauſeoſo odore & ſapore immunium, & multo minus quam folia tormina excitantium. Ex eo, quod folia tormina cauſantur, ea ratione partium reſinoſarum agere colligimus, minus bene itaque vulgo medicamentis eccoproticis adſcribuntur. Stipites illis intermixti inſigniter torminales ſunt, hinc ſemper cautiſſime inde ſeparandi. Denique adhuc probe retinendum, nec Folia nec Folliculos coctionem ferre.

Folia æque ac Folliculi ab uncia dimidia ad drachmas ſex pro doſi dantur, ſub forma infuſi aquoſi, minus bene a quibuſdam in ſubſtantia præſcribuntur.

**Extractum aquoſum* VAL. CORD. iners: * *Species pro Ptiſana Regia* Argent. pro infuſo per epicraſin laxante olim in multo uſu erant.

*TURPETHUM Rec. Hoc nomine in officinis proſtant Cortices digiti circiter longitudine & latitudine, lineam craſſi, ſtriis longitudinalibus nigris, reſinoſis notati, extus dilutius fuſci, intus magis albicantes, ſtriis

nigris resinosis distincti, sapore nullo præditi. Interdum ipsæ Radices prostant, seu frusta radicum, plures pollices longa, ex capite ad quatuor pollices crasso, in corpus cylindroideum pollicare terminata, rugis longitudinalibus notata, hinc inde scrobibus excisa.

Convolvulus Turpethum L. Foliis cordatis, angulatis, caule alato & pedunculis multifloris distinguitur.

Crescit in India.

Ultra $\frac{7}{17}$ Extracti aquosi, spirituosi $\frac{1}{8}$ obtinuit inde NEUMANN; Extracti aquosi $\frac{1}{4}$, spirituosi acris $\frac{1}{10}$ CARTHEUSER.

Primi Arabes hujus medicamenti mentionem fecerunt, sed eorum descriptiones adeo inter se distant, adeo breves sunt, ut, quid eorum *Turbith* fuerit, neutiquam possit confici, radices hodie usitatæ demum a GARCIÆ AB ORTO tempore obtinent: medicamentum incertum, & de cujus effectibus nullæ fidæ observationes prostant, jure exsolevit. Dabatur in substantia ad drachmam unam, in Infuso ad unciam dimidiam.

* *Extractum* gummosum & spirituosum commixta Wurtemberg. * *Resina* SCHROEDER. * *Species Diaturbith* Hamburg. inconcinna compositione optime caremus.

§. 59.

V. DIURETICA.

Medicamenta, quæ efficiunt, ut excretio urinæ copiosior obtineat, Διουρητικὰ, *Diuretica* appellantur, agunt illa, sive rationem aquæ in massa humorum augendo, sive propria sibi virtute efficiendo, ut sanguis majori quantitate ad renes ruat, hoc cum fit, necessaria Naturæ lege, major quantitas humorum quoque vasa, quæ partibus genitalibus prospiciunt, subit & hinc hæc medicamenta *aphrodisiacos* quoque, *eme-*

nagogos & *ariſtolochicos* edunt effectus. Primum genus Diureticorum indicatur ab omni heterogeneo, per humorum maſſam diffuſo, hinc tam in acrimonia, quam ubi Natura criſin per urinam molitur, ſolet exhiberi: alterum genus, quod quoque *Poſitivum* dicunt, in uſum trahitur, tam quando aqua in aliqua corporis parte præter naturam collecta hæret, quam quando renes ſordes habent, nec non quando pectus affectum eſt: dum hoc diureticorum genus peregrina, quæ viæ urinariæ habent, eliminet, hæc autem & originem & incrementum calculis ſoleant dare, hinc medicamenta, ſub illo comprehenſa, *Lithontriptica* quoque appellare, receptum eſt, & hoc ſenſu medicamenta contra calculum facientia ſtatuere abſonum non eſt, talia autem dari, quæ calculum jam induratum diſſolvant, abſolute contrariatur naturæ calculorum, medicamentorum ipſorum ad hunc ſcopum laudatorum & partium, quibus calculus continetur. Diuretica poſitiva debent exulare in omni caſu, ubi viæ urinariæ nimis anguſtæ ſunt, pro emittendis eis quæ ad ipſas appellunt, ſive ubi ſpaſmo conſtrictæ ſunt, ſive qualicunque anguſtia laborant, ſive eorum diameter nativus minor eſt volumine tranſmittendo; exulare etiam debent hæc medicamenta, cum viæ urinæ inflammationem aut ulcus habent. Omnis generis Diureticorum abuſus mala, quæ a renibus debilitatis oriri Pathologia evincit, producere certum eſt.

§. 60.

Primum genus Diureticorum Attenuantia (Cap. VI.) conſtituunt.

Ad alterum pertinent

α. Vegetabilia.

Adiantum vid. *Subadſtringentia.*

ALKEKENGI Arab. ἁλικάκαβον, *Veſicaria*, *Coquerets*, *Judenkirſchen.* Baccæ rotundæ, rubræ, pulpam, cui levis ſapor vinoſus ineſt, non ingratam & plurima ſemina continentes.

PHYSALIS. Corollam monopetalam quinquefidam, regularem habet, ſimili calice ſuſtentatam, iſantheram monogynam & baccàm intra calicem multum inflatum contentam, polypyrenam: *Alkekengi* BLACWELL 161. foliis conjugatis, cordatis, ſinuatis diſtinguitur.

Creſcit in Europa temperata, in Saxoniam uſque aſcendit.

Dum baccæ e calice deſumuntur, prope cavendum, ne ab eodem, amariſſimo quippe, contingantur, inde enim nauſeoſam amaritiem contrahere ſolent.

GALENUS, has baccas ad ciendam urinam facere, tradit, id quod etiam omnes Medici per omnem ætatem aſſeverant, RAJUS obſervationes de hac earum virtute adducit, MARTIUS virum vidit per has baccas curatum, poſtquam fœtentem multum urinam minxerat, frequenti in uſu ad hydropem ſolent eſſe. Dantur ex aqua coctæ.

* *Trochiſci Alkekengi* MESUE correcti Wurtemb. inconcinna compoſitio, qua olim ad dyſuriam utebantur: * *Aqua deſtillata* NICOL. PRÆPOS.

ALLIUM vid. *Olera.*

AMMI SEMEN vid. *Aromata.*

ANANAS vid. *Fructus Horæi.*

APIUM vid. *Olera.*

ARMORACIA vid. *Olera.*

ARNICA vid. *Reſolventia.*

ASARUM vid. *Vomitoria.*

ASPARAGUS vid. *Olera.*

BALS. DE COPAIBA vid. *Reſinoſa.*

* CALCITRAPPA Barb. *Chauſſe trappe.* Exhibet nobis radices digitum craſſas, cylindroideas, ſub

cortice gryseo substantiam albam, cui levissimus sapor, odor nullus est, includentes.

Centaurea Calcitrappa L. Calicibus pinnis spinosis instructis, foliis angustis pinnatis, pinnis distantibus agnoscitur.

Non ultra Saxoniam ascendit, varietas floribus albis copiose apud nos occurrit.

Lego jam apud JOHANNEM BAUHINUM, hanc plantam contra calculum fuisse commendatam, maximam autem famam assecuta est, cum D. DE LAMOIGNON DE BAVILLE egregios ejus in affectibus renum effectus, quos in se expertus erat, publico scripto exposuit, unde TOURNEFORT sequentem remedium adhibendi modum nobis reliquit: cujuslibet mensis vigesima octava die lunari drachma una corticis radicis, Septembri mense collectæ, assumitur, vini cyatho infusæ, superbibitur infusum ex Herbæ Parietariæ manipulo uno, Ligni Sassafras & Seminis Anisi singulorum drachma una, Cinamomi drachma dimidia cum aquæ unciis octo per noctem maceratis, & quæ altero mane parum ebulliverunt, Sacchari Candi unciis duabus edulcoratum. PORTALEZ & TEISONNIER annotarunt, Recentiores observasse, melius hoc medicamentum dari mane & versus vesperam, tribus ultimis cujuslibet mensis diebus; hodie multum de auctoritate, quam olim habebat, perdidit.

CARDAMOMUM vid. *Aromata.*

CARVI vid. *Aromata.*

CEPA vid. *Olera.*

CERASORUM NUCLEI vid. *Fructus Horæi.*

CETERACH vid. *Subadstringentia.*

CHÆROPHYLLUM vid. *Olera.*

CICER vid. *Legumina.*

CITRULLI vid. *Fructus Horæi.*

CUCUMIS vid. *Fructus Horæi.*

CYNOSBATI vid. *Adstringentia.*

CYPERI RAD. vid. *Aromat.*

DAUCUS vid. *Olera.*

EQUISETUM vid. *Adſtringentia.*

ERYNGIUM vid. *Reſolventia.*

FILIPENDULA vid. *Aromata.*

FRAGA vid. *Fructus Horæi.*

FRAXINI SEMEN vid. *Amara.*

* GENISTA, *Genêt*, *Pfrimmen.* *Flores* recipimus papilionaceos flavos, qui exſiccati evidenti amaritie, odore nullo gaudent: *Semen* cylindroideum eſt, ſuperne leviſſime inciſum, ſplendens flavum, includit medullam flavicantem, ſapore dulci, ut alia ſemina leguminoſa, inſtructum.

SPARTIUM. Florem papilionaceum habet, calice in duo ſegmenta abeunte ſuſtentatum, quorum ſuperius integrum eſt, inferius in quinque dentes ſecedit, vexillum corollæ totum reflexum eſt: legumen cylindraceum obtuſum: *Scoparia* L. BLACWELL 244. foliis ternatis & ſolitariis, ramis angulatis, inermibus gaudet.

Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem, vulgare noſtrorum montium ornamentum, verſus Helvetiam deficit.

Gemmas florum ſale & aceto conditas in modum Capparum apud Germanos in uſum tractas fuiſſe, SCHROEDER monet & apud Brabantos & Anglos LOBEL, hic ipſe quoque, eaſdem Averniæ & Aquitaniæ populos copioſe ad acetaria recipere, nec inde incommoda ſentire, teſtatur. Floribus hydropicum curatum, MEAD adducit. Cineres totius plantæ aperientes & hydragogos eſſe, ex indole cineri omni propria, evidens, & ODELIUS expertus eſt.

Semina LOBELII fide, dicuntur emetica eſſe, ignoro num recte.

* *Conſerva* VAL. CORD. * *Oleum coctum* LEMERY.

IRIS vid. *Arom.*

JUNIPERUS vid. *Aromata.*

LAMIUM, Γαλείοψις, *Urtica*, CORD. *Ortie blanche*, *Nessel*. Folia & Flores recipiuntur.

★ *Folia* cordata sunt, acute terminata, levi hirsutie obsessa, levi omnino odore & sapore instructa.

Flores labiati sunt, albi, odoris & saporis expertes.

LAMIUM. Corolla labiata, cujus labium superius integerrimum est, inferius utrinque denticulo notatum, calice quinquefido sustentata & seminibus nudis gaudet: *Album* L. folia habet petiolata, cordata, acuminata & verticillos multifloros.

Crescit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem.

Proprias huic plantæ medicatas vires inesse, hactenus non est evictum, apud nos flores in frequenti usu sunt ad fines diureticos & emenagogos, nec non ad lochia promovenda; si hic aliquid præstant, laxando agere videntur.

LAMIUM PLINII hoc nomen inter nos maxime obtinet, improprium valde, cum Lamium, a PLINIO ad morbos laudatum, sit *Lamium Maculatum* L. a nostra planta diversissimum, ista vulgo *Melissophyllum*, FUCHSIO præeunte, dicitur: Recipimus ejus Folia, quæ ex ovatis acuta sunt, petiolata, hirsuta, odore & sapore non ingratis, evidenter aromaticis instructa.

MELITIS L. Corolla labiata, labio superiore integro, inferiore trifido, lacinia media majore; calice campanulato sustentata, evidenter bilabiato, seminibus nudis gaudet.

Crescit per omnem Europam, ad Borussiam usque.

Cl. KOENIG, oleum destillatum & salem essentialem inde se obtinuisse, refert.

Jure vires plantarum aromaticarum inde expectantur, eam egregie ad purgandos a sabulo & muco renes facere, nec inertem in pellendis mensibus esse, iteratis inter nos maxime observationibus constat. Datur sub forma Infusi Theæformis.

Linaria vid. *Emollientia.*

Lycopodium vid. *Subadstringentia.*

Melo vid. *Fructus Horæi.*

Mentha vid. *Aromata.*

Meu Radix vid. *Incidentia.*

* Milium Solis Barb. λιθόσπερμον, *Lithospermum*, *Gremil*, *Herbe aux Perles*, *Meer-Hirs.* Exhibet nobis semina, quæ rotunda sunt, inferne contracta, alba, nitida, sub cortice crassiusculo includunt medullam fuscam, odoris & saporis expertem, cum acidis effervescentem.

Lithospermum. Corolla gaudet infundibuliformi quinquefida, simili calice sustentata, isanthera, monogyna & seminibus nudis, glabris: *Officinale* L. corollis, calicem vix superantibus, & foliis lanceolatis distinguitur.

Crescit per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem,

Vis lithontriptica ipsi a Dioscoride & vulgo Medicorum adscripta, evidenter ejus similitudine cum lapillis nititur, nec ulla fida observatione confirmata est, a Syrupo inde parato, cui a Divo Ambrosio nomen est, egregias ad dysenteriam vires Kramer est expertus.

Nasturtium vid. *Olera.*

* Nephriticum Lignum Recent. In majoribus frustis ad nos adducitur, ex flavo-pallescens, extus dilute fuscum, meditullio spadiceo fusco instructum, odoris nullius, saporis leniter adstringentis, aquæ, cum qua infunditur, opalinum colorem conciliat, qui, si lumini obvertitur vitrum, quod tincturam continet, aureus apparet, cæruleus autem, si vitrum inter & lumen oculus collocatur.

A *Guilandina Moringa* subministrari, Illustris Linnæus asserit, sed hæc arbor Orienti indigena est, nostrum autem Lignum ex Regno Peruviano ad nos

mittitur, apud Auctores quoque, qui Asiaticam arborem describunt, nullam hujus Ligni reperio mentionem.

Extracti aquosi $\frac{1}{12}$ spirituosi $\frac{1}{5}$ circiter obtinuit CARTHEUSER.

MONARDES & HERNANDEZ hoc lignum præcipue ab ejus virtute organa uropœa sordibus depurandi laudant; hanc virtutem cum nulla fide digna inter Europæos observatio confirmaverit, hinc eviluit.

ONONIS vid. *Resolventia.*
PAREIRA BRAVA vid. *Amara.*
PERSICA vid. *Fructus Horæi.*
PETROSELINUM vid. *Olera.*
PIPER vid. *Aromata.*
POLIUM vid. *Aromata.*
PORRUM vid. *Olera.*
RAPA vid. *Olera.*
RIBESIA NIGRA vid. *Fructus Horæi.*
ROSARUM SPONGIA vid. *Adstringentia.*
RUSCUS vid. *Resolventia.*
RUTA vid. *Aromata.*
SABINA vid. *Aromata.*
SAXIFRAGA vid. *Resolventia.*
SCHOENANTHUM vid. *Aromata.*
SENEKA vid. *Resolventia.*
SESELI vid. *Aromata.*
SPICA NARDI vid. *Aromata.*
SQUILLA vid. *Amara.*
TEREBINTHINA vid. *Resina.*
VINUM vid. *Uvæ.*
VIOLARUM Semen vid. *Fragrantia.*

β) *ANIMALIA.*

CANTHARIDES vid. *Acria.*
COCCIONELLA vid. *Roborantia.*
LUMBRICI vid. *Sop[illegible]tia.*
MILLEPEDES vid. *Attenuantia.*

OVORUM PUTAMEN vid. *Nutrientia.*

γ) *FOSSILIA.*

* NEPHRITICUS LAPIS Recent. ex ſquammis e nigro vireſcentibus, ſplendentibus compoſitus, tornum admittens, ferri & cupri veſtigia vehit, & aliquid quaſi pinguis, digitis cum tangitur, ſiſtit. Pro variis heterogeneis, quæ ipſi accreverunt, variæ puritatis eſt, & vario pretio venditur. America pulcherrimum dicitur largiri. Paſſim in Europa occurrit. Eſt *Talcum Nephriticum* L. proxime ad Serpentinum accedit, cum quo in eo etiam, quod magneſiam vehat, convenit, Acida ejus aliquid diſſolvere, ipſum deſtillatione ſalem Ammoniacalem & oleum empyreumaticum fundere, NEUMANN annotavit.

Eum in America occurrere, primus eſt, qui tradit, MONARDES, illumque vel ſolummodo geſtatum, multum ad affectus nephriticos facere monet, plures Auctores id ipſum quoque obſervationibus ſtabilire connati ſunt, ſed experientia conſtans eas futiles & merum figmentum eſſe demonſtrat; unde recte eundem e ſyllabo medicamentorum expungi patet.

NITRUM vid. *Incidentia.*

§. 61.

Menſium & Lochiorum fluxus cum a diverſiſſimis cauſis ita imminuuntur, ut Medicina opus habeant, hinc abſoluta *Emenagoga* & *Ariſtolochica* non dantur; ea autem medicamenta, quæ ſanguinis ad uterum impetum augent, paſſim & præcipue §vo antecedente recenſita fuerunt.



LOCA

LOCA AUCTORUM.

A.

ABANUS Conciliator. *Venet.* 1565. fol.
ABBATIUS de admiranda Viperæ natura. *Hagæ Comit.* 1660. 12.
ACOLUTHUS *Joh.* in Ephemerid. Naturæ Curiof. *Dec. II. A.* 9. 4.
- - - *Joh. Carol.* in Act. Academ. Natur. Curiof. *Vol. X.* 4.
ACRELL *in* Abhandl. der Schwed. Academie. 1754. 8.
Acta Helvetica *T. V. Bafil.* 1762. 4.
ACTUARIUS cum Artis Medicæ Principibus.
ÆGINETA cum Artis Medicæ Principibus.
AETII Tetrabiblos cum Artis Medicæ Principibus.
AGRICOLA de Re Metallica. *Bafil.* 1657. fol.
ALBERTI Syftema Jurifprudentiæ Medicæ. *Halæ* 1725-1742. *Tomi VI.* 4.
- - - Obfervationes de Arnicæ ufu. *Refpond.* DE LA MARCHE. *Halæ* 1719.
- - - de Belladonna. *Refpond.* OETTINGER. *Halæ* 1739.
- - - de fingulari Mercurii dulcis ufu in defperatis quibufdam morbis. *Refpond.* HAVIGHORST. *Halæ* 1745.
- - - de Valeriana. *Refp.* STANTKE. *Halæ* 1732.
ALBERTINI in Commentar. Inftituti Bononienf. *T. I.* 1731. 4.
ALBERTUS MAGNUS de Mineralibus & Rebus metallicis *per* JYFF. *Argent.* 1541. 8.
ALBRECHT *Joh. Petr.* in Ephemerid. Natur. Curiof. *Dec. III. A.* 5. & 6. 4.
- - - *Joh. Sebaft.* in Commerc. litterar. Noric. 1734. 1735. 1738. 1740. 4.

ALEXANDER *Benedictus apud* SCHENCK Obſervat.
- - - - *Franciſc.* Apollo. *Venet.* 1565. fol.
- - - - *Guilielm.* Cantharidum hiſtoria & uſus. *Edinburg.* 1769. 8.
- - - - *William* Experimental Eſſais. *London* 1770. 8.
ALEXANDRINUS *apud* SCHENCK obſervationes.
ALEXIUS *Pedemontanus* de Secretis *per* WECKER. *Baſil.* 1603. 8.
ALLION de Origine Milliarium. *Taurin.* 1758. 8.
ALPINUS *Proſper.* de Medicina Ægyptiorum. *Lugd. Bat.* 1745. 4.
ALSTON Eſſais & Obſervations de Médecine de la Société d'Edinbourg. *T. V. Paris* 1743. 12.
- - - Diſſertation on Quick lime. *Edinburgh.* 1754. 1757. 8. 3 *Vol.*
- - - Lectures on Materia Medica. *London* 1770. 2 *Vol.* 4.
AMATUS LUSITANUS in DIOSCORIDEM. *Argentor.* 1554. 4.
- - - - Curationes Medicinales. *Baſil.* 1556. fol.
AMMANN Medicina Critica. *Stadæ* 1677. 4.
AMOUREUX in JOURNAL de Medecine. 1760.
ANDOVILLE in Hiſt. de l'Académie Roïale de Chirurgie III. *Paris* 1757. 4.
Antidotarium Bononienſe. 1615. 4.
APINUS Febris epidemica annorum 1694 & 1695. *Norimb.* 1697. 8.
APOLLODORI Bibliotheca *per* COMMELINUM. 1599. 8.
d'APPLES in Act. Helvetic. *T. III. Baſil.* 1758. 4.
ARCÆUS de recta curandorum vulnerum ratione. *Amſtelod.* 1658. 12.
ARDOYNUS de Venenis. *Baſil.* 1562. fol.
ARETÆI Opera *per* BOERHAAVE. *Lugd. Bat.* 1735. fol.
ARISTOTELIS Opera *per* DU VAL. *Pariſ.* 1619. fol. 2 *Vol.*

Artis Medicæ Principes. 1565. fol.
ASTRUC de Morbis Venereis. *Lutet. Parif.* 1740. 4. 2 *Vol.*
ASVERUS *apud* SCHARF de Junipero.
ATHENÆUS *per* CASAUBONUM. *Lugd.* 1657. fol.
AVICENNA *per* RINIUM. *Venet.* 1582. fol.
AURELIANUS *Cælius* de Morbis acutis & chronicis *per* AMMANN. *Amftel.* 1755. 4.
AURELIQUE in Journal de Medecine. 1762. 8.

B.

BADII Anaftafis Corticis Peruviani. *Genev.* 1663. 4.
BAUMLIN in Commerc. litter. Noric. 1741.
BAGLIV Opera. *Lugd.* 1710. 4.
BAIER de Artemifia. *Altdorf.* 1720.
BAKER in Philofoph. Tranfact. 1748.
BALDINGER *apud* REISIG.
BALLONIUS Epidem & Ephemerid. *Parif.* 1640. 4.
BANCROFFT Naturgefchichte von Guiana. *Leipzig* 1769. 8.
BARBETTE Opera. *Genevæ* 1688. 4.
BARBEYRAC Formulæ Medicamentor. *Lugd.* 1751. 12.
BARCHUSEN Elementa Chymiæ. *Lugd. Bat.* 1718. 4.
BARON in Memoires préfentés à l'Académie. *Tom. I. Paris* 1750. 4.
BARRY in Effais & Obfervations de Medecine de la Société d'Edinbourg. *T. IV. Paris* 1742. 12.
BARTHUS in Memoires préfentés à l'Acad. *T. III. Paris* 1760. 4.
BARTHOLD Terræ figillatæ variæ. *Francof.* 1583. 8.
BARTHOLETTUS Encyclopædia. *Bonon.* 1619. 4.
BARTHOLINUS *Cafpar.* Exercitationes mifcellaneæ. *Leidæ* 1675. 8.
- - - - - - - de Unicornu. *Amftel.* 1678. 12.
- - - - - *Thom.* Acta Hafnienfia. 1673-1680. 5 *Vol.* 4.

BARTHOLINUS *Thom.* Dispensatorium Hafniense. 1658. 4.
- - - - - - - Epistolæ Medicinal. *Hagæ Com.* 1740. 4 *Vol.* 8.
- - - - - - - Medicina Danorum domestica. *Hafniæ* 1666. 8.
BASTER Opuscula. *Harlem.* 1762 & 1765. 4.
BAUDERON Pharmacopée *per* VERNY. *Lyon* 1681. 4.
BAUDRY Eaux de Bourbon. *Dijon* 1736. 8.
BAUHINUS *Caspar.* de Lapide Bezoar. *Basil.* 1631. 8.
- - - *Joh.* Historia Plantarum *per* CHABRÆUM. Ebrodun. 1650. 3 *Vol.* fol.
BAUMÉ Elemens de Pharmacie. *Paris* 1762. 8.
BAYER Enchirid. de medendis humani corporis malis. *Lugd.* 1565. 12.
le BEAU in Journal de Medecine. 1759.
BECCARIUS in Comment. Institut. Bononiens. *T. II. P. I.* 1745. 4.
BECHER vom Carlsbad. *Prag* 1772. 8.
van der BECK in Act. Acad. Nat. Curios. *Vol. I.*
BEGUINUS Tyrocinium Chymicum. *Amst.* 1669. 8.
BEHR Materia Medica. *Strasburg* 1748. 4.
BEHRENS in Schlehsisch. Sammlung von Natur- und Kunstgeschichten. *Leipz. u. Budissin* 1724. 4.
- - - *apud* BRUCKMANN Epist. Itiner. *XXVIII.*
BEIER in Schlesisch. Samml. von Natur- und Kunstgeschicht. 1723. *Leipz. und Budissin* 1725.
BELLOSTE Traité du Mercure. *Berne* 1742.
BENVENUTO *Dissertat. ad* BECCARIUM qua Epidemic. Febris in Lucensi Dominio &c. *Lucca* 1654. 8.
BERCKLEY Recherches sur les vertus de l'Eau de Goudron. *Amsterd.* 1745. 8.
BERGMANN in Act. Medic. Berolinens. *Vol. VI.*
BERGER *Joh. Gothofr.* Chinchina ab iniquis judiciis vindicata. *Vitemb.* 1711.
- - *Joh. Sam.* in Commerc. litterar. *Noric.* 1735.

BERNITZ in Ephemerid. Nat. Curiof. *A.* 2.
BERTRAND *in* Hift. de l'Académie Royale des Scienc. 1737.
BETTUS *apud* GALLO.
BIANCHI Il vitto Pittagorico di foli vegetabili. *Venez.* 1752. 8.
BIESHAAR *in* Journal de Médecine. 1763. 8.
BINET *in* Journal de Médecine. 1761. 8.
BINNINGER *apud* KŒNIG Regn. Vegetabil.
BLACWELL Herbarium emendatum & auctum. *Norimb.* 1740. — 1773. Centuriæ VI Tabularum coloribus expreffarum cum explicatione.
BLAIR Pharmaco-Botanologia. *London* 1723 - 1727. *VI. Decad.* 4.
BLAU in Ephem. Nat. Curiof. *Dec. III. A.* 7.
BLEGNY Le remede anglois publié par ordre du Roi pour la guérifon des fievres. *Paris* 1682. 12.
- - - Zodiacus Medico-Gallicus ab anno 1674 ad 1683. *Genevæ* 1680. 4.
van den BLOCK in Journal de Médecine. 1761.
BŒHM de variis Siphylidis therapiis. *Argent.* 1771.
BŒHMER *Joh. Benjam.* de Radicis Rubiæ tinctorum effectibus in corpore animali. *Lipf.* 1751.
- - - *Philipp. Adolph.* de falutari ufu Extracti Aconiti *Refp.* ANDREÆ. *Lipf.* 1768.
BŒNNECKE Biga cafuum medicorum. *Werth.* 1744. 4.
- - - - *in* Frænkifch. Sammlung. *T. V. Nürnb.* 1760. 8.
- - - - in Nov. Act. Nat. Curiof. *Norimb.* 1761. 8.
BOERHAAVE Elementa Chemiæ. *Lugd. Bat.* 1732. 4. 2 *Vol.*
- - - - de Morbis Nervorum *per* VAN EEMS. *Lugd. Bat.* 1761. 8.
- - - - de Viribus Medicamentorum. *Paris* 1723. 12.
BŒSSEL in Commerc. litterar. Noric. 1736.

BOMARE, VALMONT DE, Dictionnaire raisonné universel d'histoire naturelle. *Iverdon* 1768 & 1769. 8. 12. *Vol.*
BONNET Anatomia Practica. *Genev.* 1672. fol.
- - - Medicina Septentrionalium. *Genev.* 1684 fol.
BONTEKOE van The, Coffy und Chocolate. *Haag* 1685. 12.
BONTIUS Historia naturalis & medica Indiæ Orientalis. *Amstel.* 1658. fol.
BORELLUS Historiæ & Observationes. *Frf.* 1670. 8.
BORRICHIUS in BARTHOLINI Actis Hafniens.
- - - - *apud* - - - - Epistol. Medic.
BOSWEL *apud* CRANZ Mat. Med.
BOUCHARD in Ephem. Natur. Curios. *A.* 2.
BOUDU *in* Mem. de l'Académ. de Chirurgie. *T. I. Paris* 1743. 4.
BOULDUC *in* Histoire de l'Académie Royale des Sciences 1705, 1719, 1734.
BOURDELIN *in* Mémoires de l'Académie depuis 1666 jusqu'à 1699.
BOURDIER *in* Mémoires tirés des Lettres édifiantes. *T. I. Paris* 1672. 12.
BOUVART *in* Hist. de l'Académ. Royale des Sciences. 1744.
BOYLE Opera omnia. *Genevæ* 1714. 4. 3 *Vol.*
- - *apud* RAJUM.
BRASSAVOLA Examen omnium simplicium. *Lugd.* 1556. 8.
- - - - Ratio victus in morbis acutis. *Venet.* 1546. fol.
BRENDEL Chymia. *Lugd. Bat.* 1671. 12.
BREYN in Ephem. Nat. Curios. *A.* 3.
- - Plantarum Exoticarum Centuria. *Gedan.* 1678. fol.
BRIDAUT *in* RICHARD Recueil d'Observations de Médecine *T. II. Paris* 1772. 4.

BRISSON Ornithologie. *Paris* 1756-1760. 4. 6 *Vol.*
- - - Regne Animal. *Paris* 1756. 4.
BROGIANI de Veneno Animantium. *Florent.* 1752. 4.
BROSSARD *in* Journal des Sçavans. 1751. 4.
BROUZET *in* Mem. préſentés à l'Académie des Sciences. *T. II. Paris* 1755. 4.
BROWN Hiſtory of Jamaica. *London* 1756. fol.
BRUCH *Carl Ludwig* de Anagallide *Argent.* 1758.
- - *Frid. Daniel* Obſervationes quædam practicæ de Radicis fruticis Juniperi decocto. *Arg.* 1736.
BRÜCKMANN Epiſtolæ Itinerariæ. *Wolfenbüttel & Brunſvig* 1742-1752. 4. 3 *Centuriæ.*
BRUCKNER in Select. Medic. Francofurt. I. *Francof. ad Viadr.* 1739. 8.
BRUNFELS Novum Herbarium. *Argent.* 1539. fol. 3 Vol.
à BRUNN in Act. Academ. Naturæ Curioſ. *Vol. I.*
BRUNNER in Ephemerid. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 6.
BRUNSVICENSIS *Hieron.* de Arte deſtillandi. *Argent.* 1512. fol.
BRUYERINUS de Re cibaria. *Norimb.* 1659. 8.
BUCHNER *apud* SCHULZ Mater. Medic.
- - - in Act. Acad. Nat. Curioſ. *Vol. V.*
- - - Miſcellanea Phyſico-Medico-Mathematica. *Erford.* 1727, 1728, 1729.
- - - de Curcuma *Reſp.* LŒBER. *Halæ* 1748.
- - - de remediis Mercurialibus ſpinæ ventoſæ medicandæ interdum idoneis *Reſp.* NIEMANN. *Halæ* 1754.
- - - de genuinis Opii effectibus *Reſp.* SCHWARZ. *Halæ* 1748.
- - - de genuinis viribus Tabaci *Reſp.* FRAUENKNECHT. *Halæ* 1745.
BUDÆUS in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. III. A.* 7 & 8.
du BUISSON *apud* DEGNER.

de BUFFON Histoire naturelle générale & particuliere. *Paris* 1749-1771. 4. 17 *Vol.*
BURCKARD de Radice Senecka. *Argent.* 1750.
BURCKEL de Gratiola. *Argent.* 1738.
BURGGRAF in Act. Acad. Nat. Curiof *Vol. V.*
BURGHARD Destillirkunst. *Bresslau* 1747. 8.
BULGMANN in Commerc. litterar. Noric. 1733.
BURMANN *ad* PLUMIER.
BUXBAUM Plantarum minus cognitarum *Centuriæ V.* *Petropol.* 1728-1740. 4.

C.

CADET Analyse des Eaux minérales de Calsabigy. 8.
- - Hist. de l'Académie Royale des sciences. 1766.
CÆSALPINUS de Plantis. *Florent.* 1583. 4.
CAMERARIUS *Joachim* Hortus Medicus & Philosophicus. *Francof.* 1588.
- - - - *Joh. Rudolph* Sylloge Memorabilium Medicinæ. *August. Trebocc.* 1624. 12.
CAPPEL *apud* SPRINGSFELD Iter Medicum.
CARL in Commerc litterar. Noric. 1736.
CARTHEUSER Fundamenta Materiæ Medicæ. *Francf.* 1749 & 1750. 2 *Vol.* 8.
- - - - de Eximia Myrrhæ genuinæ virtute. *Resp.* FALLEBORN. *Francof.* 1746.
a CASTRO Muliebrium morborum medicina. 1617. 4.
CATO de Re Rustica *in* Scriptoribus Rei Rusticæ *ed.* GESNER. *Lips.* 1774. 4. 2 *Vol.*
le CAT *in* Recueil Périodique. 1755.
CELSUS de Re Medica *per* KRAUSE. *Lips.* 1766. 8.
CHABRON *in* Recueil Périodique. 1755.
CHAMBERS de Ribes Arabum & Ligno Rhodio. *Lugd. Bat.* 1724.
CHARAS Opera. *Genev.* 1683. 4.

CHEMIN in Journal de Médecine. 1768.
du CHESNE Hiſtoire des Fraiſiers. *Paris* 1766. 12.
CHEVALIER *in* Hiſt. de l'Acad. Royale des ſciences. 1709.
CHOMEL Dictionnaire Oeconomique. *Commercy* 1741. 2 *Vol.* fol.
CICERO Opera Epiſtolica. *Berol.* 1747. 8.
- - - Opera Philoſophica. *Berol.* 1745. 8. 2 *Vol.*
CLEPHANE Obſervations by a Society of Phyſicians. *T. I. London* 1763. 8.
CLAUDER Ephem. Natur. Curioſ. *D. II. A.* 6 & 7.
le CLERC Hiſtoire de Médecine. *à la Haye* 1729. 4.
CLOSSÆUS *apud* HORST.
CLUSIUS Curæ poſteriores. *Antwerp.* 1611. fol.
- - - Exotica. *Antw.* 1605. fol.
- - - Hiſtoria Plantarum rariorum. *Antwerp.* 1601. fol.
- - - Rariorum aliquot Stirpium per Hiſpaniam obſervatarum Hiſtoria. *Antw.* 1567. 8.
Codex Medicamentarius. *Pariſ.* 1758. 4.
COEURDOUX *in* Mém. tirés des Lettres édifiantes. *T. I. Paris* 1767. 12.
COHAUSEN in Act. Acad. Nat. Curioſ. *Vol. VII.*
- - - in Commerc. litterar. Noric. 1742.
- - - in Act. Acad. Nat Curioſ. *Vol. VI.*
COLBATSCH Collection of Traits chirurgical and medical. *London* 1719.
- - - - Diſſertation concerning Misletoe. *London* 1719. 8.
COLLIGNON *in* Journal de Médecine. 1761.
COLLIN Noſocomii *Annus Medicus tertius. Vindob.* 1764. 8.
- - - Obſervationes circa morbos acutos & chronicos. *Viennæ* 1772. 8.

Columella *cum* Scriptoribus Rei Rusticæ *ed.* Gesner. *Lipſ.* 1735. 2 *Vol.*
Columna *Fab. apud* Rajum.
- - - Φυτοβασανος *per* Plancum. *Mediol.* 1744. 4.
de la Condamine in Hiſt. de l'Acad. Royale des ſciences. 1737, 1738.
Cordus *Valerius* Annotationes in Dioſcoridem & Hiſtoria ſtirpium *cur.* Gesner. 1561. fol.
- - - - - Diſpenſatorium. *Norimb.* 1592. fol.
Cosnier An Rachitidi Rubia tinctorum &c. *Reſp.* Robert. *Paris* 1758.
- - - in Recueil Périodique. 1755.
Costæus *in* Mesuen.
Coste in Journal de Médecine. 1764 & 1769.
de Cotes in Journal de Médecine. 1762.
Courtivron & Bouchu Art des Forges & Fourneaux *dans la* Deſcription des Arts & Metiers.
Craanen Lumen rationale Medicum. *Mediob.* 1686. 8.
Cramer Elementa Docimaſiæ. *Lugd. Bat.* 1744. 8. 2 *Vol.*
Cranz de duabus Draconis Arboribus. 1768. 4.
- - Materia Medica. *Vienn.* 1765. 8. 3 *Vol.*
Cratchowill de Radice Colchici Vulgaris. *Francof.* 1764.
Crato Conſilia & Epiſtolæ Medicinal. *Francof.* 1654. 8. 7 *Vol.*
Crellius de Cortice Simaroubæ *Reſp.* Leincker. *Helmſt.* 1746.
Crescentiensis de omnibus agriculturæ partibus. *Baſil.* 1548. fol.
Crollii Baſilica Chymica. *Genev.* 1631. 8.
Cruger in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 7. *Dec. III. A* 2. 3. 7.
Cullen Lectures on Materia Medica. *Lond.* 1772. 4.
Cumenius in Ephem. Nat. Curioſ. *A.* 3.

D.

DARLUC *in* Journal de Médecine. 1759.
DECKER Exercitat. Practicæ. *Lugd. Bat.* & *Amstel.* 1673. 8.
DECKERS *in* Recueil Périodique. 1755.
DEGNER de Dysenteria biliosa. *Traject. ad Rhen.* 1755. 8.
DELIUS Amœnitates Medicæ. *Lips.* 1747. 8.
- - - *in* Frænkische Sammlungen. *T. II.* 1757.
- - - de Peucedano *Resp.* WAGNER. *Erlang.* 1753.
- - - de Taraxaro *Resp.* SCHROEDER. *Erl.* 1744.
DESMARS *in* Recueil Périodique. 1757.
DESMILLEVILLE *in* Journal de Médecine. 1761.
DETHARDING de Aquæ calcis vivæ usu interno *Resp.* KEMNA. *Rostoch.* 1746.
- - - - in Ephem. Nat. Curios. *Dec. III A.* 7 & 8.
DICKSON *in* Observations by a Society of Physicians. *T. II. London* 1762. 8.
DIEMERBROECK Opera *Genevæ* 1688. 4.
DIETRICH Observat. de Usu Corticis Peruviani in cancro mammarum. *Ratisb.* 1746. 4.
DILLENIUS *Joh. Jac.* in Ephem. Nat. Curios. *Cent. III.* & *IV.* & Act. Acad. Nat. Curios. *Vol. I.*
- - - - *Just Frid.* in Ephem. Nat. Curios. *Dec. III. A.* 9 & 10.
DIOCLES *apud* MACRUM.
DIOSCORIDIS Opera *per* SARACENUM. 1598. fol.
DIPPEL *Christian. Democrit.* Krankheit und Arzney des menschl. Lebens *Frf. u. Leipz.* 1736. 8.
Dispensatorium Brandeburgicum. *Berol.* 1731. fol.
Dispensatorium Noricum. 1666. fol.
DOBOLENSKY in Ephem. Nat. Curios. *A.* 2.
DODONÆI Stirpium Historiæ Pemptades. *Antwerp.* 1616. fol.
DOEDERLIN *in* Commerc. litterar. Noric. 1744.

DOERING Uſus Opii. *Jenæ* 1620. 8.
van DOEVEREN de Vermibus Inteſtinalibus. *Lugd. Bat* 1753. 4.
DOLÆI Opera. *Francof.* 1703. fol.
DONDUS Promptuarium Medicinæ. *Venet.* 1576. fol.
DORNCRELLIUS Empirica. *Francof.* 1601. 8.
DOUGLASS An Account of mortification and of the effect of the barck. *London* 1732. 8.
DUPUY *de la Porcherie* in Journal de Médecine. 1765.
DÜRK in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 7.

E.

EHRHARD in Commerc. litterar. Noric. 1736.
EHRHART de Cicuta. *Argent.* 1763.
ELLER in Hiſtoire de l'Académie R. des ſciences de Berlin. 1753.
ELLIS Eſſais towards a natural hiſtory of the Corallines. *London* 1755.
ELSHOLZ in Ephem. Nat. Curioſ. *A.* 6. & 7.
ELSNER in Ephem. Nat. Curioſ. *A.* 1.
ENCKELMANN de Sale Alcali de Seignette. *Arg.* 1755.
ERASISTRATUS *apud* PLUTARCHUM.
ERASTUS de Medicina nova Paracelſi. *Baſil.* 1572. 4. 2. *Vol.*
ENGELBERG *apud* STOERCK.
ERNDTEL Warſavia phyſice illuſtr. *Dreſd.* 1730. 4.
ERNIUS in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 4.
ETTMÜLLER *Michael* Opera *per* WESTPHAL. *Franc.* 1697. fol. 3. *Vol.*
- - - - *Michael Ern.* in Ephem. Natur. Curioſ. *Cent. III. & IV.*
EVERARD Elaterium magnis mortalium uſibus &c. *Altdorf.* 1722.
EVERARDES de Herba Panacea. *Antwerp.* 1687. 12.
EUGALENUS de Scorbuto. *Amſtel.* 1720. 8.

F.

FABER *Joh. Matth.* Strychnomania. *Auguſt. Vindel.* 1677. 4.
- - *M. Joh.* apud SCHENCK.
FABRICIUS de Ichthyocolla *Reſp.* STOLZE *Helmſt.* 1756.
FABAS in Journal de Médecine. 1762.
FAGOT in Philoſ. Tranſact. 1751.
de la FAILLE *apud* GUETTARD Mémoires.
FALLOPIUS Opera. *Francof.* 1584. fol.
FARR in Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. IV.* 1771.
FASCH de Caſtoreo *Reſp.* KRAUSOLDT. *Jenæ* 1677.
FEHR in Ephem. Natur. Curioſ. *A.* 9 & 10. & *Dec. II. A.* 4.
FERBER Briefe per VON BORN. *Prag.* 1773. 8.
FERGUSON *apud* HALLER Elem. Phyſiol.
FERNELIUS Opera Medicinalia. *Pariſ.* 1638. 2 *Vol.*
FERRARII Heſperides. *Romæ* 1646. fol.
FINANT NEVEU in Journal de Médecine. 1764.
FIORAVENTUS Chirurgia. *Venet.* 1679. 12.
FISCHER *apud* BUCHNER Miſcell. Phyſ. Medic. Mathem. 1730.
FLOYER φυτοβάσανος. *London* 1687. 8.
FLUDD *Robert* apud LANGELOTT.
FORD in Philoſoph. Tranſact. 1755.
FORESTUS Obſervat. & Curationes. *Rothomag.* 1653. fol. 2 *Vol.*
FORDYCELL in Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. I.*
FORMIUS *apud* RIVERIUM.
FOTHERGILL in Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. I. II. & III.*
FOUGEROUX de BONDAROY in Hiſt. de l'Académie Royale des ſciences. 1766.
du FOUR du Caffé, du Thé & du Chocolat. *Lyon* 1668. 8.

Fracastorius Opera. *Genev.* 1671. 8.
Francus *Joh.* Vera Antiquorum herba Acetoſella. *Auguſt. Vindel.* 1717. 12.
- - - - - Deſcriptio Momordicæ. *Ulmæ* 1720. 8.
- - - *Georg.* de Malo Citreo *Reſp.* Nebel *Heid.* 1686.
- - - - - - apud Brunner in Eph. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 6.
Fraser in Obſervations of Phyſicians in London. *T. II.* 1762.
French in Obſervat. by a Society of Phyſicians in London. *T. I.*
Fuller Pharmacopœa extemporanea. *Lond.* 1714. 12.
Furstenau de Antimonio crudo *Reſp.* Heisenius. *Rintel.* 1748.

G.

Gaber in Miſcellan. Taurin. *T. III.* 1766.
Gale in Philoſoph. Tranſact. 1765.
Gallo dell'uſo di Latte. *Parigi* 1753. 8.
Galeati in Comment. Inſt. Bononienſ. *Tom. III. Bonon.* 1755.
Galeni Opera. *Venetiis* 1625. fol. 8 *Vol.*
de la Garaye Chymie Hydraulique. *Paris* 1746. 8.
Garcin in Savary Dictionnaire de Commerce.
Garidel Hiſtoire des Plantes. *Aix* 1715. fol.
Garcias ab Horto Aromatum hiſtoria *per* Clusium. *Antwerp.* 1597. 8.
Garmann in Ephem. Natur. Curioſ. *A.* 1.
Gaser *apud* Welsch.
Gassendus *apud* Garidel.
Gataker on the internal Uſe of Solanum. *London* 1633. 8.
Gatenaria *apud* Severinum.
Gaub Adverſaria varii Argumenti. *Lugd. B.* 1771. 8.
Gebauer *apud* Schulz Mater. Medic.

GEISLER Animadverſiones de Uſu Vomitoriorum. *Lipſ.* 1746.
GEOFFROI *Claud. Joſeph.* Hiſt. de l'Academ. Royale des ſciences. 1740.
- - - *Stephan. Franciſc.* Mem. de l'Academ. Royale des ſciences. 1715.
- - - - - - - - - de Materia Medica. *Paris* 1741. 8. 3. *Vol.* Suite de la Matiere Medicale *par* M*** 1750. 12. 3. *Vol.* Suite de la Matiere Médicale *par* Mſſrs. ARNAULT DE NOBLEVILLE & SALERNE Regne Animal. *Paris* 1756. & 1757. 12. 6. *Vol.* Les Figures des plantes & animaux par Mr. de GARSAULT 4. 5. *Vol.*
GERBER in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 9.
GESNER *A. J.* Beſchreibung des Wildbads. *Stuttg.* 1745. 8.
- - - *Conrad* apud J. B. Hiſtoria Plantarum.
- - - - - - Epiſtolæ Medicinales. *Tiguri* 1577. 4.
- - - - - - Hiſtoria Animalium. *Francof.* 1620. fol. 4. *Vol.*
- - - - - - de omni Rerum foſſilium genere. *Tigur.* 1565, 8.
- - - *Joh. Albert* de ZINZIBERE. *Altdorf* 1723.
- - - *Joh. Auguſt. Phil.* in Nov. Act. Natur. Cur. *T. IV.*
- - - - - - - - - in Frænkiſch. Sammlung. *T. VII. Nürnb.* 1765.
- - - - - - - - - - Sammlung von Beytrægen aus der Arzneygelahrtheit u. Naturkund. *Nördl.* 1771. 8.
GIBSON in Medical Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. IV.* 1771. 8.
GIRARDI de Uva Urſi. *Patav.* 1764. 8.
GLAUBER Opera. *Frankf.* 1658. 2 *Vol.*
GLAUBRECHT Analecta de Odontalgia. *Argentor.* 1766.

GLEDITSCH in Mem. de l'Acad. Royale des ſciences de Berlin. 1748.
GLISSONIUS de Rachitide. *Lugd. Bat.* 1671. 12.
GMELIN *Joh. Conrad* in Commerc. litterar. Noric. 1733.
- - - - *Joh. Georg.* Flora Sibirica. *T. I. Petropol.* 1749. 4.
- - - - - - - - - Reiſe durch Siberien. 1751. & 1752. 8. 4 *Vol.*
- - - - - - - - - RhabarbarumOfficinar. *Reſp.* BENGEL. *Tubing.* 1752.
- - - *Phil. Frider.* ſpecifica Methodus recentior Cancrum ſanandi *Reſp.* GÆRTNER. *Tub.* 1757.
GŒCHEL *Eberhard* Beſchreibung des Anno 1694-1696. durch das Silberglætt verſüſsten Weins. *Ulm* 1697. 8.
GŒRITZ in BUCHNER Miſcell. Phyſico-Medico-Mathemat. 1728.
GŒTZ *Joh. Chriſtian.* de Glycyrrhiza. *Altdorf. ſine anno.*
- - *Joh. Chriſtoph.* in Act. Nat. Curioſ. *Vol. II.*
GOHL Acta Medicorum Berolinenſ. 1715-1731. 8. 21 *Vol.*
GORIS Medicina contempta. *Lugd. Bat.* 1700. 4.
GOULARD Oeuvres de Chirurgie. *Pezenas* 1766. 12. 2 *Vol.*
GRAINGER in Eſſais read before a Society in Edinburgh. *T. II.* 1756. 8.
GRANGER in Hiſt. de l'Acad. Royale des Scienc. 1735.
GRASHUYS in Act. Acad. Nat. Curioſ. *Vol. VIII.*
GRASSIUS in Ephem. Natur. Curioſ. *A.* 3, 4 & 5.
GREDING in Adverſariis Medico-Pract. *Lipſ.* 1771. 8.
GRONOVIUS Flora Virginica. *Lugd. Bat.* 1762. 4.
- - - - in Commerc. litterar. Noric. 1743.
GRUBEL in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. III. A.* 4.
GRUNFIELD Safe internal uſe of Cantharides. *Lond.* 1706. 8.

GRUN-

GRUNWALD in Ephem. Nat. Cur. *Dec. III. A.* 9 & 10.
GUERIN *apud* EHRHART.
GUETTARD *in* Hist. de l'Acad. Royale des Scienc. 1754.
- - - - Mémoires sur différentes parties des Sciences & des Arts. *Paris* 1768.-1770. 4. 3 *Vol.*
GUIDO *apud* FORESTUM.
a GULDENKLÉE Epistolæ & Consilia. *Lips.* 1655. 4.
- - - - Responsa Medicinalia. *Lips.* 1688. 4.
GULLMANN in Act. Physico-Medic. *Vol. VI.*
GUYOT *in* Prix de l'Académie Royale de Chirurgie. *T. II.* 157.

H.

HAARTMANN *in* Abhandlungen der schwedischen Academie 1762. 8.
de HAEN Ratio medendi. *Vind.* 1757-74. *XV. Vol.*
HÆNEL de Camphora. *Lugd. Bat.* 1739.
HAGENDORN in Ephemerid. Nat. Curios. *Dec. II. A.* 1.
- - - - de Catechu. *Jenæ* 1673. 8.
HAGG de Usu Mercurii in Hydrophobia. *Argent.* 1761.
HALE le Gentilhomme Cultivateur par Dupuis Demporte. *Paris* & *Bourd.* 1761-1764. *VIII Vol.*
HALES Statique des Vegétaux. *Paris* 1735. 4.
de HALLER Beschreib. der Salzwerke. *Bern* 1765. 8.
- - - - Elementa Physiologiæ. *Lausann.* & *Bern* 1757-66. 4. 8 *Vol.*
- - - - Historia Stirpium Helvetiæ indigenarum. *Bernæ* 1768. fol. 3 *Vol.*
- - - - in Commercio litterar. Noric. 1736.
du HAMEL *in* Traité des Arbres fruitiers. *Paris* 1768. 4. 2 *Vol.*
- - - - Art de rafiner le Sucre 1764 *dans la Description des Arts & Metiers.*
- - - - *in* Histoire de l'Académie Royale des Sciences. 1739, 1748 & 1767.

HAMILTON *in* Essais read before a Society in Edinburgh. *II.* 1756.
HANNÆUS in Ephem. Nat. Curiof. *Dec. II. A.* 1 4 & 5.
HANNEMANN in Ephem. Nat. Curiof. *Dec. II. A.* 1.
HANNES de puero epileptico foliis Aurantiorum sanato. *Vesal.* & *Lipf.* 1766. 8.
HARDER Thefaurus Obfervationum. *Basil.* 1736. 4.
HARTMANN *Joh.* Opera. *Francof.* 1682. fol.
- - - - *Peter Imman.* Obfervationes ad Cicutæ, Mercurii fublimati & Phofphori hiftoriam *Refp.* HUDEMANN. *Helmft.* 1763.
HASSELQUIST Reife nach Palæftina *per* LINNÆUM. *Rostoch.* 1762. 8.
- - - - *in* Abhandl. der fchwedifch. Academie. 1751. 8.
HAUSMANN de Acidulis Sulzbacenfibus. *Arg.* 1764.
ab HEERS Obfervationes Medicæ. *Lugd. Bat.* 1685. 12.
HEIMREICH in Act Nat. Curiof. *Vol. II.*
HEINZELMANN in LINNÆI Amœnit. Academ. *T. VII.*
HEISENIUS in Act. Nat. Curiof. *Vol. IX.*
HEISTER de Aurantiis *Refp.* WILBERDING. *Helmft.* 1741.
- - - de Pipere *Refp.* PFEFFER. *Helmft.* 1740.
van HELMONT Opera. *per* VALENTINUM. *Hafniæ* 1707. 4.
HELVETIUS Traité des Maladies. *Paris* 1724. 8. 2 *Vol.*
HELWICH *Christian.* in Ephemer. Nat Curiof. *Dec. III. A.* 5 & 6.
HELWIG *Christoph.* Cafus & Obfervationes. *Lipf.* 1711. 8.
de HELWIG in Ephem. Nat. Curiof. *Cent. V.* I. & X.
HENCKEL in Act. Natur. Curiof. *Vol. II.*
- - - von der Bergfucht und Hüttenkatz. *Freib.* 1728. 8.

HENCKEL Pyritologia. *Leipz.* 1725. 8.
HENNING *apud* BUCHNER in Miſcell. Phyſic. Medic. Mathemat. 1729.
HERACLIDES *apud* CÆLIUM AURELIANUM.
HERCULES SAXONIAE Prælectiones practicæ. *Franc.* 1610. fol.
HERISSANT in Philoſoph. Tranſact. 1751 & 52.
HERMANN *Benedict.* in Ephemerid. Natur. Curioſ. *Dec. II. A.* 4.
- - - - *Gottl. Ephraim* in Primitiis Phyſico-Medicis ab iis, qui in Polonia Medicinam faciunt, collectis. *Vol. III. Zullichau* 1753. 8.
- - - - *Paul.* in Cynoſura Materiæ Medicæ, continuata *per* BŒCLER. *Arg.* 1726-31. 4. 3 *Vol.*
- - - - - Paradiſus Batavus. *Lugd. Bat.* 1705. 4.
HERNANDEZ in Nova Plantarum, & Mineralium Mexicanorum Hiſtoria *per* RECCHUM. *Romæ* 1601. fol.
HERTODT Crocologia. *Jenæ* 1671. 8.
HESSE in Commerc. literar. Noric. 1737 & 39.
HEURNIUS in Aphoriſmos HIPPOCRATIS. *Amſtelod.* 1688. 12.
- - - - Praxis Medicinæ. *Lugd.* 1658. fol.
de HEYDE Centuria Obſervationum Medicarum. *Amſtel.* 1686. 8.
HILDANUS Opera. *Francof.* 1646. fol.
HILLEFELD Experimenta circa Venena. *Gœtt.* 1760.
HIPPOCRATES Opera *per* FOESIUM. *Francof.* 1659. fol.
HIRSCHEL *in* Berliniſch. Sammlungen. *T. III.* 1771.
Hiſtoria Morborum Vratislavienſium. *Lauſann.* & *Genevæ* 1746. 4.
HODGES Λοιμολογία. *London* 1672. 8.
HOECHSTETTER Obſervationes Medicæ. *Francof.* 1674. 8.
HOEFER Hercules Medicus. *Viennæ* 1657. 4.

HOFER in Act. Helvet. *T. II.* Basil. 1755.
HOFFBERG in Schwedisch. Akademie. 1762 & 1765.
HOFFMANN *Caspar* Opuscula Medica. *Frf.* 1767. 4.
- - - - *Frid.* Clavis pharmaceutica SCHRŒDER. *Halæ* 1675. 4.
- - - - - Thesaur. pharmaceut. *Halæ* 1675. 4.
- - - - - de Chinæ modo operandi *Resp.* SCHONDORFF. *Halæ* 1704.
- - - - - Medicina Rationalis systematica. *Frf.* 1737-1740. 9 *Vol.*
- - - - - de Balsamo Peruviano *Resp.* LEHMANN. *Halæ* 1703.
- - - - - de Millefolio *Resp.* PEZSCHIUS. *Halæ* 1719.
- - - - - de Infusi Veronicæ efficacia *Resp.* SATTLER. *Halæ* 1694.
- - - - - *Notæ ad* POTERIUM.
- - - - - Observationes Physico - Chymicæ, *Halæ* 1722. 4.
- - - - - Opuscula Medica varii argumenti. *Halæ* 1739. 4.
- - - - - Opuscula Medico - practica. *Halæ* 1736. 4.
- - - - - Opuscula Physico - Medica. *Ulmæ* 1736. 8.
- - - - *Maurit.* in Ephem. Nat. Curios. *Cent. V, VI* & X.
- - - - - - - Syntagma pathologico - therapeuticum. *Altdorf* 1719. 4.
- - - - - - *apud* GŒTZ de Glycyrrhiza.
HOMBERG in Hist. de l'Académie Royale des Sciences. 1712.
HONESTUS *ad* MESUE.
HOPE in Philosophical Transact. 1765.
HOPPE in Mantissa Exoticorum *apud* VALENTINII Histor. simpl.

HORNUNG Ciſta Medica. *Norimb.* 1626. 4.
HORST *Georg* Opera. *Norimb.* 1660. fol.
HOYER in Ephemerid. Nat. Cur. *Dec. III. A.* 7 & 8. *Cent. I. & II. Cent. VI.*
HUCK *in* Obſervations by a Society of Phyſicians in London *T. III.* 1763.
HULBER de ænea culinaria ſupellectile. *Arg.* 1766.
HUNAULD *in* Hiſt. de l'Académie Royale des Sciences, 1737.
HUNERWOLFF in Ephemerid. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 5. & *Dec. III. A.* 2.
HUNTER *in* Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. I.*
HUXHAM Opera *per* REICHEL. *Lipſ.* 1764. 8.

I.

JACOBI *in* Nov. Act. Nat. Curioſ. *Vol. I & II.*
- - - in Act. Acad. Moguntin. *T. I. Erf.* & *Goth.* 1757. 8.
JACQUIN Selectarum ſtirpium American. Hiſtoria. *Vindob.* 1763. fol.
de JÆGER *Herbert in* Ephem. Natur. Curioſ. *Dec. II. A.* 3.
- - - - - - *apud* VALENTINI Ooſt-Indiſch Schreiben.
- - - de Cantharidibus *Reſp.* KAISER. *Tub.* 1769.
JÆGERSCHMID der in denen durch Silberglætt beſtrichenen Weinen verborgene Mercurius. *Ulm* 1699. 8.
IMLIN de Soda. *Argent.* 1760.
IMPERATI dell' Iſtoria Naturale. *Napoli* 1599 4.
JOEL Opera. *Amſtel.* 1663. 4.
JOERDENS *in* Commerc. litterar. Noric. 1740.
JOUBERT Pharmacopœa. *Lugd.* 1579. 8.
Journal Oeconomique *cœpit Pariſiis* 1751. *ſinguli menſibus Volumen in* 8. *prodiit.*

JUCH de Radice Chinæ *Resp.* ERMEL. *Erford.* 1753.
JUNCKER Conspectus Therapiæ generalis. *Halæ* 1736.
JUNGKEN Corpus Pharmaceutico-Medicum. *Francof.* 1697. 4.
de JUSSIEU *in* Hist. de l'Académie Royale des Scienc. 1717, 1729 & 1740.
- - - - An inveteratis Alvi fluxibus Simaruba? Paris. 1730. *recusa a* CAPET HUGO & FUMÉE. 1758.
JUSTI Grundriss des gesammten Mineral-Reichs. *Gœttingen* 1757. 8.

K.

KAAS Observationes de Borace. *Traj. ad Rhen.* 1769.
KÆMPFFER Amœnitates Exoticæ. *Lemgov.* 1712. 4.
KÆMPFF in Act. Societat. Hassiac. *T. I. Gissæ* 1771. 4.
KALDE Dispensatorium Hamburgens. 1716. fol.
KALM Reise nach Nord-America. *Gœtting.* 1754-1764. 8. 3 *Vol.*
KENTMANN Nomenclatura Fossilium *in* GESNER de omni rerum fossilium genere.
KERKRING Opera Anatomica. *Lugd. Bat.* 1729. 4.
KERNER *apud* HASSELQUIST.
KESSELMEIER quorundam Vegetabilium principium nutriens. *Argent.* 1759.
KETELAER de Aphtis. *Genevæ* 1727. 4.
KHON in Ephemerid. Nat. Curios. *Dec. III. A.* 5 & 6.
KHUNRATH in Medulla destillatoria. *Hamb.* 1405. 4.
KINNEIR in Philosoph. Transact.
KLAUNIG in Ephem. Nat. Curios. *Cent. V.* & *VI.* & in Act. Acad. Nat. Curios. *Vol.* II.
KLEIN Descriptio tubulorum marinorum. *Gedan.* 1731. 4.
- - - Historia Piscium. *Gedan.* 1740-1749. 4. 5 *Vol.*
- - - Tentamen Herpetologiæ. *Gœtting.* 1754. 4.

KLEINKNECHT de Scordio. *Ulmæ* 1720. 8.
KOEHLER in Commerc. litterar. Noric. 1740.
KOENIG *Emmanuel* in Ephemer. Nat. Curiof. *Dec.* II. *A.* 10.
- - - - - - Regnum Vegetabile. *Bafil.* 1708. 4.
- - - *Samuel Frid.* de Lamio Plinii. *Arg.* 1742.
KOELICHEN in Act. Hafnienf. *Vol.* II.
KRAMER *J. Geo. Heinr* in Commerc. litterar. Noric. 1733, 1738, 1739.
- - - *Theodor. Valent.* in Act. medic. Berolinenf. *Dec.* II. *Vol.* VIII.
KRAPFF de nonnullorum Ranunculorum venenata indole *Viennæ* 1766. 8.
KRIELE *in* Mém. de l'Acad. Royale des Sciences de Berlin. 1763.
KUNCKEL Laboratorium Chymicum. *Hamb.* 1738. 8.
KÜRSCHNER de Fonte medicato Caftanacenfi. *Argent.* 1760.

L.

LAMBERGEN Ephemerides perfanati carcinomatis *in* Gœttinger-Anzeigen von gelehrt. Sachen. 1755.
LANDEUTTE in Journal de Médecine 1761.
LANG Epiftolæ medicæ. *Hanov.* 1605. 8.
LANGE Dubia Cicutæ vexata *Refpond.* MÜLLER. *Helmft.* 1764.
- - - de Remediis domefticis Brunfvicenfibus. *Brunfv.* 1765. 8.
LANGELOTT in Ephem. Nat. Curiof. *A.* 5 & 6.
LANZONUS in Ephem. Nat. Curiof *Dec.* II. *A.* 10. *Dec.* III. *A.* 2 & 7. Act. Nat. Curiof *Vol.* I.
- - - - Opera. *Laufann.* 1738. 4. 3 *Vol.*
LARROTURE in Journal de Médecine. 1764.
LAUTH *apud* ERHART.
LEBENWALD in Ephem. Nat. Curiof. *Dec.* II. *A.* 8.
LEDEL in Ephem. Nat. Curiof. *Dec.* I. *A.* 9. *Dec.* II. *A.* 2. *Dec.* III. *A.* 1.

LEIBNITZ in Ephem. Nat. Curiof. *Dec.* III. *A.* 3.
LEMERY *Louis* in Hift. de l'Acad. Royale des Scienc. 1720 & 1739.
- - - - - *in* Traité des Alimens *per* BRUHIER. *Paris* 1755. 8.
- - - *Nicolas* in Cours de Chymie *per* BARON. *Paris* 1756. 4.
- - - - - in Pharmacopée Univerfelle. *Bruxell.* 1689. 4.
- - - - - *in* Traité de l'Antimoine. *Paris* 1707. 8.
LENTILIUS in Ephemerid. Nat. Curiof. *Dec.* II. *A.* 3. 9 & 10. *Dec.* III. *A.* 1, 3, 4, 5 & 6.
- - - - Eteodromus Medico - Practic. *Stuttg.* 1711. 4.
- - - - Mifcellanea Practica. *Ulm* 1698. 4.
LESTOME in Natural. Hiftory of the Tea tree. *London* 1772. 4.
LEUCHSENRING de Fonte Medicato Niederbronnenfi. *Argent.* 1753.
LEWIS in Experimental Hiftory of the Materia Med. *London* 1761. 4.
LIE *in* Drontheimer Gefellfchaft Schriften. *Tom.* III.
LINDERN *apud* ROUSSY.
LINNÆI Amœnitates Academicæ. *Holm.* 1749-1769. 8. 7 *Vol.*
- - - Flora Suecica. *Holm.* 1755. 8.
- - - Genera Plantarum. *Holm.* 1764. 8.
- - - Mantiffa Plantarum altera. *Holm.* 1771. 8.
- - - Materia Medica *per* SCHREBER. *Lipf.* & *Erl.* 1772. 8.
- - - Species Plantarum. *Holm.* 1762. 8. 2 *Vol.*
- - - Syftema Naturæ. *Holm.* 1766-68. 8. 3 *Vol.*
LISCHWITZ de ordinandis rectius Virgis aureis *Refp.* TETTELBACH. *Lipf.* 1731.
LISTER Exercitat Medicinales. *Frf.* & *Lipf.* 1696. 8.
- - - de Morbis chronicis. *Genev.* 1727. 4.

LOBB de Diſſolventibus calculum. *Baſil.* 1742. 8.
LOBEL Balſami, Opobalſami exploratio. *Londin.* 1698. 4.
- - - & PENÆ Adverſaria ſtirpium. *Antw.* 1576. fol.
LOBSTEIN *apud* SPIELMANN de Vegetabilibus venenatis Alſatiæ.
LOCHER Obſervat. Practic. *Vienn.* 1762. 8.
LOCHNER in Ephemer. Nat. Curioſ. *Cent. V.* & *VI.*
- - - de Pareira brava. *Norimb.* 1719. 4.
LOEFLING Reiſe *per* LINNÆUM. *Berlin u. Stralſund* 1766. 8.
LOESECKE in Abhandlung der auserleſenſten Arzneymittel. *Berlin* 1773. 8.
LOEW in Ephemerid. Nat. Curioſ. *Dec. III. A.* 5 & 6.
LONICER Kræuterbuch *per* ERHARD. *Ulm.* 1737. fol.
LORRY de Melancolia. *Pariſ.* 1765. 8. 2. *Vol.*
LOSS de Nuce Vomica *Reſp.* GEORGI. *Witteb.* 1683.
LOTTINGER *in* Journal de Médecine. 1768.
LOWER, BEHR &c. vollſtændige Haberbeſchreibung. *Beuthen* 1755. 8.
LUCAS in Philoſ. Tranſact. 1746.
LUDOVICI Opera *per* MICHAEL. *Francoſ.* 1712. 4.
LUDWIG Terræ Muſæi Regii Dreſdenſis. *Lipſ.* 1749. fol.
- - - in Comment. Lipſienſ. *T. VIII* & *XI.* 8.
LUISINUS *Aloyſ.* de morbo gallico quæ extant omnia *per* BOERHAAVE. *Lugd. Bat.* 1728. fol.
Luminare majus. *Venet.* 1553. fol.

M.

MACBRIDE Experimental Eſſais. *London* 1764. 8.
MACCAULEY in Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. I.*
MACER de Virtutibus Herbarum *per* RANZOVIUM. 1596. 8.
MAGNENUS de Tabaco. *Amſtel.* 1669. 12.

MAINARDES *apud* BRUNFELS.
MALLEBRANCHE *in* Histoire de l'Académie Royale des Sciences. 1702.
MALOUIN *in* Hist. de l'Acad. Royale des Scienc. 1746.
MANARDUS Epistolæ. *Basil.* 1540. fol.
MACQUER Dictionnaire de Chymie. *Paris* 1756. 8. 2 *Vol.*
de MANLIIS Interpretatio Simplicium *apud* BRUNFELS.
MAPPUS de Potu Caffée *Resp.* WENCKER. *Arg.* 1693.
MARANTA *Barthol.* Methodus cognoscendi simplicia. *Venet.* 1559. 4.
MARCELLUS de medicam. simplicibus. *Basil.* 1536. fol.
MARCHANT *in* Hist. de l'Acad. Royale des Scienc. 1706.
MARGGRAF *in* Hist. de l'Acad. Royale des Sciences de Berlin. 1747 & 48.
- - - - Chymische Schriften. *Berlin* 1761 & 67. 8. 2 *Vol.*
Maris Baltici nova litteraria. *Lubec.* 1698-1708. 4.
MAROLDUS Practica medica. *Francof.* 1650. 4.
MARTEAU in Journal de Médecine. 1762.
MARTIALIS Opera. *Paris* 1754. 8.
MARTINI *apud* S. PAULI.
MARTIUS *apud* WELSCH Curat. Exotic.
MARTYN Philosoph. Transact. abridged. *Vol. VII.*
MASSE *apud* TRONCHIN Traité d'Epilepsie.
MATTHIOLI Kræuterbuch *per* CAMERARIUM. 1600. fol.
- - - - Opera *per* C. B. 1698. fol.
MAUCHART in Ephem. Nat. Curios. *Cent. I. & II.*
MAUPERTUIS in Histoire de l'Acad. Royale des Scienc. 1731.
MAUTT de Cortice Peruviano. *Lugd. Bat.* 1760.
MAZEAS in Journal des Sçavans. 1769.
MAZARS DE CAZELLE in Journal de Médecine. 1770. *Supplément.*
MEAD Monita medica. *Lond.* 1751. 8.

MEAD Opera *Gœtting.* 1748. 8. 2 *Vol.*
MEDICUS *in* Bayrifch. Acad. *T. II. Vol. II. Münch.* 1764. 4.
MELCHIORIUS *Joh. Odoric. apud* MATTHIOLUM.
MELICHIUS *apud* SCHENCK Obfervationes.
MENGHINI *in* Comment. Inftitut. Bononienf. *T. II. P. III.* 1747. & *T. IV.* 1755. 4.
MESUE Opera. *Venet.* 1589. fol.
MENZEL in Ephemerid. Nat. Curiof. *A.* 6. & 7.
MERCATI de Effentia, caufis, fignis & curatione febris malignæ. *Valladol.* 1574. 8.
MEYER Chymifche Verfuche. *Hann. u. Leipz.* 1764. 8.
MICHAEL Opera. *Norimb.* 1688. 4.
MILLAR Obfervations on the Afthm. *London* 1767. 8.
MILLER Gærdner Dictionnary. *London* 1759. fol.
MINDERER de Calcantho. *Auguft. Vindel.* 1617. 4.
- - - - Alœdarium Marocoftin. *Auguft. Vindel.* 1622. 12.
MISSA in Recueil Périodique. 1755.
M. M. L** Effais fur les effets de l'Écorce de Garou. *Paris* 1767. 8.
MODEL Fortfetzung feiner chymifchen Nebenftunden. *Petersburg* 1768. 8.
- - - Verfuch über einen natürlichen Salmiack. *Leipzig* 1758. 8.
MOEHRING in Commerc. litterar. Noric. 1735 & 36.
MOELLENBROECK in Ephem. Natur. Curiof. *A.* 2.
- - - - - - de Varis. *Lipf.* 1663. 8.
MOLINARIS Epiftola. *Vindob.* 1761. 8.
MOLINELLUS in Commentat. Inftitut. Bononienf. *T. V. P. I.* 1767. 4.
MOLITOR de Febre continua maligna & intermittente ad Rhenum. 1731 & 35. Epidemica. *Heidelb.* 1736.
MONARDES Simplicium Medicamentorum ex novo Orbe hiftoria. *Antw.* 1682. 8.

MONTAGNANA Opera Selectiora. *Norimb.* 1652 fol.
MONTANUS de terra sigillata Strigoniensi. *Vratislav.* 1610. 8.
- - - - Metamorphosis eorum quæ ad Medicamentorum doctrinam attinent. *Patav.* 1550. 8.
MONTET *in* Histoire de l'Académie Royale des sciences. 1757 & 62.
MONTINUS *apud* HILLEFELD.
MORAND *in* Memoires de l'Académie de Chirurgie. *T. II. Paris* 1753. 4. *J. B.* Historia botanico-practica. *Mediol.* 1744. fol.
MOREALI delle febri maligne & contagiose. *Mutin.* 1739. 4.
MOREL Mineralwasser zu Watweiller. *Colm.* 1765. 8.
MORCY *apud* BIRCH History of the royal Society of London. *T. II.* & *III.* 1756 & 57. 4.
MORGAGNI de sedibus & causis morborum. *Venet.* 1761. fol.
MORGENSTERN Nov. Act. Nat. Curios. *T. IV.*
MORLEY Collectanea Chymica Leidensia. *Lugd. Bat.* 1684. 4.
MORTON Opera Medica. *Genevæ* 1727. 4.
MÜLLER in Frænkisch. Sammlung. *T. IV. Nuremb.* 1759. 8.
MUNDIUS Comment. de Aëre, esculentis & potulentis. *Frf. & Lipf.* 1685. 8.
MUNTING Phytographia *Resp.* KIGGELAËR. *Amstel.* 1727. fol.
de MURALTO in Ephem. Nat. Curios. *Dec. II. A.* 2 & 8.
MURRAY de Arbuto Uva Ursi. *Gœtting.* 1765. 4.
MUSCHEL *de Moschau* in Ephemerid. Natur. Curios. *Dec. II. A.* 8.
MUSCHENBROECK Introductio ad Philosophiam Naturalem. *Lugd. Bat.* 1762. 4. 2. *Vol.*
MUTEAU DE ROQUEMONT *in* Journal de Medecine. 1766.

MUYS Salis Ammoniaci uſus ad Febres. *Franecker*, 1716. 4.
MYLII Anatomia Auri. *Francof.* 1628. 4.
MYNSICHT Theſaurus & Armamentarium Medico-Chymicum. *Genev.* 1697. 8.
MYREPSUS Opus Medicament. *Baſil.* 1549. fol.

N.

NAVIER in Recueil Périodique. 1756.
NEBEL in Ephemerid. Nat. Curioſ. *Dec. III. A.* 3. *Cent. IX.* & *X* & Act. Nat. Curioſ. *Vol. V.*
NEUHOLD in Commerc. litterar. Noric. 1734.
NEUFORN de Succino. *Lugd. Bat.* 1760.
NEUMANN Chymia Medico-dogmatico-Experimentalis *per* KESSEL. *Zullichau* 1749-55. 4. 10 *Vol.*
NICANDER Alexipharmaca *Pariſ.* 1557. 4.
- - - - Theriaca. *Pariſ.* 1557. 4.
NICOLAUS *Præpoſitus* Diſpenſatorium. *Lugd.* 1505. 4.
NICOLSON Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. IV.*
NIGRISOLIUS Febris China Chinæ expugnata. *Jenæ* 1704. 4.
NOLANUS Comment. de Cicuta. *Neapol.* 1767.
NONNE de Secalis toſto Decocto *Reſp.* SCHWANECK; *Erford* 1767.
NORÆUS Abhandl. der ſchwed. Acad. 1739.

O.

ODELIUS *in* ſchwed. Academ. 1762 & 66.
OLIVER *in* Philoſoph. Tranſact. 1755.
OLIVIER *in* Journal de Medecine. 1760.
OSBECK *in* Reiſe nach Oſt-Indien *per* GEORGI. *Roſtock* 1765. 8.
OTTMANN *apud* ERHART.
OVELJAN Act. Acad. Nat. Curioſ. *Vol. I.* & *VII.*
OWEN Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. III.*

P.

PAARMANN Ligni Quaſſiæ examen. *Argent.* 1772.
PALLADIUS *cum* Scriptorib. Rei Ruſticæ *ed.* GESNER.
PALLAS *apud* MURRAY.
- - - *Joh. Dietr. Diſſ.* de Chryſoſplenio. *Argent.* 1758.
- - - *P. S.* Elenchus Zoophytorum. *Hagæ Comit.* 1766. 8.
PANCOVIUS Herbarium *per* ZORN. *Cœlln an der Spree* 1763. 8.
PARACELSI Opera. *Genev.* 1658. fol.
PARÉ Œuvres. *Lyon* 1641. fol.
PARIS *apud* ERHART.
PARKINSON Theatrum Botanicum. *Lond.* 1640. fol.
PARSON in Philoſ. Tranſact. 1745 & 55.
PASSERAT *de la Chapelle* in Recueil Périodique. 1757.
PATOUILLART in Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences. 1737.
PAULI *Simon* quadripartitum Botanicum. *Argent.* 1667. 4.
PAULINI de Theriaca cœleſti. *Francof.* 1701. 8.
PAULINUS Obſervat Medico-Phyſicæ. *Lipſ.* 1706. 8.
- - - - de Salvia. *Auguſt. Vind.* 1688. 8.
PECHLIN de purgantium medicamentorum facultatib. *Amſtel.* 1702. 8.
PELET *in* Journal de Médecine. 1761.
PENICHER Collectanea pharmaceutica. *Pariſ.* 1695. 4.
PETIT in Hiſt. de l'Académie Royale des Sciences. 1732.
PETRONIUS de morbo Gallico *apud* LUISINUM.
Pharmacopœa Argentorat. 1757. fol.
- - - - - Auguſtana. 1622. fol *renov.* 1710. fol.
- - - - - Bateana. *Lovan.* 1752. 8.
- - - - - Edinburg. *Bremæ* & *Lipſ.* 1758. 8.
- - - - - Hagienſis. 1659. 4.
- - - - - Londinenſis. 1746. 8.

Pharmacopœa Lugdunensis. 1674. 4.
- - - - Wurtembergica. *Stuttg.* 1750. fol.
PIETSCH Erzeugung des Salpeters. *Berlin* 1750. 4.
PISO *Guilielm.* de Aëre, aquis & locis &c. Indiæ Occidentalis. 1658. fol.
- - *Homobon.* de regimine magnorum auxiliorum. *Patav.* 1735. 4.
PLANCHON *in* Journal. de Médecine. 1763.
PLATEARIUS Practica brevis morborum curandorum. *Lugd.* 1535. fol.
PLATER Obſervationes. *Baſil.* 1680. 8.
PLAZA in Miſcell. Taurinenſ *T. I.* 1759.
PLENCK *Joſ. Jacob* Mater. Chirurgica. *Wien* 1771. 8.
PLINII Hiſt. Naturalis. *Pariſ.* (*Baſil.*) 1731. 3 *Vol.* fol.
PLUMIER Plantæ Americanæ *per* BURMANN. *Amſtel.* 1755-60. *Vol. X.* fol.
PLUTARCHI Opera *per* XYLANDER *Frf.* 1620. fol.
POERNER Verſuch zur Færbekunſt. *Leipz.* 1772 & 73. 3 *Vol.*
POISSONIER *in* Hiſt. de l'Académie Royale des Scienc. 1751.
POMET Hiſtoire des Drogues. *Paris* 1735. 4.
PONTEDERA Anthologia. *Patav.* 1720 4.
PORPHYRIUS *in* BARTHOLINI Epiſtolis.
PORTALEZ *in* Conſultations choiſies de Montpellier. *T. II. Paris* 1748. 12
PORTE *in* Journal de Médecine. 1762.
PORZII Anatomia Vini Rhenani. *Heidelb.* 1672. 12.
POTERI Opera *per* HOFFMANN. *Francof.* 1698. 4.
POTT *in* Mém. de l'Académie Royale des Sciences de Berlin. 1753.
- - Obſervat. & Animadverſ. Chymicæ Collect. I. *Berolin.* 1739. 4.
POUTEAU Mélanges de Chirurgie. *Paris* 1760. 8.
PRANGE Camphoræ virtus Anthelmint. *Gœtt.* 1759.
PRÆVOTII Remedia ſelectiora. *Francof.* 1659. 12.

PRINGLE in Essais read before a Society in Edinburgh *II*.
- - - Diseases of the Army. *London* 1764. 8.
PYE *in* Medical Observations by a Society of Physicians in London *I*.

Q.

QUARIN de Cicuta. *Vindob*. 1761. 8.
QUELMALZ de Hydrargyri viribus a Sulphure suspensis. *Lips*. 1748.
QUER Observat. sur la Maladie Néphritique & son spécifique le Raisin d'Ours. *Strasb*. 1762. 8.
QUERCETANUS *apud* ETTMÜLLER.
- - - - - Pharmacopœa Dogmaticorum. *Francof*. 1615. 4.
QUINCY in Philosoph. Transact. *N*. 365.

R.

RAHN de Aquis mineralibus Fabariensibus seu Piperinis *Lugd. Bat.* 1757.
- - in Naturforsch. Gesellschaft in Zürch *II*. 1764.
RAJI *Joh*. Historia Plantarum. *Lond*. 1686. fol. 3 *Vol*.
- - - Philosophical lettres. *London* 1718. 8.
RAISIN *in* Recueil Périodique. 1756.
RAMAZZINUS de Morbis Artificum. *Venet*. 1743. 8.
RAMSAY in Essais & Observations de Medecine de la Société d'Edimbourg. *T. V. Paris* 1743. 12.
- - - in Medical Observations by a Society of Physicians in London *II*. 1762.
RAMSPECK Biga Remediorum. *Basil*. 1745.
RANSON *in* Recueil Périodique. 1760.
RAU in Nov. Act. Nat. Curios. *Vol. III*.
RAULIN Obsérvations de Médecine. *Paris* 1754. 12.
RAUWOLFF Reise. *Frankf*. 1582. 4.
RÉAUMUR *in* Histoire de l'Académie Royale des Scienc. de Paris. 1718.

RAYGER

RAYGER in Ephemerid. Natur. Curiof. *Dec. I. A.* 3. & *Dec. III. A.* 3.
de REBECQUE Medicinæ Helvetiorum Prodromus. *Genev.* 1677. 12.
REDI Opufcula. *Amftelod.* 1685. 12. 2 *Vol.*
REICHARD Gartenfchatz *IV. Erford* 1753. 8.
REICHEL de Magnetifmo in corpore humano *Refp.* LUDWIG. *Lipf.* 1772.
REIMANN tentam. *Vratislav.* 1724.
REINHOLD de Aconito Napello. *Argentor.* 1769.
REISIG de Sulphuris crudi ufu interno. *Lipf.* 1768.
RENARD *in* Journal de Médecine. 1765.
RENEALME *in* Hift. de l'Académie Royale des Scienc. 1711.
- - - - hiftor. Plantar. *Parif.* 1611. 4.
- - - - *apud* HALLER.
RENODÆI Difpenfatorium Medicum. *Frf.* 1631. 4.
REUSNER *apud* WELSCH Obfervat. Exotic.
RHAZES Opera *per* GERARDUM Tolutanum &c. *Bafil.* 1544. fol.
van RHEDE *Henric.* Hortus Malabaricus *per* COMMELINUM. *Amftel.* 1686.-1703. *XII. Vol.*
RHODIUS Obfervationes adjectæ BORELLO.
- - - *Joh.* Analecta & notæ in *Lud.* SEPTALII animadverfiones & cautelas Medicas. *Patav.* 1652. 8.
RICHARD de HAUTESIERCK Recueil d'Obfervations de Médecine des hôpitaux militaires. *Paris* 1766, 1772. 2 *Vol* 4.
RIEDLIN Lineæ Medicæ. *Auguft. Vind.* 1695-1700. 8.
- - - Obfervat. Medic. *Auguft. Vindel.* 1691. 12.
RIOLANUS Opera. *Parif.* 1610. fol.
RISLER *Differt.* de Verbafco. *Argentor.* 1754.
RITTER in Act. Natur. Curiof. *Vol. X.* & Nov. Act. *Vol. III.*
RIVERII Opera. *Genev.* 1737. fol.

RIVINIUS Differt. Medic. *Lipſ.* 1710. 4.
ROCHARD *in* Recueil Périodique. 1755.
RŒSEL VON ROSENHOFF monatlich herausgekommene Inſecten-Beluſtigung. *Nürnb.* 1746-61. 4 *Vol.*
- - - Hiſtoria naturalis Ranarum. *Nürnb.* 1758. fol.
ROESZLER ſpeculum Metallurgiæ. *Dreſd.* 1700. fol.
ROLFINCK Chymia in artis formam redacta. *Genev.* 1671. 4.
- - - - Epitome methodi cognoſcendi & curandi particulares corporis affectus. *Jenæ* 1655. 4.
- - - - Purgantia Vegetabilia. *Jenæ* 1684. 4.
ROSE *in* Berliner Sammlungen *I. Berlin* 1768. 8.
ROSEN VON ROSENSTEIN Anweiſung zu Kinder-Krankheiten *per* MURRAY. *Gotha u. Gœtting.* 1766. 8.
ROSNER *Diſſert.* qua nonnulla circa lactis vires notantur. *Lugd. Bat.* 1756.
ROUSSY de Fumaria vulgari. *Argent.* 1749.
RUELLIUS *Joh.* de Natura ſtirpium. *Baſil.* 1537. fol.
RULAND Curationes Empyric. *Budiſſ.* 1679. 8.
RUMPEL *Progr.* de Cantharidibus. *Erford.* 1767.
RUMPH Herbarium Amboinenſe. *Amſtel.* 1741-65. *VII. Vol.* fol.
RUSH *in* Obſervations by a Society of Phyſicians in London. *T. IV.* 1771.
RUSSEL *in* Obſervations by a Society of Phyſicians in London *I.* & *III.*
RUTTY *in* Obſervations by a Society of Phyſicians in London III. 1769.
- - - Methodica Synopſis of mineral Waters. *London* 1757. 4.
de RUUSCHER Naturlyke hiſtorie van de Cochenille. *Amſtel.* 1729. 8.
ten RYNE *apud* BREYN Centur. Plantar.
RYSER *apud* WEPFER.

S.

SACHS a LEWENHEIM in Ephem. Nat. Curiof. *A.* 1.
- - - *Philipp* Ampelographia. *Lipf.* 1661. 8.
SALA *Angelus* Opera Medico-Chymica. *Frf.* 1647. 4.
de SALICETO Opus de Chirurgia. *Venet.* 1480. fol.
SALMASII Exercitationes Plinianæ. *Traject.* 1689. fol. 2 *Vol.*
SANCTORIUS Ars de ftatica Medicina *per* LISTER. *Lugd. Bat.* 1728. 8.
SARTORIUS in Ephemerid. Natur. Curiof. *Dec.* II. *A.* 1.
SAUVAGES *apud* BENTHEL de animalibus venenatis Galliæ. *Monfpel.* 1763.
- - - Nofologia Method. *Amftel.* 1768. 4. 2 *Vol.*
SAVARY *Franc. Petr.* de Sale effentiali Acetofell. *Arg.* 1773.
- - - *Philemon. Louis* in Dictionnaire de Commerce. *Geneve* 1759-1765. fol.
SCHALLER de Jalappa. *Argent.* 1761.
SCHARFF de Junipero. *Jenæ* 1679. 8.
SCHEFFLER de Afaro. *Altdorf.* 1721.
SCHELLHAMMER de Natura. *Kiel* 1697. 4.
SCHENCK A GRAFFENBERG Obfervationes Medicæ. *Francof.* 1665. fol.
SCHEUCHZER Hydrographia Helvetica. *Zurich* 1717. 4.
- - - - Itinera. *Lugd. Bat.* 1723. 4. 4 *Vol.*
SCHMID in Ephemerid. Natur. Curiof. *Dec.* II. *A.* 2.
SCHLEGER *in* Berlinifch. Samml. II. 1770. 8.
SCHLUTER Hüttenwerk und Probierbuch. *Braunfchw.* 1738. fol.
SCHOLZ Concilia Medicinalia. *Hannov.* 1610.
SCHRADER *in* Berlinifche Samml. *T.* II. 1770.
SCHREBER *Daniel Gottfried* Sammlung verfchiedener Schriften. *Halle* 1755-65. *Part. XVI.* 8.

SCHREBER *Joh. Christian. Daniel* Beschreibung der Græser. *Leipzig* 1769.
SCHREIBER Observationes de Pestilentia Ucraniæ, *Berl.* 1744. 8.
SCHROECK in Ephemerid. Natur. Curios. *Dec. II. A.* 3, & 4. *Norimb.* 1705.
SCHRIZER *apud* HORNUNG.
SCHROEDER *Joh.* Pharmacopœa Medico-Chymic. *Francof.* 1668. 4.
SCHROER Scrutinium Trifol. fibrin. *Gubin.* 1700. 8.
SCHUCHMANN in Ephem. Nat. Curios. *Dec.* III. *A.* 4. *Lips.* & *Francof.* 1697.
SCHULTZ *Simon* in Ephem. Nat. Curios. *A.* 3, 4 & 5.
- - - - *Joh. Heinr.* de Chamæmelo *Resp.* HERTOG. *Halæ* 1739.
- - - - - - - de Helleboro.
- - - - - - - de Fructibus horræis *Resp.* REDTEL. *Halæ* 1737.
- - - - - - - de Inexpectato medicamentorum effectu *Resp.* LANGUTH. *Halæ* 1739.
- - - - - - - Examen Chemicum Radicis scillæ marinæ *Resp.* MEDER. *Halæ* 1734.
- - - - - - - de Ægroto asthmatico usu radicis scillæ sublevato *Resp.* SCHROEDER. *Halæ* 1745.
- - - - - - - de Viperarum usu Medico *Resp.* MEYER. *Altdorf* 1727.
- - - - - - - Mat. Medica. *Norimb.* 1746. 8.
- - - - - - - Prælectiones in Dispens. Brandeburg. *Norimb.* 1753. 8.
SCHUSTER in Nov. Act. Nat. Curios. *Vol. I.*
SCHWENCK *apud* DEGNER.
- - - - *Thom.* Hæmatologia. *Hag. Com.* 1743. 8.
SCHWENCKFELD stirpium & fossilium Catalogus. *Lignit.* 1700.
SCOPOLI Flora Carniolica. *Vienn.* 1772. 8. 2 *Vol.*
SCRIBONIUS Largus *per* RHODIUM. *Patav.* 1655. 4.

SEBA in Act. Nat. Curiof. *IV. Norimb.* 1737.
- - locupletiſſimus rerum naturalium theſaurus. *T. IV. Amſtel.* 1735.
SEBASTIANI in Act. Acad. Moguntin. *Erf.* 1761. 8.
SEBIZIUS *Melchior* de Alimentorum facultatibus. *Argent.* 1650. 4.
SEIP Pyrmontiſch Mineralwaſſer. *Hann. u. Pyrmont* 1750. 8.
SENNERT Practic. Medic. *Witt.* 1628-35. 4. *VI. Vol.*
SERAPIO de ſimplicibus Medicinis *per* BRUNFELS. *Argent.* 1531. fol.
SERAPION *apud* CÆLIUM AURELIANUM.
SERENUS SAMMONICUS de Medicina. *Amſtel.* 1662. 8.
la SERRE in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 1.
SETHI *Simeon* Syntagma de Alimentorum facultate. 1561. 8.
SEVERINUS de Vipera pythia. *Patav.* 1651. 4.
SEUTER Diſſ. de Nuce Vomica. *Lugd. Bat.* 1691.
SHARP *in* Philoſoph. Tranſact. *XLVIII.* 1752.
SHAW Travels. *London* 1757. 4.
SHERARD *apud* GEOFFROI Mat. Med.
SHORT *in* Hiſtory of the mineralwaters. *Lond.* 1734. 1740. 2 *Vol.* 4.
SIMON *Joh. Chriſt.* Kunſt Salpeter zu machen. *Dresd.* 1771. 8.
SIMSON in Recueil d'Obſervations de Medecine par la Société d'Edinbourg *V. Paris* 1743.
SLEVOGT *Progr.* de Arſenico. *Jenæ* 1719.
SLOANE an account of a moſt efficacious medicine for ſoreneſs, wickneſs and other diſtempers of the eye. *London* 1745. 4.
- - - Voyage at Jamaica. *London* 1707. fol.
- - - *in* Philoſoph. Tranſact. *N.* 417.
SOLLENANDER Conſilia Medica. *Hanov.* 1609. fol.
de SORBAIT Opera. *Norimb.* 1672. fol.
SPILENBERG in Ephem. Nat. Curioſ. *A.* 1.

SPIELMANN *in* Mem. de l'Académie Royale des Sciences de Berlin. 1758.
- - - - de Cardamomo *Resp. Joh.* HERMANN. 1762.
- - - - Diss. de fonte Rippelsaviensi *Resp.* BOECLER. *Argent.* 1762.
- - - - de Hydrargyri præparatorum internorum usu *Resp.* EHRMANN *Argent.* 1761.
- - - - de venenatis Alsatiæ plantis *Resp.* GUERIN. 1766.
- - - - Instit. Chemiæ. *Argent.* 1766. 8.
SPIES *apud* WERLHOFF.
SPRINGSFELD Iter Medicum. *Lips.* 1748. 8.
- - - - Abhandlung vom Carlsbad. *Lpz.* 1749. 8.
SPROEGEL Experimenta circa venena. *Gœtting.* 1753.
STACHER *in* Naturforschende Gesellschaft in Zürch II. 1764.
STAHL *G E. medicamenta composita ab eodem recepta* Dispensatorium Brandeburgicum *recenset.*
- - - - Materia Medica. *Dresden* 1731. 8.
- - - - Opuscul. Chymico-Medic. *Hal.* 1715. 4.
- - - *Juon. Joh.* Diss. de usu & effectibus potus Caffé *Resp.* WOYWODE. *Erford.* 1731.
STECK de Sagu. *Argent.* 1757.
STEDMANN *in* Essais & Observations de Medecine de la Société d'Edinbourg. *T. II. Paris* 1742. 8.
STEINMEYER de Rubia tinctorum. *Arg.* 1762.
STELLA *Erasmus apud* GESNER Historia Animal.
STENO *apud* BARTHOLINUM Epistol. Medic.
STISSER *Joh. Andr.* Act. Laborat. Chymic. *Helmst.* 1701. 4.
STOERCK *Ant.* Annus Medicus. *Vind.* 1759. secundus 1761. 8.
- - - - - libellus qua demonstratur Cicutam &c. *Vindob.* 1760. 8. libellus secundus 1771. Supplementum necessar. 1771.
- - - - - libellus quo demonstratur Stramonium, Hyoscyamum, Aconitum &c. *Vindob.* 1772.

STOERCK *Ant.* libellus quo demonſtratur Colchici Autumnal. Radicem &c. *Vindob.* 1773.

- - - - - - libellus quo continuantur Obſervationes & Experimenta circa nova ſua medic. *Vind.* 1765.

STOSCHIUS in Act. Med. *Berol. Vol.* 6.

STRUVE in Commerc. Noric. 1732.

STURM *Roland.* Corticis Chinæ Deſcr. *Antw.* 1659. 12.

SULZER in Nov. Act. Nat. Curioſ. *Vol. III.* & *IV.*

SWAINE *in* Eſſays read before a Society in Edinburgh. 1756.

van SWIETEN Commentarii in Aphoriſmos Bœrhaave. *Lugd. Bat.* 1741-72. 5 *Vol.*

SYDENHAM Opera *Lugd. Bat.* 1741. 8.

SYLVATICUS *Benedict.* Conſilia & Reſponſiones. *Gen.* 1662. fol.

- - - - *Matth.* Opus Pandectarum Medicinal. *Turin* 1526. fol.

SYLVESTER *in* Obſervations by a Society of Phyſic. in London I.

SYLVIUS *de le* BOE Opera. *Genev.* 1681. fol.

SYLVII *Jacob* Opera *per* MOREAU. *Col. Agr.* 1630. fol.

T.

TABERNÆMONTANUS *Jac. Theod.* Kræuterbuch *per* BAUHINUM. *Baſel* 1687. fol.

TACHENIUS Echo ad vindicias Chiroſophi. *Venet.* 1656. 4.

- - - - Hippocrates Chymicus. *Brunſv.* 1668. 12.

TACITUS de Moribus Germanorum *per* ERNESTI. *Lipſ.* 1752. 12.

TARZAGUS *apud* LANZONIUM.

TAUBE *apud* MURRAY.

TEISONNIER *in* Conſult. choiſies de Montpellier. *T. II.* *Paris* 1748. 12.

TENENT Epiſtle concerning the efficacy of Seneca ſnackervot Edinburg. 1742. 8.

TESTI in Ephem. Nat. Curiof. *Cent. I. & II.*
THALIUS Sylva Hercinia *cum* CAMERARII horto.
THEBESIUS in Nov. Act. Natur. Curiof. I.
THEODORICUS *apud* FORESTUM.
- - - - - Chirurgia. *Venet.* 1502. fol.
THEOPHRASTI Opera *per* HEINSIUM. *Lugd. B.* 1613. fol.
THILEMANN Diff. de Abufu medicamentorum Mercurialium. *Argent.* 1715.
THORNHILL in Philof. Tranfact. 1755.
TILING Rhabarbarologia. *Francof.* 1679. 4.
TISSOT *apud* DEGNER.
- - - Avis au peuple. *Paris* 1772. 12.
- - - fur la fanté des gens de lettres. *Lauf.* 1768. 8.
- - - Traité de l'Epilepfie. *Paris* 1770. 12.
TORACEA fpecimen experimentorum quibus Corticis Peruviani vis antifeptica &c. comprobari videntur. *Romæ* 1765. 4.
TORTUS *Franc.* Therapeutica. *Venet.* 1743. 4.
TOURNEFORT *in* Hift. de l'Acad. Royale des Sciences depuis 1666 jufqu'à 1699. *T. II.* 4.
- - - - - Hiftoire des plantes qui naiffent aux environs de Paris. 1725. 2 *Vol.* 12.
- - - - - Relation d'un voyage du Levant. *Paris* 1717. 2. *Vol.* 4.
TRAGUS de ftirpibus. *Argent.* 1552. 4.
TRALLIANUS in Medicæ Artis Principibus. 1567. fol.
TRALLES Examen rigorofius virium, quæ terreis medicamentis tribuuntur. *Vratisl.* & *Lipf.* 1740. 4.
- - - Ufus Opii. *Vratisl.* 1757-63. 4 *Vol.* 4.
TRAMPEL *in* Berlinifch. Samml. I. 1768.
TREW in Commerc. litter. Noric. 1734, 35, 43.
TRIEWALD *in* fchwed. Acad Abhandl. 1744.
TRILLER Difpenfatorium Pharmaceuticum univerfale. *Francof.* 1764. 4.

TRILLER de Morte ſubitanea ex nimio Violarum odore *Reſp.* RENSCH. *Witteb.* 1763.
TRONCHIN de Colica Pictonum. *Genev.* 1757. 8.
TULPIUS Obſervationes Medicæ. *Amſtel.* 1672. 12.

V.

VALCARENGHI Medicina rationalis conſtitutionum epidemic. *Cremonæ* 1737 & 1742. 4. 2 *Vol.*
VALENTINI *Baſil.* Chymiſche Schriften *ed.* PETRÆO. *Hamb.* 1740. 8.
- - - - *Michael Bernh.* Hiſtoria ſimplicium *per* BECKER. *Francof.* 1716. fol.
- - - - - - - - Oſtindiſche Sendſchreiben. *Frf.* 1705. fol.
VALISNERIUS *apud* LENTILIUM in Ephemerid. Nat. Curioſ. *Cent. III. & IV.*
- - - - - *apud* PISO Homobom.
- - - - Opere Fiſico-Mediche. *Venet.* 1733. fol. 3 *Vol.*
VALLERIOLA Obſervat. Medicæ. 1588. 8.
VATER *Abrah.* de Antidoto novo adverſus viperarum morſum præſtantiſſim. *Reſp.* GENSTER. *Vit.* 1736.
VAUGHAN *apud* RAJI Philoſoph. lettres.
VENEL *in* Memoires préſentés à l'Académie Royale des Sciences. *T. II. Paris* 1755.
VERATTI in Comm. Inſtit. Bonienſ. *T. II. P. II. Bonon.* 1746. 4.
du VERNEY *in* Hiſt. de l'Acad. Royale des Scienc. 1703.
VERNY *ad* BAUDERON.
Verſuch einer neuen Mineralogie. (CRONSTÆDT.) *Koppenhagen* 1770. 8.
VESALII Epiſt. de Uſu Radicis Chinæ. *Baſil.* 1546. fol.
VICARIUS in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. III.*
VIGO Practica. *Venet.* 1561. 8.
VITALI *Bonafede* lettera e riſpoſta ſopra le maladie contagioſe. *Veron.* 1743. 8.

de VILLA NOVA *Arnold.* Opera *per* TAURELLUM. *Basil.* 1585.
UNZER de Renum Calculo. *Magdeb.* 1623. 4.
VOGEL *apud* MURRAY.
- - Programm. Dubia contra nocivum linimentorum sulphureorum usum in scabie. *Gœtt.* 1765.
- - de insigni quorundam venenorum virtute medica *Resp.* WICHMANN. *Gœtting.* 1762.
- - Historia Materiæ Medic. *Lugd. Bat. & Lips.* 1758. 8.
VRATISLAVIENSIUM morb. Hist. *Laus. & Lps.* 1746. 4.

W.

WAGNER in Commerc. litter. Noric. 1737.
- - - Observat. Clinicæ. *Lubec.* 1737. 4.
WAINEWRIGHT *apud* HALLER Elem. Physiol. *T. III.*
WALDSCHMIDT Opera *Lugd.* 1736. 2 *Vol.* 4.
WALL in Philos. Transact. 1744.
WALLERII Mineralogie *per* DENSO. *Berlin* 1750. 8.
WALPOLE in Philosoph. Transact. 1751.
WALTHER *Progr.* de Nitroso plurium fontium Sale. *Lips.* 1744.
WARNER Cases in Surgery. *London* 1754.
WATSON *in* Philosoph. Transact. *N.* 437. & 1755.
WECKER Antidotarium generale. *Basil.* 1585.
WEDEL *G. W.* Amœn. Mat. Med. *Jenæ* 1684. 4.
- - - - - Compendium Chymiæ. 1715. 4.
- - - - - de Allio *Resp.* EMHARD. *Jenæ* 1718.
- - - - - in Eph. N. Cur. *D I. A.* 2. & 3. *D. II. A.* 2.
- - - - - de Ipecacuanha *Resp.* LEINCKER. *Jenæ* 1705.
- - - - - de Medicament. facultat. *Jenæ* 1696. 4.
- - - - - Pharmacia in artis formam redacta. *Jenæ* 1693. 4.
- - - - - de Serpentaria Virginiana *Resp.* GOECKEL. *Jenæ* 1710.
WEISMANN in Act. Nat. Curios. *Vol. I.*

WEITBRECHT de febrili conſtitutione. *Regiomont.* 1736. 4.
WELSCH de Ægagropilis. *Auguſt. Vind.* 1668. 4.
- - - Curationum propriarum Decades. *Auguſt. Vindel.* 1680. 4.
- - - Hecatoſtea. *Auguſt. Vindel.* 1675. 4.
- - - Mictomimeta. *Lipſ.* 1676. 4. & in Ephem. Nat. Curioſ. *A.* 4. & 5.
- - - Sylloge Curationum & Obſervat. Medicin. *Ulmæ* 1667. 8.
WEPFER Hiſtoria Cicutæ aquaticæ *per* ZWINGER. *Baſil.* 1716. 4.
- - - Obſervat. Medico-practicæ. *Tigur.* 1745. 4.
- - - *apud* KOENIG Regnum Vegetabil.
- - - - - HALLER Hiſtoria ſtirpium.
- - - - - SEVERINUM.
WERLHOF Cautiones Medicæ. 1734. *Hannover.*
- - - - *apud* CRELL de Simarouba.
- - - - - MURRAY.
- - - - *apud* VOGEL de inſigni venenor. quorundam virtute medica.
- - - - Obſervat. de Febribus. *Hann.* 1745.
- - - - de Variolis & Anthracib. *Hann.* 1735. 4.
WESTPHAL in Act. Phyſ. Med. *Vol. VIII.*
WHYTT *in* Eſſais on the virtue of Lime-Water. *Edinburgh* 1761. 8.
- - - *apud* PLENCK Mat. Med.
van der WIEL Obſervationes. *Lugd. Bat.* 1687. 12.
WILLIS Opera. *Amſtel.* 1682. 4.
WILLIUS in Acta Hafnienſ. *T. III.*
WINTER Tentam. Vratiſl. 1724.
WOLF *Jac.* in Ephem. Nat. Curioſ. *Dec. II. A.* 8.
- - - *Joh.* in Comm. litter. Nor. 1740, 41 & 43.
- - - in Act. Nat. Curioſ. *Vol. V. VIII.* & IX.
WORMII Epiſtolæ. *Hafniæ* 1757. 8. 2 *Vol.*
WURZ *Felic.* Practica der Wundarzney. *Baſil.* 1687. 8.

X.

XENOPHON Opera. *Francof.* 1596. fol.

Y.

YONGE Currus triumphalis e Terebintho. *London.* 1679. 8.
- - - *in* Philoſophical Tranſactions. *N.* 280.

Z.

ZACUTI LUSITANI Opera. *Lugd.* 1694. fol.
ZANETTI in Nov. Act. Nat. Curioſ. *Vol. V.*
ZORN *apud* PANCOVIUM.
ZÜCKERT Beſchreib. aller Geſundbrunnen Deutſchlands. *Berlin u. Leipzig* 1768. 4.
ZWELFFER Diſcurſus Apologeticus. *Norimb.* 1668. fol.
ZWINGER *Theodor.* in Ephemerid. Natur. Curioſ. *Dec. III. A.* 2. 7. 8.
- - - - - - Examen Plantarum Naſturtinarum *Reſp.* MIEG. *Baſil.* 1714.
- - - *Joh. Rud.* in Act. Helvet. *IV. Baſil.* 1760. & *V.* 1762. 4.
ZWOELFFER Animadverſ. in Pharmacop. Auguſt. *Norimb.* 1661. Appendix 1667. Pharmacopœa Regia. 1668.





SYLLABUS RERUM.

A.

Aqua Carminativa

SYLLABUS RERUM.

Melten

Schellack

SYLLABUS RERUM.

Typis HEITZIANIS.

ERRATA.

Pag. 27. l. 18. *πγυρις* lege *πίτυρα.*
Pag. 298. l. 22. TORDYTIO *lege* TORDYLIO.
ibid. l. 25. aquæ *lege* æquali.